A N

RVV

DOC

Sol

COMM

Arist

natur

ea

NVN

Cum

Carmel

AP

Digitized by Google

R. P.

NTONII

RVVIO RODENSIS,

DOCTORIS THEOLOGI
Societatis IESV, Sacræ Theologiæ Professoris,

OMMENTARII IN LIBROS

Aristotelis Stagyritæ de ortu, & interitu rerum naturalium; seu de generatione, & corruptione earum: vnà cum dubijs, & quæstionibus hac tempestate in Schola agitari solitis:

NVNC PRIMVM IN GALLIA EDITI.

Cum duplici Indice, quorum vnus capita, & quæstiones eodem ordine quo agitantur; alter res omisses alicuius momenti continet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rmel. Discal. Rome.

LVGDVNI,
APVD IOANNEM PILLEHOTTE,
sub signo Nominis IESV.

M. DC. XIV.
CVM PRIVILEGIO.

COMMISSIONE GOVERNATIVA PER LE BIBLIOTECHE DI ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.

ANTONII RVVIO RODENSIS,

DOCTORIS THEOLOGI
Societatis IESV, Sacræ Theologiæ Professoris,

COMMENTARII IN LIBROS

Aristotelis Stagyritæ de ortu, & interitu rerum naturalium; seu de generatione, & corruptione earum: vnà cum dubijs, & quæstionibus hac tempestate in Schola agitari solitis:

NVNC PRIMVM IN GALLIA EDITI.

Cum duplici Indice, quorum vnus capita, & quæstiones eodem ordine quo agitantur; alter res omnes alicuius momenti continet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Carmel. Discal. Rome.

LVGDVNI,
APVD IOANNEM PILLEHOTTE,
sub signo Nominis IESV.

M. DC. XIV.
CVM PRIVILEGIO.

COMMISSIONE GOVERNATIVA PER LE BIBLIOTECHE ROMANE

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRI ADMODVM,
NECNON SAPIENTISSIMO
viro, omniumque virtutum ſplendore clariſſimo D. D. Gabrieli Suario de Toledo, Matritenſi Archidiacono in ſacra Eccleſia Toletana, eiuſdemque Canonico,& Archiepiſcopali Senatui præſidi digniſſimo, Doctor Antonius Rubio Societatis Ieſu Theologus æternam precatur fœcilicitatem.

QVOD *habebam in votis (vir præſtantiſſime) quod optandum maximè, quærendumque fuit, id ſanè modo fœlici ſorte videmus oblatum; etenim ex quo illa cœpit (antiquior vtinam) neceſſitudo noſtra, cum mihi extitiſſet vnũ, vt debitum maximè, ita & optatum, atque hoc vnum eſſet mei erga te animi, vel leue ſignum offerre; iam tandem fuit obtentum, quod erat tamdiu expetitum. Huius autem accenſi ſtudij; ac debiti officij tres ſimul præ aliis extitere cauſæ cum primis nobiles, & illuſtres. Quæ licet omnibus magna ex parte innoteſcant, vt à me ſunt præ multis obſeruatæ, ita & præ aliis à me pariter commemoratas volui. Primas ergo deferamus oportet meritorum tuorũ eximiæ dignitati, tuarum virtutum laudi, & gloriæ ſingulari. Hæc vna cauſa eſt, quæ multorum animos tui amore ardentiſſimo tenet accenſos: atque vt alias omittam, ciuitatem, & loca, in quibus hæc viget fama clariſſima; in Eccleſia certe, atque vrbe Toletana virtutum ſplendor eſt maximus, laus creuit, ſumitque ſemper incrementa gloria. Clamant in ea pauperes, orbati, & afflicti, qui omnes in te vno, non tam patronum agnoſcunt quàm patrem, vt qui in eorum ſubleuandis miſe[ria]s [illegible]ius parcas, nec ſumptibus. Diuites hoc laudant, & nobiles, quos veræ nobilitatis munera, rectumque diuitiarum vſum exemplo doces potius quàm ſermone, nec illuc certe omittam, quod in Eccleſia illuſtri Toletana, in qua (vt tua ſunt merita) inter primas dignitates locum tenes; eam de te viri omnes grauiſſimi opinionem imbiberunt, vt quæ ſeſe offerunt negotia, & cauſæ, in quibus multorum communes, ſeu totius etiam Eccleſiæ res aguntur, tuæ præ cæteris fidei, prudentiæ, authoritatique commiſſa velint. Teſtatur hoc idem, nec verbis tantum, ſed factis etiam oſtendit Illuſtriſs. Cardinalis eiuſdem Eccleſiæ Toletanæ ſpectatiſſimum caput, qui eius quem habet Senatus, in quo totius Diœceſis graues decidiuntur cauſæ, te

vnum habet præſidem digniſſimum, cuius vel maximè ſunt omnia commiſſa iudicio. Verum licet plura hæc ſint, atque maiora, quàm quæ à me poſſint hac breui nuncupatoria complecti, ea tamen ſunt, quæ non ad me ſolum, vel ad noſtræ Societatis alumnos ſpectare videantur, ſed aliorum etiam animos haud difficile moueant. Quæ vero tua ſunt in noſtram Societatem merita, ex his qui hanc noſtram degunt Toletanam prouinciam, ignota ſunt nemini; hæc ſanè ſunt, quæ non communi in reliquos, ſed peculiari in nos iure ſibi vendicant tuo, vel maximè obſequio nos omnes omniáque noſtra eſſe dicata.

Quoniam vero ita indulgendum eſt debitis laudibus, vt ſingularis etiam tuæ modeſtiæ conſulatur: quamuis longæ texendæ orationis ſuppetebat copia, vnum tui erga nos animi ſignum perſtringã breui. Atque hoc quidem eſt à me non raro obſeruatum, quod cum de rebus noſtris lubens ſæpe loquaris, adeo te nobiſcum exhibes coniunctum, vt quæ ſolum noſtra ſunt, non tua, te ipſum nobis annumerans communi appellatione appelles noſtra. Cum Societatis nominas parentem Ignatium, Ignatiũ eumdem parentem noſtrum vocas, ac rurſus cum de Societate exoritur ſermo (quaſi vnus ex noſtris eſſes) de eadem ipſe Societate loquens noſtram dicere ſoleas Societatem. Accedit tandem (vir præſtantiſſime) id quod licet poſtremo referatur loco, haberi à me non debet in poſtremo. Tuus eſt hic erga me ipſum animus, quæque inter nos amicitia, coniunctioque intercedit, nam ſi tuus erga omnes noſtræ Societatis ardentiſſimus amor, vt complectitur omnes, ita & ſingulos commouere debet. Quid quæſo maiorem apud me vim habeat oportet, quàm à te, non communi erga omnes amore, ſed peculiari etiam ſtudio proſequi & amari? Qua propter cum ex Philoſophicis voluminibus, quæ non mediocri labore vulganda ſuſcepimus, partem hanc de ortu, & interitu rerum naturalium iam tandem in lucem edere cogitaſſem, eamdem volui tuo ſemper nomini conſecratam, hoc mei erga te animi veſtigium, & ſignum, hæc literaria munuſcula exigua ſatis (ſi dignitatis tuæ ducatur ratio, mei tamen animi monumenta clariſſima qua præditus es [illegible] dignitate ſuſpice, qui tanto ſemper optimarum artium ſtudio [illegible] quod ſi tibi (vt ſpero) gratum extiterit, quod mihi gratius erat, & optatius obtinuiſſe videbor. Vale.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM, ET QVAESTIONVM
quæ in hoc primo libro continentur.

Caput primum. fol.6
Caput ſecundum. 8
Caput tertium. 10
Caput quartum. 13

Quæſtio 1. An dentur in rerum natura generatio, & corruptio ſubſtantialis. 16

Quæſt. 2. quid ſit generatio ſubſtantialis. 19

Quæſt.3. quiſnam ſit terminus ad quem generationis,à quo habeat ſpeciem. 24

Quæſt. 4. quodnam ſit ſubiectum proprium generationis. 34

Quæſt.5. An generatio ſubſtantialis ſit mutatio ſucceſsiua,vel inſtantanea ab alteratione diſtincta. 38

Tractatus ſecundus de corruptione ſubſtantiali. 46

Quæſt.1. An ſit, & quid ſit corruptio ſubſtantialis, & an naturalis ſit rebus ſublunaribus. 46

Quæſt.2. An corruptio rerũ naturalium ſit per ſe intenta à natura. 53

Quæſt. 3. An verum ſit, & in quo ſenſu, quod generatio vnius ſit corruptio alterius. 58

Quæſt. 4. An in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio,vſque ad materiam primam. 61

Quæſt.5.An generatio,& corruptio ſint omnino ſimul,vel aliquis ſit inter eos ordo prioris,& poſterioris. 72

Breue dubium. An generatio, & corruptio diſtinguantur realiter à materia. 78

Tract.tertius de alteratione. 78

Quæſt.1. An ſit, & quid ſit alteratio, & quomodo diſtinguatur à generatione ſubſtantiali. 78

Breue dubium. An ſi impoſsibilis eſſet generatio, impoſsibilis quoque alteratio cenſeretur. 81

Quæſt. 2. An alteratio ſit motus continuus. 84

Quæſt. 3. Quonam modo continuetur alteratio ſecundum extenſionem, & intenſionem. 92

Quæſt. 4. An intenſio ſemper, & neceſſariò ſit continua. 104

Quæſt.5.An intenſio qualitatis fiat per additionem vnius gradus ad alterum,vel per maiorem radicationem eius in ſubiecto. 113

Quæſt.6. An omnes gradus intenſionis eiuſdem qualitatis ſint omnino ſimiles, & eiuſdem perfectionis, vel diuerſæ,aut diſsimiles,atque eſſentialiter ſubordinati. 128

Quæſt. 7. An intenſio qualitatum habeat terminos magnitudinis, & paruitatis. 137

Quæſt.8. De ſubiecto alterationis, & aliorum accidentium corporeæ ſubſtantiæ, an ſit ſola materia, vel compoſitum. 153

Quæſt.9.An omnia accidentia proxime inhæreant ſubſtantiæ, vel quædam non,niſi mediis aliis. 181

Quæſt.10. An omnia accidẽtia immediate inhæreant in ſubſtantia, vel quædam non,niſi mediis aliis. 187

Quæſt.10.An vnum accidens verè, & propriè ſit ſubiectum alterius accidentis. 189

Quæſt.11. An diſpoſitiones præcedentes in materia efficienter concurrant ad expulſionem formæ præſentis, & introductionem ſequentis, vel ſolum materialiter. 196

Caput quintum. 203

Tractatus de nutritione, & augmentatione. 209

Quæſt. 1. An dentur nutritio, & augmentatio in rerum natura,& quid vtraque ſit. 209

Quæſt.2. An nutritio, & augmentatio ſint mutationes diſtinctæ realiter. 217

Quæſt. 3. An nutritio ſit mutatio ſucceſsiua, vel inſtantanea. 223

Quæſt. 4. An nutritio ſit continua. 242

Dubium de ſecundo ſenſu quæ-

Digitized by Google

ſtionis,an ſemper fiat nutritio. 245
Quæſt.5. An materia alimẽti prius vniatur materiæ corporis viuentis, quam fiat conuerſio, vel nutritio, aut ſimul ac fit,vniatur. 248
Quæſt.6 An augmentatio ſit per ſe motus ad quantitatem. 257
Quæſt.7. An augmentatio fiat ſecundum omnes partes viuentis,ita,vt dum augentur viuens, quælibet eius pars augeatur. 268
Quæſt.8. An augmentatio duret toto tempore vitæ. 278
Quæſt.9. An corpus viuens toto tempore vitæ, quo nutritur, permaniat idem numero, ſaltem ſecundum aliquos partes, vel ſecundum omnes varietur. 283
Quæſt.10. An augmentatio, & diminutio diſtinguantur ſpecie. 296
Dubium ſecundum. De modo diſtinguendi augmentationem, & diminutionem. 299
Tractatus ſecundus de rarefactione, & condenſatione. 302
Quæſt.1. An per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condenſationem deperdatur. 302
Quæſt.2. An rarefactio,& condenſatio, per ſe primo ad quantitatem, vel ad qualitatem, aut ad vbi,ſeu localem præſentiam. 313
Quæſt.3. An corpus paruum, cui nihil materiæ, neque quantitatis additur, poſsit fieri magnum ſine rarefactione per potentiam Dei abſolutam. 327
Caput.6. 335
Quæſt. 1. Vtrum agens naturale poſsit agere in paſſum diſtans nihil agendo in medium. 337
Quæſt. 2. An agens naturale, vel creatum poſsit agere in diſtans nihil operando in medium per potentiam Dei abſolutam. 348
Caput ſeptimum. 355
Caput octauum. 358
Caput nonum. 360
Tractatus de actione, & reactione corporum nuturalium, & de his quæ ad eam pertinent. 362
Quæſt. 1. Quid, & quotuplex ſit reſiſtentia. 362
Quæſt. 2. Quo ordine, & modo conueniant primis qualitatibus actiuitas, & reſiſtentia. 370
Quæſt 3. An neceſſe ſit actionem ſemper procedere à proportione maioris inæqualitatis. 381
Quæſt. 4. An ſit neceſſarium ad agendum, quod actiuitas agentis excedat reſiſtentiam paſsi exceſſu determinato, vel indeterminatus ſufficiat. 389
Quæſt. 5. An ſimile poſsit agere in omnino ſimile. 395
Dubium primum. An maior denſitas corporis iuuet ad agendum, & quomodo. 398
Quæſt. 6. An agens poſsit producere effectum ſibi omnino æqualem, aut ſimilem in perfectione,vel gradu intenſionis. 402
Quæſt. 7. An idem poſsit agere in ſe ipſum actione vniuoca. 413
Dubium primum. An qualitas per antipariſtaſim intendatur,& quonam modo. 414
Quæſt.8.An qualitas in medio exiſtens intendatur per reflexionem, & à qua cauſa. 425
Dubium primum. A qua nã cauſa procedat maior intenſio luminis producta in medio per reflectionem. 430
Quæſt. 9. An omne agens, dum agit, repatiatur à ſuo contrario,circa quod agit. 437
Caput 10.de mixtione. 449
Tractatus de natura, & ratione mixtionis. 453
Quæſt. 1. An mixtio ſit, vel an ſit poſsibilis. 454
Quæſt. 2. Quidnam mixtio ſit, & quomodo diſtinguatur à generatione,& cæteris mutationibus. 458
Dubium primũ.Quomodo diſtinguatur mixtio à generatione,& cæteris actionibus,& mutationibus. 461
Quæſt.3. Quænam ſit cauſa per ſe, & immediata mixtionis. 464
Quæſt.4. An elementa maneant in mixto ſecundum proprias formas ſubſtantiales. 467
Dubium primum. Quiſtnam ſit elementa

Digitized by Google

ementa virtualiter contineri in mixto. 474
Quæst.5. An virtutes, seu qualitates elementorum permaneant formaliter in mixto. 476
Quæst. 6. An liquores ad veram mixtionem concurrere possint, ita vt ex duobus, qui miscentur, resultet tertium ab vtroque distinctum. 481

INDEX, CAPITVM, & quæstionum, quæ in hoc secundo libro continentur.

CAput primum. fol.489
Caput secundum. 492
Caput tertium. 456
Tractatus de primis qualitatibus elementorum. 499
Quæst. 1. An quatuor qualitates elementorum sint primæ. 500
Quæst. 2. An in mixtis reperiantur aliæ qualitates præter elementares. 506
Quæst.3. An primæ qualitates sint formæ substantiales elementorum, vel solum accidentales. 513
Quæst.4. An elementa sint propriè contraria secundum formas substantiales, vel solum secundum qualitates. 516
Quæst. 5. An contrariæ qualitates possint esse simul in gradibus intensis. 523
Quæst.6. An contraria possint esse simul in eodem subiecto in gradibus remissis. 531
Quæst. 7. An cuilibet elemento ex propria natura conueniant duæ qualitates primæ. 547
Quæst. 8. Quænam sit causa maximæ frigiditatis, quam habet aër in media regione. 552
Quæst.9. In quo nam gradu habeat quodlibet elementum duas qualitates primas. 560
Quæst.9. An qualitas elementi minus intensa habeat permixtionem contrariæ. 567
Quæst. 10. An qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem speciei. 572
Caput quartum. 576
Caput 5. 578
Caput 6. 583
Tractatus de mutua generatione elementorum. 586
Quæstio 3. An quodlibet elementum possit ex quocumque alio immediate generari. 586
Quæstio 2. An facilior sit transitus inter elementa symbola, quam inter dissimbola. 594
Quæst. 3. An vnum elementum possit producere aliud à se diuersum. 601
Caput 7. 608
Caput 8. 611
Tractatus de mixtorum temperamentis. 612
Quæst.1. Quidnam sit, vel in quo cõsistat temperamentum mixtorum, ibidem.
Quæst.2. An detur in mixtis temperamentum æquale ad pondus. 617.
Quæst.3. An sit possibile temperamentum æquale ad pondus secundum qualitates motiuas. 628
Caput 9. 633
Caput 10. 635
Caput 11. 639
Tractatus de reproductione eiusdem rei secundum identitatem numericam. 642
Quæst. 1. An eadem numero res permanens semel corrupta naturaliter reproduci possit. ibidem.
Quæst 2. An possit naturaliter reproduci, vel resurgere idem homo iam mortuus. 651
Quæst. 3. An per potentiam Dei absolutam eadem numero res permanens semel corrupta reproduci possit. 655
Quæst.4. An res per se successiua semel extincta possit eadem numero reproduci per potentiam Dei absolutam. 663

Digitized by Google

LICENTIA SVPERIORIS.

EGo Bartholomeus Perez de Nueros, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro generali, facultatem concedo, vt typis mandentur Commentarij in libros Aristotelis de generatione, & corruptione à Patre Antonio Rubio Doctore Theologo Societatis IESV compositi,& grauium Doctorumque hominum nostræ Societatis iudicio approbati.In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus, 28. Septembris anni 1608.in domo nostra IESV del monte Complutensis collegij.

Bartholomeus Perez de Nueros.

APPROBATIO.

SVpremi Senatus iussu perlegi commentaria in duos libros Aristotelis de ortu, & interitu rerum naturalium, siue de generatione & corruptione earum doctissimi Doctoris Antonij Rubij Societatis IESV, *laudo maximi autheris ingenium, & eruditionem, ac commentaria digna iudico, velut vndique accuratè rimata, vt cum magna securitate, vtilitate, & laude typis mandari possint. Apud sanctum Philippum de Madrid die* 25. *Octobris anno* 1608.

Christophorus de Fonseca.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

ANtonius Suffrenus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. die 10. Maij, 1583. & Henrico IIII. 20. Decembris, 1606 & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus cõpositos, absque illorum permissione imprimant: Permittit Ioanni Pillehotte Lugdunensi Bibliopolæ, vt R.P. Antonij Ruuio Rodensis Commentarios in libros Aristotelis de generatione, & corruptione in sex proximos annos imprimere, ac libere diuendere possit. Datum Lugduni die 1. Octobris. 1613.

Ant. Suffrenus.

COMMENTARIORVM IN DVOS LIBROS Aristotelis Stagiritæ de ortu, & interitu rerum naturalium, seu de generatione, & corruptione earum,

PROOEMIVM.

OMNIA ferè quæ in principio cuiusque operis inquiri solent, atque explicari, per se sunt de hoc manifesta. Nam inscriptio (vt solet) à principali affectione corporis naturalis sumitur, quæ est generatio per quam incipit esse; & corruptio, per quam desinit. Ordo etiam huius operis cum cæteris partibus Philosophiæ naturalis per se est manifestus; sunt enim libri isti tertia pars huius scientiæ post primam, & secundam, nempe octo libros Physicorum, in quibus disputatum est de ente naturali in communi, prout principia motus continet: & libros de Cœlo, & Mundo, in quibus egit Aristoteles de eodem ente naturali; simplici quidem, vt habet principium motus ad certum locum, vel vbi; quod ex naturali constitutione totius vniuersi ei conuenit. In tertio verò loco agitur de eodem corpore, vt habet in se principium generationis, & corruptionis. 1

Diuisio verò non est minus facilis, nam duo explicat Aristoteles in toto hoc opere. Primum, naturam generationis, corruptionis, alterationis, augmentationis, & mix-

tionis; per quas mutationes, vel motus aliquam formam acquirit corpus naturale, nempe ſubſtantialem, à qua habet eſſe ſimpliciter; vel accidentalem, per quam habet eſſe tale. Secundum, naturam corporum ſimplicium, & qualitatum eorum, quæ vocantur prima, in quantum per eas vnum in aliud tranſmutari poteſt, vel duo in tertium. Et ideo in duos libros diuiditur ab Ariſtotele, ita vt primum in primo libro explicet, & ſecundum in ſecundo.

Solum poteſt eſſe dubium de ſubiecto, ſeu obiecto adæquato huius partis; nam ſicut tota Philoſophia habet ſubiectum totale, ſub quo comprehenduntur omnia, de quibus agit; ita ſingulæ partes eius habere debẽt partialia ſubiecta ſibi adæquata, ſub quibus comprehendantur omnia, de quibus agitur in ſingulis; quod autem ſit obiectum huius non eſt certum inter expoſitores Ariſtotelis.

2 Sed prima opinio aſſerit obiectum eſſe corpus ſimplex, ſeu elementum, in quantum moueri poteſt, non quidem ſecundum locum, vel vbi; nam hoc modo egit Ariſtoteles de illo in libris de Cœlo, & Mũdo; ſed ſecundum formam abſolutam, & inhærentem ſubſtantialem, vel accidentalem. Ita Albertus Magnus tractatu 1. de generatione capite 1. Auerroes 1. lib. de Cœlo comm. 3. & Alexand. lib. 1. Metheo. in principio. Probatur teſtimonio Ariſtotelis 1. lib. de Senſu, & ſenſili cap. 4. vbi opus hoc de elementis vocat. Et lib. 2. de Anima affirmat ſe in eo egiſſe de elementis; hoc eſt in ſecundo libro. Probatur etiam ratione: quia poſtquam in libris Phyſicorum diſputatum eſt de corpore naturali in communi, in reliquis partibus diſputari debet de eodem in particulari; hoc eſt de ſimplici, & compoſito, vt habet in ſe principium mutationis, & motus: ſed in libris de Cœlo egit Ariſtoteles de corpore ſimplici, vt habet principium motus ad locum, ergo in hac tertia parte agit de eodem, vt habet principium motus ad formam ſubſtantialem, vel accidentalem, hoc eſt vt alterari, augeri, & generari poteſt, quod ſolum habens

bent elementa. Probatur consequentia, quia in nulla alia parte totius Philosophiæ agit de corpore simplici sub hac ratione vniuersali, vt per se est manifestum.

Secunda opinio tenet generationem, & corruptionem in communi esse subiectum huius operis. Cuius ratio sumitur ex inscripoione: nam si de generatione, & corruptione inscribitur: ergo de his tamquã de propria, & adæquata materia agitur, & consequẽter tamquam de adæquato obiecto.

Tertia opinio est quorumdam modernorum asserentium 3
subiectum esse corpus naturale, commune quidem ad simplex, & compositum, in quantum est generabile, & corruptibile. Quod probant, quia sicut hæc pars continetur sub tota Philosophia, ita obiectum eius debet contineri sub adæquato obiecto totius Philosophiæ, & ab eo distingui sub aliqua ratione speciali, per quam contrahatur. Sed vtramque conditionem habet corpus naturale, vt generabile, & corruptibile; ergo hoc, & non aliud erit obiectum.

Vltima opinio asserit obiectum esse ens naturale, vel corpus naturale, in quantum habet principium motus ad formam in communi, hoc est, abstrahentem à substantiali, & accidentali: per formam intelligens absolutam, vt excludatur, Vbi, quod licet aliquo modo possit vocari forma, in quãtum inhæret corpori, proprius tamen dicitur modus, qui in ordine ad extrinsecum accipitur, & ideo sub obiecto huius operis non comprehenditur: sed de corpore naturali, vt habet principiũ motus ad Vbi, per se agitur in libris de Cœlo. Hæc est cõmunis, & vera sententia. Quam tenent Diuus Thomas, Ægidius, Marsilius, & Venetus in principio huius operis. Probatur à sufficienti diuisione ex refutatione aliarum. Quia subiectum adæquatum debet formaliter continere omnia de quibus in tali scientia per se agitur, & si sit scientiæ partialis, debet contineri formaliter, & per se sub totali subiecto integræ scientiæ; sed nullum aliud habet has duas conditiones præter ens mobile ad formam ita ex-

plicatum: ergo hoc ſolum erit obiectum adæquatum huius partis. Probatur minor; primo de corpore ſimplici, quod pro obiecto ponit prima opinio, de quo euidens eſt non comprehendere omnia, quæ tractantur in hoc opere: in quo agitur per ſe de generatione, & corruptione omnium corporum, & non ſolum de elementis: imo per ſe etiam agitur de augmentatione, quæ non conuenit propriè elementis, ſed mixtis viuentibus tantum: ergo elemẽtum non poteſt eſſe adæquatum obiectum huius operis. Nec etiam comprehendit omnia, quæ tractantur in hoc opere, corpus vt generabile, & corruptibile quod ponit pro obiecto tertia opinio, quia ratio ſub qua agitur de corpore naturali vniuerſalior eſt, nempe vt habet principium non ſolum generationis, & corruptionis, ſed alterationis, & augmentationis: ergo ſolum vt generabile, & corruptibile non poteſt eſſe adæquatum obiectum, ſed ad ſummum principale: quia generatio præcipua mutatio eſt ad quam aliquo modo ordinantur cætera. Sed nec eadem generatio, & corruptio quas ponit ſecunda opinio, habent primam conditionem, quia non continentur directè, & per ſe ſub obiecto totius Philoſophiæ, quod eſt ens naturale, ſed proprietates quædam, vel accidentia eius ſunt, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo repugnat eſſe obiectum huius operis. Vnde ſequitur ſolum eſſe ens naturale, vt habet principium motus ad formam, quia in eo tantum concurrunt duæ illæ conditiones: nam directè, per ſe, & formaliter continetur ſub obiecto totius Philoſophiæ naturalis, quod eſt ens mobile, aut ens naturale; & formaliter continet omnia, quæ in hac parte tractantur.

5 *Ad teſtimonium primæ opinionis concedendum eſt: quod de elementis appelletur ab Ariſtotele opus hoc: ſed neganda eſt conſequentia, quod ideo ſit adæquatum obiectum, quia ſatis eſt de elementis aliquo modo agere, vt tale poſſit appellari aliquando opus: non requiritur, quod de eis tamquam de obiecto adæquato agatur. Et eodem modo concedenda eſt*

tota ratio

tota ratio eiuſdem opinionis: ſed neganda conſequentia vltima, quod de corpore ſimplici, vt mobili ad formam agatur in hac parte Philoſophiæ, vel in alijs tanquam de obiecto adæquato, ſed in hoc agitur per ſe tamquam de parte obiecti adæquati.

Ad argumentum ſecundæ opinionis concesſo antecedẽti, quod de generatione inſcribatur opus, neganda eſt conſequẽtia, quod generatio, & corruptio ſint obiectum adæquatum, ſed ſolum ſunt ratio quædam obiecti principalis, à quo ſumitur denominatio.

Ad argumentũ tertiæ opinionis concedenda eſt maior, & minor, ſed neganda conſequentia: nam illæ duæ cõditiones non ſufficiunt ad conſtituendum adæquatum obiectum, quia non continent omnes rationes ſub quibus, in hoc opere agitur de ente naturali: ſufficere tamen poſſunt ad obiectum principale, quod concedimus eſſe ens naturale, vt generabile, & corruptibile.

Diuiſio primi Libri.

QVamuis decem habeat capita liber primus, in quatuor præcipua membra diuidi poteſt: quia quatuor ſunt præcipua in eo explicata ab Ariſtotele, nempe alteratio, generatio, augmentatio, & mixtio, ad quæ reducuntur actio & reactio, paſſio, & approximatio agentis ad paſſum neceſſario ad illas requiſita. 6

LIBER PRIMVS ARISTOTELIS DE ORTV, & interitu rerum naturalium, seu de generatione, & corruptione earum.

CAPVT PRIMVM.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De generatione autem, & corruptione, quæ naturâ generantur, & corrumpuntur, &c.

Breuis expositio textus.

7 VNIVERSALE intentum Aristotelis est in quatuor capitibus primis huius libri probare, quod detur generatio substantialis, per quam res naturales secundum substantiam de nouo fiant, & ostendere, quid sit hæc generatio substantialis & quomodo à cæteris mutationibus, præsertim ab alteratione distinguatur. Vt autẽ hoc efficiat, proponit prius sententias antiquorum Philosophorum; quibus refutatis ex propria vtrumque docet.

Intentum igitur huius primi capitis est afferre duas opiniones antiquorum Philosophorum de principiis rerum naturalium, secundum quas, quidam eorum non poterant distinguere generationem ab alteratione; alij verò distinguere quidem poterant; sed verè non solum non distinguebant eas, sed alterationem omnino tollebant; & sibi erant contrarij in his, quæ asserebant: & ideo in duas partes diuidetur caput, nam in priori affertur, & refutatur prima, in posteriori secunda.

Prima opinio antiquorum circa principia rerum naturalium fuit, quod vnum tantum esset principium immobile, & perpetuum, ex quo omnia fierent, & illud quidem ens actu, atque completum, vt ex 1. lib. Phys. constat. Hos verò Philosophos ait, non posse distinguere generationem ab alteratione, quod

quod ita probat. Si vnum tantum datur principium immobile,& perpetuum,quod ſit ens actu, ergo non poteſt tranſmutari ſecundum ſubſtantiam, quia iam deſineret eſſe: ſolum ergo poſſet tranſmutari ſecundum diuerſas qualitates. Probatur conſequentia,quia ſi erat immobile,non poterat mutari ſecundum locum; & cum eſſet vnum ſemper manens, non poterat mutari ſecundum quantitatem, quia mutatio ſecundum quantitatem,quæ eſt augmentatio ſimul fit cum mutatione ſubſtantiali,quæ eſt nutritio;quare iam ſuſciperet mutationem ſecundum ſubſtantiam, & ideo non eſſet omnino inuariabile ſubſtantialiter eo modo, quo illud ponebant. Sed mutatio ſecundum diuerſas qualitates eſt alteratio; ergo quidquid fiebat ex illo,per ſolam alterationem fieri poſſet, & hæc eſſet generatio, & ideo non diſtingueretur generatio ab alteratione.

Secunda opinio fuit aliorum, qui ponebant plura principia materialia, vt Empedocles, & Anaxagoras quatuor elementa; alij vero infinita quædam corpuſcula indiuiſibilia, quæ vocabant athomos,vt ex eodem 1.lib.Phyſicorum patet.Et iſti bene poterãt diſtinguere generationẽ ab alteratione (inquit Ariſtoteles,) quia per cõgregationem elementorũ in quoddam chaõ, (quam vocabat amicitiam)dicebat Empedocles res generari;& per ſeparationem ab eodem chao (quam vocabat litem corrumpi:)& ab illo chao procedere diuerſas,non ſolum ſecundum ſubſtantiam;ſed etiam ſecundum qualitates,quia ignis genitus procedebat calidus; & terra ſicca,& dura: diuerſitas autem ſecundum qualitates pertinet ad alterationem. Sed reuera non diſtinguebat generationem ab alteratione, imo potius tollebat alterationem, quia exiſtimabat qualitates elementorum eſſe formas ſubſtantiales eorũ, & ex alia parte aſſerebat non tranſmutari elementa ſecundum formas ſubſtantiales,quia ſunt prima principia immutabilia,ex quibus cætera fiunt:præterea non poteſt dari alteratio, neque vlla mutatio, niſi detur vnum ſubiectum permanens ſub terminis contrariis, inter quæ verſari debet;ſed Empedocles non ponit tale ſubiectum commune, ſed plura principia materialia diuerſa:ergo nec poteſt ponere alterationem. Vnde ſequitur nec variari ſecundum qualitates, quod eſt non alterari, quia alteratio eſt variatio ſecundum qualitates. 8

Probat tandem Ariſtoteles,quod in his,quæ Empedocles dicebat, continebatur cõtradictio, quia ex vna parte dicebat elementa fieri vnum quid per coniunctionem in chao illo, generari vero,atque procedere diuerſa ex eodem chao,vt ignem calidum; & aquam frigidam: ex alia vero parte non tranſmutari

Digitized by Google

ſecundum ſubſtantiam, nec vnum fieri ex altero; ſed non poſſunt fieri vnum quid per coniunctionem in chao, niſi corrumpantur; cum ex propria natura ſint diuerſa & contraria, nec poſſunt procedere diuerſa ſecundum ſubſtantiam, niſi ex illo vno generentur, quod eſt generari, quodlibet ex altero: ergo ſibi ipſi contrarius eſt.

CAPVT II.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Omnino itaque de generatione, & corruptione ſimplici dicendum eſt, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtentum huius capitis eſt tradere duas alias opiniones antiquorum Philoſophorum circa naturam generationis, & eas refutare. Diuiditur autem in duas partes; in prima tradit vtramque opinionem, aſſeritque minus falſam eſſe ſecundam, quàm primam: in ſecunda affert rationem ſecundæ, & ſoluit falſitatem quæ eiuſdem opinionis oſtendit.

9 Communem ferè ſententiam fuiſſe aſſerit antiquorum Philoſophorum, res omnes generari per congregationem quarumdam magnitudinum indiuiſibilium, & corrumpi per ſeparationem earum. Sed Plato, & eius diſcipuli dicebant has magnitudines eſſe ſuperficies indiuiſibiles; Democritus verò, & Leucipus eſſe indiuiſibilia corpora, quæ vocabant athomos. Quorum ſententiam minus eſſe falſam docet, quàm ſententia Platonis, quia nec generatio, imo neque vlla mutatio phyſica intelligi poteſt ex ea: quod ſic probat. Ex ſuperficiebus congregatis non poteſt fieri aliquod ens phyſicum, ſed ſolum figuræ mathematicæ abſtrahentes à materia ſenſibili, quemadmodum neque ex lineis, niſi triangulus, vel quadrangulus, & ex conſequenti nec aliqua mutatio phyſica circa corpora; ergo non eſt intelligibilis ex ea natura generationis, aut alterationis, Opinio autem Democriti generationem, & corruptionem ponere poteſt: nam cum ex paruis corporibus res naturales componi doceat, aſſerere poteſt, quod per diuerſam diſpoſitionem, & conuerſionem athomorum tranſmutentur ſecundum diuerſa accidentia, vt ſecundum diuerſos colores, aut figuras, quemadmodum diuerſi colores apparent in collo columbæ ex diuerſa

ma, & deficiens, qui modo fit habendi ad habere. & hæc
quidem ex Aristotele. Sed Scotus, & Scotistæ, ut ostendimus
primo libro distinctione. 18. in habitu non ponunt aliquam
formam extrinsecam adventitiam, ex quibus habitus super-
addatur.

Ratio autem, quia Deus non potest facere aliquid, quin
eo ipso ponat omnia quæ ad illud aliquo modo pertinent: sed
habitus aliquo modo pertinet ad actum, quem causat: ergo
quicquid ponitur in habitu, ponitur in actu. Et ideo quia
in actu non ponitur aliqua forma extrinseca, quæ sit ratio
actui superaddita, ut ostendimus in primo libro distinctione
17. ideo nec in habitu ponitur aliqua forma extrinseca, quæ
ponitur in habitu, ponitur in actu. Sed quia ponitur in actu
aliquid, quod non est ratio actui superaddita, ideo ponitur
in habitu aliquid, quod non est habitui superadditum. Et
sic habitus non est aliquid præter actum, sed est ipse actus
aliter se habens, quam ante fuerit. Et ideo habitus non
est aliquid præter actum, sed est ipse actus aliter se habens,
quam ante fuerit. Et ideo habitus non est aliquid præter
actum, sed est ipse actus aliter se habens, quam ante fuerit.
Et ideo habitus non est aliquid præter actum, sed est ipse
actus aliter se habens, quam ante fuerit. Et ideo habitus
non est aliquid præter actum, sed est ipse actus aliter se
habens, quam ante fuerit. Et ideo habitus non est aliquid
præter actum, sed est ipse actus aliter se habens, quam ante
fuerit. Et ideo habitus non est aliquid præter actum, sed
est ipse actus aliter se habens, quam ante fuerit. Et ideo
habitus non est aliquid præter actum, sed est ipse actus
aliter se habens, quam ante fuerit. Et ideo habitus non
est aliquid præter actum, sed est ipse actus aliter se habens,
quam ante fuerit. Et ideo habitus non est aliquid præter
actum, sed est ipse actus aliter se habens, quam ante fuerit.

Hic autem quæritur difficultas, & dubitatio, quæ
dam fuerat supra dicta de habitu, an scilicet habitus sit
aliquid præter actum, vel non. Et videtur, quod habitus
non sit aliquid præter actum, sed est ipse actus aliter se
habens, quam ante fuerit. Et ideo habitus non est aliquid
præter actum, sed est ipse actus aliter se habens, quam ante
fuerit. Et ideo habitus non est aliquid præter actum, sed
est ipse actus aliter se habens, quam ante fuerit. Et ideo
habitus non est aliquid præter actum, sed est ipse actus
aliter se habens, quam ante fuerit. Et ideo habitus non
est aliquid præter actum, sed est ipse actus aliter se habens,
quam ante fuerit. Et ideo habitus non est aliquid præter
actum, sed est ipse actus aliter se habens, quam ante fuerit.

set completa, aut totaliter facta, sed quod semper sit aliquid eius factum,& aliquid restet semper faciendum;& in hoc sensu verum est.Ex quo non sequitur continuum resolui per diuisionem in nihilum, nec in solas qualitates, nec etiam in indiuisibilia corpora, vel athomos, sed in corpora, vel partes diuisibiles in infinitum, ex quibus componitur, & non ex athomis, vt asserebat Democritus.

CAPVT III.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Determinatis autem his, primo speculandum vtrum sit aliquid, quod generatur simpliciter, &c.

Breuis expositio textus.

11 PRopositis iam, atque refutatis opinionibus antiquorum Philosophorum circa generationem substantialem, quam vult Aristoteles distinguere ab alteratione,intendit in hoc tertio capite ostendere, quod detur talis generatio substantialis, per quam aliquid dicatur generari simpliciter.Diuiditur autem caput in tres partes;in prima proponit quæstionem hanc;vtrum aliquid generetur simpliciter hoc est, an fiat,cum prius non esset simpliciter;vel nihil genetur simpliciter; sed tantum secundum quid, ita vt prius esset simpliciter, fiat autem sub aliquo accidenti,nempe album,vel sciens. In secunda proponit, & soluit duo dubia valde necessaria ad solutionem eiusdem quæstion.& in tertia soluit quæstionem,& respondet argumento.

Quæstio igitur est,an verum sit aliquid simpliciter generari, hoc est fieri cum prius non esset simpliciter? Et videtur(ait Aristoteles) quod non, propter hoc argumentum: quia si aliquid generatur simpliciter;ergo fit simpliciter ens:sed quod fit,debet fieri ex suo contrario:ergo ens simpliciter fit ex non ente simpliciter,hoc autē est impossibile:ergo repugnat quod generetur ens simpliciter. Probat hanc vltimam minorem;quia id ex quo aliquid fit,permanet in re facta;& hæc de illo prædicatur.Quēadmodum lignū ex quo fit statua, permanet in ea,& eadem statua prædicatur de ligno,dum dicimus,lignū est statua. Sed non ens simpliciter non manet in ente simpliciter, neq; hoc prædicatur de illo,cū sint cōtradictorie oppositæ;ergo non poterit ex eo generari.Et hoc in prima parte capitis.Vt autē meli⁹ soluere

possit,

poſſit hanc quæſtionem, proponit in ſecunda parte duo dubia; primum eſt, quænam ſit cauſa ob quam generatio ſit ſemper, ita vt nunquam ceſſent generationes? & ait, ſe non inquirere cauſam efficientem, quia 8.lib.Phyſicorum eam tradidit; probans dari vnum primum motorem ſemper mouentem,& vnum primum mobile ſemper motum, ex cuius motu perpetuò cauſatur perpetuitas generationum;ſed cauſam materialem, quam probat non dari hoc argumento. Sicut in generatione fit ens ſimpliciter ex non ente ſimpliciter, ita in corruptione deſinit ens ſimpliciter in non ens: ergo deſinit in nihilum, quare aliqua entitas conſumitur in ſingulis corruptionibus:ſed tota entitas ex qua conſtat mundus eſt finita; ergo tandem conſumetur, & ceſſabunt proinde generationes:probatur conſequentia, quia omne finitum per ablationem finiti tandem conſumitur. Et ſi dicatur primo, materiam ex qua fiunt res naturales eſſe 13
actu infinitam, vt dixerunt quidam ex antiquis Philoſophis ponentes vnum principium materiale actu infinitum; & ideo nunquam conſumi, etiam ſi in infinitum extrahantur partes pro ſingulis generationibus. Contra hoc eſt, inquit Ariſtoteles, quod non eſt poſſibile dari infinitum actu, vt in 3.lib.Phyſ. probatum eſt. Et ſi dicatur ſecundo, quod licet materia ſit actu finita, non conſumetur per continuas generationes, quia non extrahuntur ab ea partes æquales pro ſingulis generationibus, ſed minores ſemper, quæ appellantur proportionales, quia minores ſemper res generantur, quàm prius generabantur, ad quod ſufficit eſſe infinitam in potentia, vt patet in diuiſione continui, cuius diuiſio in infinitum procedere poteſt, licet actu ſit finitum, quia eſt infinitum in potentia, & diuiſio non fit per partes æquales, ſed proportionales. Reſpondet Ariſtoteles neque hoc ſufficere, quia ſi per ſingulas corruptiones conſumitur aliquid materiæ, & per ſingulas generationes aliquid extrahitur, licet ſit ſemper minor pars, quæ conſumitur, & extrahitur, diſtincta tamen omnino ab ea, quæ prius conſumpta, atque extracta fuit, & non includens eam; quare neceſſe eſt conſumi materiam per partes aliquotas, licet vna ſit minor alia, & non per proportionales, ſicut fit diuiſio continui; & ideo tandem conſumi, cum actu finita ſit.

His autem ſolutionibus refutatis reſpondet Ariſtoteles, ge- 14
nerationes poſſe eſſe perpetuas, quia generatio vnius rei eſt corruptio alterius, ita vt non introducatur vna forma in materia per generationem, quin ab eadem expellatur alia per corruptionem permanente tamen eadem materia, à qua vna expellitur, & in qua alia introducitur, & ita finita materia ſufficit

pro perpetuis generationibus, quia nihil eius desinit, aut consumitur.

15 Secundum dubium est; si generatio vnius est corruptio alterius, quare quædam dicuntur generari simpliciter, alia verò non, nisi secundum quid? vt dum fit homo, & corrumpitur embrio, dicimus hominem simpliciter generari: & ex opposito dum definit homo, & fit cadauer generari simpliciter, sed corrumpi hominem simpliciter, & cadauer secundum quid generari. Atque etiam dum fit homo sciens, vel albus, non dicimus hominem generari simpliciter, vel fieri, sed fieri scientem, vel album. Et respondet, hoc iudicandum esse ex termino ad quem generationis, hoc est ex re, quæ generatur, vel corrumpitur, non solum in his, quorum vnum generatur ex alio, vel corrumpitur in aliud, sed etiam in aliis, quorum nec vnum generatur ex altero, neque in illud corrumpitur; nam si id quod generatur est ens perfectum, dicitur simpliciter generari, vel corrumpi; si verò sit imperfectum, non nisi secundum quid. Vt dum fit homo, dicimus aliquid simpliciter generari, & non dicimus aliquid corrumpi simpliciter, licet corrumpatur embrio: atque etiam dum definit homo, dicimus aliquid simpliciter corrumpi, & non dicimus aliquid simpliciter generari, licet fiat cadauer, quia homo est perfecta substantia, & perfectum ens, à quo generatio, & corruptio denominationem accipiunt simpliciter; embrio verò, & cadauer imperfecta, & quasi incompleta, & quæ nec denominant generationem, nec corruptionem simpliciter, vel etiam dum fit ens sensibile, vulgo dicitur generari simpliciter, non verò si fiat ens, quod sensu non percipitur, vt si fiat ignis, vel aqua dicitur aliquid generari simpliciter, si vero fiat aër, (qui non sentitur) non concedunt generari aliquid, quia errore decepti putant, non esse entia, nisi ea, quæ sensu percipiuntur; cum tamen contrarium potius verum sit, quod minus sensibilia sunt entia magis perfecta: in his etiam, quorum vnum non fit ex altero, dicitur aliquid simpliciter generari, si generetur id, quod simpliciter est ens, nempe substantia, & non nisi secundum quid, si generetur accidens, quia non est ens simpliciter, sed secundum quid, & supponit subiectum iam factum, quod est substantia, & ens simpliciter. Vt dum fit homo, vel equus, dicimus generari simpliciter; dum vero fit album, vel sciens, non nisi secundum quid, quia supponitur homo, vel corpus, & solum fit sub albedine, vel scientia, quòd est fieri secundum quid.

16 Ex solutione horum dubiorum respondet in vltima parte ad quæstionem in principio propositam, nempe, an aliquid

dicatur

dicatur generari ſimpliciter : affirmatiuè, quod aliquid generatur ſimpliciter. Quod probat: quia productio entis ſimpliciter, nempe ſubſtantiæ ex materia tanquam ex ſubiecto, & ex priuatione formæ exiſtente in eadem materia, tanquam ex termino à quo eſt generatio ſimpliciter; ſed talem productionem dari conſtat, dum fit ignis ex materia ligni, in qua eſt priuatio eiuſdem formæ ignis; ergo verum eſt aliquid generari ſimpliciter. Probat minorem, quia ignis, qui fit, eſt ſubſtantia, & ideo ens ſimpliciter; & eius productio ſimpliciter generatio.

Ad primum autem argumentum in contrarium propoſitum 17
reſpondet, generari ens ſimpliciter ex materia, quæ eſt non ens ſimpliciter, hoc eſt, non ens actu, ſed eſt ens ſecundum quid, hoc eſt ens in potentia: quare non generatur ex omnino non ente, ſed ſolum ex non ente actu, vel tali, & proinde non ex nihilo: & hoc ens in potentia ex quo generatur manet in re genita, eam componens: neque hoc repugnat, quia ſolum opponuntur contradictoriè ens, & non ens, quod eſt nihil. Sed aduerſus hanc ſolutionem arguit Ariſtoteles hoc modo. Si ens ſimpliciter generatur ex ente in potentia, & non ex ente in actu; ergo generatur ex non ſubſtantia; vel ergo hæc materia, quæ eſt non ſubſtantia actu, eſt aliquod aliorum prædicamentorum actu, nempe quantum, vel quale, aut non; ſi nihil horum ſit; ergo nihil eſt actu, & ideo ex nihilo fiet id, quod generatur; & ſi aliquid horum actu ſit, cum non ſit ſubſtantia actu erit accidens, & dabitur accidens extra ſubiectum. Et reſpondet, materiam non eſſe ita ſubſtantiam in potentia, vt nullo modo ſit actu ſubſtantia, ſed eſt ſubſtantia in ſuo ordine determinata, ſed completa ſolum in potentia; per generationem vero fit ſubſtantia actu in eodem ordine ſecundum naturam formæ, cui coniungitur, & eadem materia ſecundum ſe eſt entitas ſubſtantialis actualis receptiua formæ, quod eſt eſſe potentiam realem ad illam, nec eſt actuale quid aliorum prædicamentorum.

CAPVT IIII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De generatione autem, & alteratione dicamus quid differunt, &c.

Breuis

Breuis expositio textus.

18 INtentum huius capitis est assignare differentiam inter generationem, & alterationem. Diuiditur autem in duas partes, in prima præsuppositis duobus fundamentis docet, quid sit generatio, & quid alteratio: in secunda breui quodam dubio proposito, & soluto, duas ponit differentias inter generationem,& alterationem.

Primum fundamentum,quod præsupponit est,subiectum, & passionem,seu qualitatem ei inhærentem diuersa esse,vt homo qui subiectum albedinis est, diuersum quid est ab eadem albedine,sicque de cæteris subiectis,& qualitatibus.Secundum fundamẽtum est,circa vtrumque fieri mutationem, nemque circa subiectum,& qualitaten & circa subiectum quidem fit,quando substantia producitur per generationem,vt quando producitur ignis, vel aqua: circa qualitatem vero, quando producitur in subiecto præexistente,vt quando dealbatur homo.Hoc supposito asserit alterationem esse mutationem circa qualitatem eodem subiecto sensibili permanente sub vna, & altera; vt dum aqua calefit,cum prius esset frigida, dicimus alterari,quia mutatio fit circa qualitates eius, non circa substantiam, sed hæc integra manet sub frigore,& calore: & quia substantia corporea est habens accidentia,per quæ sentitur,verum est in alteratione permanere idem subiectum sensibile. Generatio vero est mutatio circa substantiam, vel subiectum, & ideo non manet idem subiectum sensibile,sed corrumpitur, & fit aliud nouum, vt dum ex ligno generatur ignis,mutatio fit circa substantiam ligni,quare non permanet idem lignum. Ex quibus hanc definitionem generationis colligunt interpretes, *Generatio est mutatio huius totius in hoc totum nullo sensibili subiecto permanente eodem.* Hoc est mutatio huius substantiæ in hanc substantiam non permanente eadem,sed corrupta vna, & genita alia. Tunc autem maxime fieri generationem asserit secundum opinionem vulgi,quando ex substantia insensibili, vel parum sensibili fit substantia sensibilis,vel magis sensibilis, vt dum ex aëre,qui minus sensibilis est, fit aqua:putat enim vulgus magis sensibilem substantiam perfectiorem esse.

19 Sed quia posset aliquis dubitare, an in generatione fiat mutatio solum circa substantiam, vel etiam circa qualitates?Respondet Aristoteles in secunda parte capitis,circa aliquas qualitates mutationem fieri,nempe circa eas, quæ diuersæ rationis sunt in genito,& corrupto;aut etiam cõtrariæ:circa alias verò, quæ sunt eiusdem rationis non fieri mutationem:gratia exempli, si

pli, ſi ex aëre fiat aqua, non mutatur humiditas in contrariam qualitatem, videlicet in ſiccitatem, ſed cum eſſet in aëre, permanet in aqua, mutatur tamen calor, qui erat in aëre in frigiditatem contrariam. An verò qualitas communis genito, & corrupto permaneat in vtroq. eodem numero, vel eadem tantum ſpecie, ſtatim diſputabitur.

Aſſignat tãdem duplicem differentiam inter generationem, & alterationem; prior eſt ex parte termini per vtramque producti; poſterior ex parte ſubiecti: ex parte quidem termini producti differũt, quia quando per mutationem producitur quantitas, eſt augmentatio; quando producitur Vbi, eſt latio; ſeu localis motus; quando producitur qualitas, eſt alteratio; & quãdo producitur forma ſubſtantialis conſtituens ſubſtantiam, eſt generatio, vt quando ex aëre producitur aqua. Itaq; alteratio eſt mutatio ad qualitatẽ, & generatio eſt mutatio ad ſubſtantiam. Secundò differunt circa ſubiectum, quia ſicut materia prima, quæ eſt pars ſubſtantiæ, eſt primum ſubiectum ſuſceptiuum formæ, ita eſt ſubiectum immediatè ſuſceptiuum generationis, alteratio vero non habet pro immediato ſubiecto materiam primam nudam, ſed iam informatam forma ſubſtantiali, quo pacto vocatur materia ſecunda.

Tractatus I. De generatione ſubſtantiali.

IDeo ſententia Ariſt. horum capitum à primo vſque ad quartum ſimul à nobis explicata eſt, quia in omnibus agit de generatione & corruptione; vt explicata natura vtriuſque eas diſtinguat ab alteratione, quæ ideo non poteſt plenè intelligi, niſi integra ſententia eius percipiatur. Circa hæc igitur quatuor capita tres tractatus inſtituimus; primum de generatione ſubſtantiali, in quo ſuo ordine explicabuntur, quæ ad naturam eius pertinent, atque etiam modus, quo ab alteratione diſtinguatur: ſecundum, de corruptione etiam ſubſtantiali; poſtremum vero, de his, quæ ad alterationem pertinent. Licet autem nonnulli ex modernis alium ſequantur ordinem, prius de alteratione diſputantes, poſterius vero de generatione, & corruptione, quia alteratio tempore præcedit generationem; cum per eam diſponatur materia ad receptionem formæ, & generationem compoſiti: nos vero ordinem potius Ariſtot. ſequimur, qui prius de generatione, & corruptione egit; deinde vero de alteratione: & merito quidem, quia non ſolum nobilior eſt generatio, ſed ex explicatione eius melius intelligitur natura alterationis.

QVÆ

QVÆSTIO I.

An detur in rerum natura generatio, & corruptio ſubſtantialis?

21 PRima ſententia communis ſatis inter Philoſophos Platone,& Ariſtotele antiquiores fuit, quod nulla detur generatio, aut corruptio ſubſtantialis. Ita Anaxagoras, Empedocles, Leucipus,Democritus, & alij,quos citat Ariſtot. hoc loco,& 1. lib.Phyſicorum in principio. Quorum potiſſimum fundamentum erat, quod vnum tantum principium rerum naturalium datur; vel ſi plura,illa ſunt entia, actu, & corpora quædam,quæ variis tranſmutationibus ſubduntur ſecundum congregationem,vel ſeparationem inter ſeſe, aut ſecundum rarefactionem, vel condenſationem, non verò ſecundum ſubſtantiam, ita vt vnum corrumpatur ſecundum ſubſtantiam, vel deſinat eſſe, & aliud de nouo generetur ſubſtantialiter. Ex quo factum eſt, vt mutationem ſubſtantialem non cognouerint, ſed accidentales tantum ſecundum diuerſas qualitates, quæ verè appellantur alterationes,& hoc eſt,quod aſſerit Ariſtoteles in his capitibus eos non diſtinxiſſe generationem ab alteratione. Argumẽtum igitur eorum hoc erat; res naturales ſecundum ſubſtantiam non ſunt compoſitæ ex multis principijs ſubſtantialibus quaſi ex partibus,ſed ſubſtantia earum ſimplex eſt: ergo neceſſe eſt, vel totam deſinere,vel totam permanere;ſed ſi tota deſinat,nihil eius permanebit;ergo deſitio eius ad nihilum terminabitur. Et etiam ſi tota fiat per generationem ſubſtantialem, ex nihilo ſui fiet:ex nihilo autem nihil poteſt fieri,neque in nihilum poteſt res deſinere:ergo impoſſibile eſt naturaliter, quod aliquid generetur, vel corrumpatur ſecundum ſubſtantiam; ſed ſolum mutari poterunt res naturales ſecundum diuerſa accidentia quæ ex congregatione, vel ſeparatione in eis fiunt, vel ſecundum raritatem, aut denſitatem; & ex conſequenti impoſſibile eſt generatio ſubſtantialis, ſed accidentalis ſolum
22 admittenda eſt. Et ſi dicatur res naturales non eſſe ſimplices, ſed compoſitas ex materia,& forma. Contra hoc eſt, quia res compoſita non poterit produci de nouo, niſi omnes partes eius de nouo producantur, à quibus habet eſſe:ſed materia ſaltem non poteſt produci de nouo,dum res generatur;ſed ſupponitur producta à ſolo Deo per creationem:ergo non eſt producibilis per generationem ſubſtantia compoſita: & cum repugnet magis,ſubſtantiam ſimplicem generari,non erit poſſibilis

genera

Digitized by Google

generatio ſubſtantialis. Secundo probatur : quia ſi datur generatio ſubſtantialis : producetur per eam ſubſtantia, quæ eſt ens ſimpliciter : ſed ens ſimpliciter non poteſt produci, niſi ex non ente ſimpliciter : cum quodlibet debeat fieri ex ſuo oppoſito,& ex non ente ſimpliciter non poteſt aliquid generari : ergo impoſſibilis eſt generatio. Probatur minor,quia non ens ſimpliciter eſt nihil, & ex nihilo nihil generari poteſt, Tertio, quia vel per generationem producitur ſubſtantia ſecundum eſſentiam, vel ſecundum exiſtentiam : neutro modo produci poteſt : ergo nec erit poſſibilis generatio.Probatur minor,quia eſſentiæ ſunt perpetuæ : ergo non poſſunt produci de nouo ſubſtantiæ quantum ad eſſentiam:exiſtentia vero extra eſſentiam ſubſtantiæ eſt: nam vel eſt accidens,vel ad ſummum modus ſubſtantialis:ergo ſi ſolum producuntur res quantum ad exiſtentiam, nulla ſubſtantia noua producetur,ſed accidens eius,vel modus.

Secunda ſententia aſſerit ponendam eſſe generationem, & 23
corruptionem ſubſtantialem, per quas res naturales fiunt de nouo ſecundum ſubſtantiam, & etiam ſubſtantialiter deſinunt eſſe. Ita Plato in Timæo, Ariſtot. 1.5. & 8.lib. Phyſ. in his quatuor capitibus, & pluribus aliis ſuæ doctrinæ locis, & cum eo tota eius ſchola Peripatetica. Probatur primo ex tribus principiis 1. lib, Phyſ. tamquam certiſſimis in Philoſophia naturali præſuppoſitis, & explicatis. Primum eſt,res naturales compoſitas eſſe ex duobus principiis diſtinctis, nempe materia, & forma, quorum primum ſe habet tamquam potentia, aliud vero tamquam actus. Secundum principium eſt, materiam non eſſe producibilem per generationem, quia eſt primum ſubiectum, ex quo fiunt omnia, & ideo à ſolo Deo producibilis ex nihilo per creationem : tertium,formas omnes educi de potentia eius, præter animam rationalem,quæ creatur à Deo in eadem materia diſpoſita ab agente naturali. Ex his autem principiis hoc argumentum colligitur:forma ſubſtantialis diſtincta à materia educitur de potentia eius, & per eductionem acquirit nouum eſſe actuale : cum prius ſolum haberet eſſe in potentia materiæ, ſic autem educta recipitur in eadem materia, cui coniungitur, tanquam actus ſubſtantialis potentiæ ſubſtantiali, & ideo ex coniunctione vtriuſque reſultat compoſitum ſubſtantiale nouum, quod prius non erat:hæc autem eductio formæ, & vnio ſubſtantialis cum materia eſt mutatio ſubſtantialis eiuſdem materiæ à priuatione eiuſdem formæ ad eamdem formam, & compoſitum ex vnione reſultans : ergo eſt generatio ſubſtantialis totius nouæ ſubſtantiæ : quare neceſſe eſt dari generationem ſubſtantialem,

Digitized by Google

24 Probatur ſecundò euidenti experientia, quia videmus granum tritici terræ mandatum putrefieri, & corrumpi; atque ex eo corrupto pullulare ſpicam, & in ea noua quædam alia grana diſtincta à corrupto non ſolum ſecundum accidentia, ſed ſecundum entitatem, & ſubſtantiam: ergo datur corruptio vnius ſubſtantiæ, & generatio alterius.

Tertio probatur ex proprietatibus, & operationibus de quibus euidens eſt dimanare à ſubſtantia rerum, quibus conueniunt; ſed conſtat euidenti experientia proprietates, ſeu paſſiones, & operationes, quas vna res habuit; non ſolum ei iam non conuenire, ſed nec conuenire poſſe per virtutem totius naturæ: ergo neceſſario concedendum eſt rem illam ſubſtantialiter deſinere; cui eo modo deficiunt proprietates, & operationes: & in aliam ſubſtantiam tranſiſſe per corruptionem & generationem ſubſtantialem. Probatur minor in morte hominis, vel leonis per quam factum eſt, vt corpori remanenti iam non conueniant propriæ paſſiones ſenſibilitatis, aut riſibilitatis, vel admirationis: nec etiam operationes ſentiendi, aut ridendi, nec eſſe poteſtatem in tota natura per quam ei poſſint reſtitui vllo vnquam tempore: ergo euidens ſignum à poſteriori eſt, quod non ſit eadem ſubſtantia, quæ prius erat, ſed in aliam inſenſibilem eſſe mutatam per corruptionem, & generationem ſubſtantialem.

25 Ad argumentum antiquorum Philoſophorum neganda eſt maior, quod res naturales ſint ſubſtantiæ ſimplices, vel quod vno tantum ſimplici principio conſtent: ſed vtrumque horum eſt apertè falſum, quia experientia conſtat proprias paſſiones, & operationes rei naturalis, quæ à forma, & ſubſtantia eius tamquam à radice procedunt prorſus deficere, & ex conſequenti deficere formam ſubſtantialem: aliquid tamen eiuſdem ſubſtantiæ remanere, quod eſt materia ſub alia noua forma. Ex quibus ſequitur nec vno tantum principio ſubſtantiali conſtare, ſed duobus, nempe forma, & materia: nec eſſe ſimplices ſubſtantias, ſed ex vtroque compoſitas, & ideo generabiles, & corruptibiles: quare neceſſe eſt dari generationem, & corruptionem ſubſtantialem.

Ad aliud vero de partibus neganda eſt maior, quod neceſſe ſit, vt totum dicatur produci de nouo, quòd omnes eius partes de nouo producantur; imo etiam ſi nulla pars producatur de nouo, produci poteſt totum: cuius ratio eſt, quia totum eſt ſubſtantia illa completa, quæ reſultat ex ſubſtantiali vnione partium, de qua verum eſt, quod ante vnionem non erat, licet eſſent omnes partes, ex quarum vnione reſultat. Quod manifeſtum

ſtum eſt in reſurrectione: per quam verum eſt hominem de nouo incipere, quia iam non erat, licet eſſent partes eius ſeparatæ, nempe anima, & corpus.

Ad ſecundum diſtinguenda eſt minor ex parte illius termini, ex non ente ſimpliciter, qui duobus modis ſumi poteſt; primo, vt eſt negatio totius entitatis; ſecundo, vt ſolum negat ens in actu: & in prima ſignificatione conuertitur cum nihilo; & verum eſt quod ex non ente ſimpliciter nihil poſſit fieri per generationem: falſum verò quod ens ſimpliciter, hoc eſt ſubſtantia, debeat fieri ex non ente ſimpliciter. In prima autem ſignificatione concedendum eſt, quod ens ſimpliciter, vel ſubſtantia debeat fieri ex non ente ſimpliciter, hoc eſt ex non ente in actu, ſed ſolum in potentia, quod eſt materia prima: negandum vero quod ex non ente ſimpliciter ſic acceptum nihil poſſit fieri per generationem. 26

Ad tertium neganda eſt minor, quòd nec fiat ſubſtantia per generationem ſecundum eſſentiam, nec ſecundum exiſtentiam, ſed vtroque modo fit; ita quidem vt eſſentia ſit terminus factus, exiſtentia verò modus ſub quo fit, vel ratione cuius fit extra cauſas. Et cum dicitur eſſentias eſſe æternas, diſtinguendum eſt, quia dupliciter poteſt ſumi eſſentia; primò ſecundum connexionem prædicatorum eſſentialium abſtrahentium ab exiſtentia actuali; imo ab entitate reali extra cauſas; ſecundò, pro natura reali extra cauſas ex ſuis principiis eſſentialibus compoſita, & ſub prima acceptione perpetuæ ſunt eſſentiæ, & de nouo fieri non poſſunt: ſub ſecunda verò perpetuæ non ſunt, ſed de nouo poſſunt incipere, atque de nouo produci per generationem, vel creationem, iuxta earum naturam, & conditionem.

QVÆSTIO II.

Quid ſit generatio ſubſtantialis?

VT intelligatur ſenſus quæſtionis, explicare oportet diuerſas acceptiones generationis. Primo enim accipitur prout commune quid eſt ad generationem ſubſtantialem, & accidentalem, in qua ſignificatione loquitur de ea Ariſtot. 5. lib. Phyſ. cap. 1. tex. 7. dicens eſſe mutationem de non ſubiecto in ſubiectum; hoc eſt à termino à quo negatiuo in terminum ad quem poſitiuum; vt à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, vel à non eſſe tali ad eſſe tale: & hæc nõ eſt propria acceptio eius. Sed ſecundo accipitur propriè pro ſola ſubſtãtiali, ſiue per eã fiat ſubſtãtia viuẽs, vel non viuens, vt ignis, vel animal. Tertio pro ſola 27

generatione viuentium. Et quæſtio præſens non procedit de generatione in prima, & tertia acceptione:non quidem in prima,quia ſecundum eam non diſtinguitur ab alteratione, à qua eam intendit diſtinguere Ariſt.hoc loco ; ſed nec in tertia, quia de omni generatione ſubſtantiali intendit agere, & non de ſola generatione viuentium, de qua in libris de Anima, & reliquis naturalis Philoſophiæ. Solum ergo diſputamus de generatione in ſecunda acceptione,prout ad ſolas ſubſtantiales cõmunis eſt.

28 Generationis autem ſic ſumptæ tres definitiones aſſignat Ariſtoteles diuerſis locis, vt cæteras omittamus.Prima habetur 8. lib. Phyſ. cap. 7. text. 2. *Generatio eſt mutatio de non ente ad ens , ſiue de non eſſe ad eſſe.* Secunda habetur cap. 4. huius libri textu 23. *Generatio eſt mutatio totius in totum nullo ſubiecto ſenſibili permanente.* Tertia vero capit. 5. eiuſdem libri text. 25. *Generatio eſt mutatio à ſubſtantia in potentia ad ſubſtantiam actu.* Et omnes iſtæ definitiones continent eundem ſenſum, nam per generationem producitur ſubſtantia compoſita ex materia , & forma , ita vt materia præſupponatur tanquam ſubiectum circa quod operatur agens , & ſua operatione educit formam de potentia eius , quam ei vnit , & ex tali vnione reſultat compoſitum , quod eſt principalis terminus productus per eandem generationem , forma verò eſt terminus formalis , quo atque ab vtroque ſumit ſpeciem ſuo modo generatio : & tandem quia materia eſt ens in potentia , dicitur fieri per generationẽ ens ex non ente,hoc eſt ex non ente in actu,vel

29 quod idem eſt ex ente in potentia. Et hoc eſt quod per omnes iſtas definitiones explicatur ; nam in omnibus dicitur generationem eſſe mutationem , cuius ſubiectum eſt materia , & eſſe mutationem de ente , vel ſubſtantia in potentia , quod eſt eadem materia carens forma , ad ens , vel ſubſtantiam in actu, nempe ad compoſitum ſubſtantiale per eamdem generationem productum , quod eſt ens actu , vel ſubſtantia actu. In ſecunda autem definitione dicitur generationem eſſe mutationem totius in totum , non quia totum fiat per ſe ex toto ; cum notum ſit ex ſola materia carente forma per ſe fieri , atque adeo ex non ente ; quod euidenter probatur ex eo , quòd ſi daretur materia ſeparata ab omni forma , in quam ignis poſſet operari , & inducere propriam formam , produceret alterum ignem per veram generationem , & non eſſet talis generatio mutatio totius in totum , ſed ſolius materiæ à priuatione formæ ad eamdem formam , ex qua ſimul cum materia totus ignis generaretur. Vnde ſequitur per accidens eſſe ad generationem , quod totum fiat ex toto, per ſe verò , quod fiat ex materia,

tertia, sed quia naturaliter materia numquam est sine aliqua forma; ideo naturali modo fit semper totum ex toto; numquam tamen per se; & ideo solum differt secunda definitio à prima, & tertia, quòd istæ explicant id quod est per se in generatione, illa verò illud etiam, quod contingit naturaliter, & non per se pertinet ad generationem. In eadem etiam definitione secunda additur, nullo sensibili subiecto permanente, hoc est, nullo ente completo, quia in generatione substantiali compositum præcedens semper corrumpitur, & aliud nouum fit, per quod distinguitur ab alteratione; nam in hac eadem substantia completa permanet in vtroque termino à quo, & ad quem, & mutatur ab vna qualitate in alteram, vt aqua à frigore in calorem sub vtroque permanens.

An definitiones istæ, vel aliqua earum sit essentialis?

HIs definitionibus sic explicatis difficultas quæstionis à so- 30
lis modernis excitata consistit in hoc, an omnes, vel aliqua earum sit essentialis? Circa quam est prima opinio quorumdam modernorum, nullam esse essentialem, quia ad essentiam generationis non pertinet, quòd sit mutatio, licet modo naturali fiat cum mutatione materiæ ab vna forma in aliam. Itaque existimant solum esse intrinsecum generationi, quod per eam educatur forma de potentia materiæ, & ei vniatur, vel quod iam producta per creationem vniatur eidem materiæ; vnde sic esse definiendam essentialiter. Generatio est actio eductiua formæ substantialis, vel vnionis eius cum materia. In qua non includitur mutatio, sed pro generatione ponitur actio: per alias vero particulas distinguitur à creatione, & cæteris actionibus, quibus producuntur accidentales formæ.

Probant duplici argumento: primò, quia eductio formæ substantialis de potentia materiæ, vel vnio eiusdem formæ cum materia, est generatio; sed hæc potest saluari sine mutatione materiæ ab vna forma in alteram, vel à priuatione vnius formæ ad eamdem formam: ergo mutatio non pertinet ad essentiam generationis. Probatur maior: quia eductio formæ, & vnio eius cum materia est productio totius compositi substantialis; & non est creatio: cum non fit productio ex nihilo, sed ex materia: ergo est generatio, quia non datur productio substantialis præter generationem, & creationem. Minorem vero sic probant: Si Deus crearet aliquam materiam sine omni forma, ex qua in eadem instanti educeretur ignis,

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

vel ipſe Deus formam ignis, eamque vniret eidem materiæ; talis eductio, vel vnio eſſet vera generatio ignis, & non eſſet mutatio, cum materia illa nec ſub alia forma, nec ſub priuatione eiuſdem formæ aliquando fuiſſet: ergo ad eſſentiam generationis non pertinet mutatio. Secundò, quia nutritio eſt generatio 31 partialis ex ſententia Ariſtotelis, & omnium; ſed hæc fit aliquando ſine vlla mutatione materiæ: ergo mutatio non eſt de eſſentia generationis partialis; & conſequenter nec de eſſentia generationis totalis, quia eadem eſt ratio vtriuſque quantum ad hoc. Sed probatur minor in mutatione, quæ fit ex ſpeciebus ſacramentalibus in ſtomacho corruptis, ad quarum corruptionem Deus creat nouam materiam, cui vnitur anima rationalis in eodem inſtanti; & per talem vnionem producitur ſubſtantia partialis compoſita ex anima rationali, & noua illa materia, ſed abſque mutatione eiuſdem materiæ: ergo mutatio non eſt de eſſentia nutritionis. Probatur minor; quia materia illa nec fuit ſub alia forma, nec ſub priuatione animæ, alioqui duplicem habuiſſet formam in eodem inſtanti, vel eamdem ſimul, ac priuationem eius, quod repugnat: quare non eſt mutatio ab vna in aliam formam, nec à priuatione vnius formæ ad eandem formam.

Secunda opinio tenet primam ſaltem, & tertiam definitionem Ariſtotelis eſſentialem eſſe, nam ſecunda aliquid accidentale videtur includere, nempe quod totum fiat ex toto, vt contingit modo naturali: vtramque autem illam definitionem ſub hac poſſet includi: *Generatio ſubſtantialis eſt mutatio à priuatione formæ ſubſtantialis ad eamdem formam ſubſtantialem, atque compoſitum.* Cuius genus eſt mutatio, per quam diſtinguitur generatio à creatione, & cæteris actionibus etiam ſubſtantialibus, quæ mutationes non ſunt. Per cæteras vero particulas explicantur ſubiectum, nempe materia prima, terminus à quo, & ad quem: & ab hoc accipitur ſpecies eius; per quam diſtinguitur à mutationibus accidentalibus; & ex hac definitione generationis ita explicata facile deducitur definitio corruptionis, quæ erit mutatio à forma ſubſtantiali, & compoſito ad priuationem eiuſdem formæ. Hæc eſt noſtra ſententia, quam videntur ſequi Conimb. 1. lib. de generatione quæſt. 9. art. 1.

32 Et probatur teſtimonio Ariſtotelis, qui in his tribus definitionibus ponit pro genere mutationem: ergo ſentit eſſentialem eſſe generationi. Sed reſpondent moderni, non definire generationem præciſe ſecundum eſſentialia, ſed vt modo naturali fit. Contra hoc tamen eſt aliud teſtimonium expreſſum

eiuſdem

eiuſdē Ariſtotelis 5.lib.Phyſ.text.7. Vbi diſtinguens eſſentialiter mutationem à motu ita ait: *Quæ igitur ex non ſubiecto eſt in ſubiectum mutatio ſecundum contradictionem (hoc eſt de non eſſe ad eſſe) generatio eſt.* Sentit ergo expreſſe mutationem eſſe prædicatum eſſentiale generationis, in quo conuenit cum motibus, ſed ab eis diſtinguitur eſſentialiter, quia inter contradictorios terminos, vel priuatiuè oppoſitos verſatur, nempe inter eſſe, & non eſſe.

Probatur deinde ratione; primò, quia tria ſunt principia generationis intrinſeca, materia, forma, & priuatio; materia tanquam ſubiectum, forma, & priuatio tanquam terminus à quo, & ad quem; vt docet, atque probat Ariſt. 1. lib. Phyſ. ergo repugnat dari veram generationem ſine his. Sed materia mutatur de priuatione ad formam: ergo intrinſecum eſt generationi eſſe mutationem ſubſtantialem materiæ inter hos duos terminos. Et ſi dicatur hæc tria principia concurrere ad generationem ſolum vt fit modo naturali ab vna in aliam formam, & ideo hoc tantum modo eſſe mutationem, & non eſſentialiter: ſed dari poſſe generationem, etiam ſi materia non fuerit ſub priuatione per ſolam eductionem formæ de potentia eius, vel vnionem cū ea, & ideo ſine mutatione. Probo hoc eſſe falſum. quia ex eo ſequitur euidenter priuationem non eſſe principium per ſe generationis: probatur conſequentia, quia quod per ſe conuenit alicui, omnibus eiuſdem eſſentiæ conuenire debet: ſed priuatio non eſt principium cuiuſcunque generationis: ergo non eſt principium generationis per ſe, vel ſi eſt principium per ſe, neceſſe eſt cuicunque veræ generationi conuenire.

Secundò probatur, quia eſſentialis ratio generationis non 33
conſiſtit in ſola eductione formæ de potentia materiæ, & vnione cum ea, vt affirmat alia ſententia: ergo vltra hoc requirit quod materia præceſſerit ſub priuatione eiuſdem formæ, & ab ea mutetur ad eandem formam: probatur antecedens, nam formæ cœlorum eductæ fuerunt de potentia materiæ in principio mundi, vt efficaciter probaui 2.lib. Phyſic. quia in eſſe, & fieri dependent à ſuis materiis, & etiam fuerunt vnitæ eiſdem materiis: & talis eductio, & vnio non fuit generatio, quia corpora cœleſtia non ſunt generabilia; ergo generatio non conſiſtit eſſentialiter in ſola eductione formæ, & vnione cum materia, ſed petit eſſentialiter, vt præceſſerit materia ſub priuatione, & ab ea mutetur in formam, & ita ſit eſſentialiter mutatio.

Ad primum argumentum alterius ſententię neganda eſt maior, quòd ſola eductio formæ, vel vnio cum materia ſit generatio, niſi materia præcedat ſub priuatione formæ. Et cum dicitur

non esse creationem, concedendum est; sed esse actionem substantialem distinctam essentialiter à generatione ratione mutationis, quam generatio dicit essentialiter. Et si dicatur habere eundem terminum ad quem, nempe formam, & compositum, & ideo esse eandem actionem, quia actiones habent speciem à termino ad quem, & non à termino à quo, neganda est consequentia, quia diuersum modum essentialem habet actio, quæ est mutatio, à sola actione; & ideo licet habeat eundem terminum ad quem materialem, diuersum habet formalem, quia diuerso modo productum; & hoc sufficit ad differentiam specificam actionis nudæ, à mutatione. Quod hoc exemplo explicari potest; nam si Deus solus produceret calorem extra subiectum, talis productio specie differret à motu alterationis, per quem alius calor produceretur ab igne, propter modum essentialem diuersum mutationis, & motus, quē non habet actio Dei, licet haberet eundem calorem secundum speciem pro termino.

Ad secundum respondeo, non esse certum, quòd nutritio ex speciebus sacramentalibus fiat per creationem nouæ materiæ: sed ita fiat, negandum est, quod sit vera generatio partialis, sed est productio partialis substantiæ à generatione, & creatione distincta; à generatione quidē, quia non est mutatio, à creatione verò, quia non est ex nihilo, sed ex materia præsuppositа.

QVÆSTIO III.

Quisnam sit terminus ad quem generationis à quo habeat speciem?

34 DE termino à quo generationis suppositо quod essentialiter sit mutatio, certum est esse priuationem formæ, à qua mutatur materia in eandem formam recipiendam; sed de termino ad quem; à quo actiones, mutationes, & motus speciem sortiuntur, non est certum quisnam sit. Vt autem quæstio intelligatur, & diuersæ authorū opiniones; explicare oportet quot, & quæ producantur per generationem. Et in primis certum est formam educi de potentia materiæ; educi autem est suo modo extra causas fieri; cum prius solum haberet esse in eis, hoc est in potentia actiua agentis, & passiua materiæ. Fit etiam vnio substantialis, per quam eadem forma coniungitur materiæ. Et tertio fit compositū ex materia, forma, & modo vnionis constans. Hoc autem compositū duplex est, nempe natura & suppositum,

vt na

vt natura humana, & homo; vel hæc natura humana, quæ alio nomine vocatur humanitas, & Petrus, vel Ioannes, qui ſunt ſuppoſita: & compoſitum, quod eſt natura, reſultat immediatè ex materia & forma vnitis; ſuppoſitum vero non ex his immediatè, ſed ex natura ex his conſtituta, & ſubſiſtentia tanquam termino eius: & hæc quidem omnia fiunt per generationem rerum omnium, excepta generatione hominis, per quam non fit forma humana, nempe anima rationalis, ſed ſupponitur facta à ſolo Deo per creationem in eodem inſtanti, fiunt tamen cætera omnia.

Hoc ſuppoſito inquirimus, quodnam ex his terminus ad 35
quem generationis ſit? Et prima opinio quorundam modernorum, quam citant Conimb. lib. 1. de generatione cap. 4. quæſt. 15. art. 1. aſſerit in generatione cuiuſlibet rei duas actiones dari diſtinctas realiter, vnam per quam generatur compoſitum, alteram per quam producitur forma, (vel ſi producta ſupponitur, vt in generatione hominis,) per quam vnitur materiæ: & terminum prioris actionis eſſe compoſitum; terminum poſterioris eſſe formam, vel vnionem. Probatur primò, quia quælibet entitas realis petit actionem propriam, per quam producatur; ſed compoſitum, & forma ſunt res diſtinctæ; ergo petunt actiones diſtinctas per quas producantur; & ita quælibet entitas erit terminus actionis ei correſpondentis. Secundo; generatio ſicut quælibet alia actio, vel mutatio eſt idem realiter cum termino per eam producto: ſed forma, & compoſitum diſtinguuntur realiter; ergo non poſſunt per eandem actionem produci; probatur conſequentia, quia non poteſt eadem actio identificari cum duobus terminis realiter diſtinctis, vt per ſe eſt manifeſtum.

Secunda opinio aliorum modernorum nõ ponit duas actio- 36
nes pro forma & compoſito, quia educta forma de potentia materiæ, & eidem vnita, non eſt neceſſaria alia actio pro compoſito; & ratio huius eſt, quia compoſitum non eſt res diſtincta à materia, & forma vt vnitis, ſed eadem; ergo eo ipſo quod forma eſt vnita materiæ, cẽſetur productum compoſitum. Pro forma tamen, & modo vnionis ponit duas actiones, quaſi partiales, ex quibus integratur vna totalis nomine generationis ſignificata in his generationibus, in quibus forma educitur de potentia materiæ: nam in generatione hominis ſolum datur vnica actio ad modum vnionis terminata. Probatur primò: quia forma, & modus vnionis ſunt diſtinctæ entitates quaſi partiales per ſe productæ, & per ſe concurrentes ad totum compoſitum efficiendum; ergo quælibet petit ſuam actionem quaſi par-

tialem,ex quibus vna generatio totalis integratur:ſicut ex forma ipſa, & vnione ſimul cum materia integratur compoſitum. Secundò, quia prius ratione, vel natura educitur forma de potentia materiæ, quàm ei vniatur: ergo prior natura eſt actio eductiua,quam vnitiua:ſed idem non eſt prius natura ſeipſo:ergo non poteſt eſſe eadem actio eductiua, & vnitiua:ſed diſtinctæ ponendæ ſunt,vt vna poſſit eſſe prior natura altera.

Tertia opinio vnicam tantum ponit actionem in generatione, quæ ſit productio totius compoſiti;formam vero aſſerit non fieri per ſe,ſed quaſi per comitantiam,in quantum totum compoſitum per ſe productum non poteſt ſine forma conſtare. Itaque hæc ſententia ſicut ponit vnam tantum actionem in generatione, ita ponit vnum terminum per ſe eius,nempe totum
37 compoſitum. Probatur primò,quia illud tantum per ſe producitur,quod per ſe habet eſſe;ſed forma educta de potẽtia materiæ non habet eſſe per ſe,ſed inhæret materiæ, compoſitum vero per ſe ſubſiſtit,cum ſit ſuppoſitum:ergo per ſe producitur, & forma quaſi comitatur productionem eius.& ideo illud ſolum terminat per ſe generationem. Secundò, idem eſt terminus ad quem generationis, & terminus à quo corruptionis: ſed corruptio non habet pro termino à quo per ſe formam, ſed ſolùm compoſitum: ergo nec generatio habet pro termino ad quem per ſe formam,ſed compoſitum. Probatur minor,quia terminus à quo corruptionis eſt non eſſe rei:ſed aliquando non deſinit eſſe forma per corruptionem, ſed compoſitum tantum: vt patet in corruptione hominis: ergo nõ eſt terminus per ſe eius forma,ſed ſolum compoſitum:quare hoc,& non illa erit terminus per ſe generationis.Pro ſolutione huius quæſtionis duplex terminus generationis in primis diſtingui debet,vnus tanquam quod,& eſt res illa,quæ producitur:alius tanquam quo,& eſt id à quo,vel per quem habet eſſe eadem res producta, vt quod:& ideo ille dicitur terminus completus, vel totalis:ſed terminus, quo,dicitur formalis,& quaſi incompletus: quilibet tamen eſt terminus per ſe in ſuo ordine.

38 Secundo, notandum eſt duobus modis poſſe conſiderari generationem:primò,via,aut ordine intentionis:ſecundo,via, aut ordine executionis:ordo intentionis conſideratur ex eo, quod præcipuè intendit natura tanquam finem generationis: ordo vero executionis ex his, quæ primo exequitur, vel facit. Et vtrumque poteſt declarari exemplo artis, quæ imitatur naturam: artifex enim ordine intentionis prius intendit ædificare domum,deinde ligna,& lapides collocare, & tandem eos præparare, vt ſuis locis collocare poſſit: vnde ordine intentionis conſtructio

conſtructio domus prior eſt,collocatio vero lapidum,& lignorum poſterior , ſed præparatio eorum vltimum locum tenet. Sed ordo executionis quaſi oppoſitus eſt,ſecundum quem prius eſt præparatio lapidum, & lignorũ, deinde ſequitur collocatio eorum,& poſtrema eſt conſtructio domus. Eodẽ modo ordine intentionis totum compoſitum eſt primum,quod natura intendit, deinde ſequitur vnio formæ cum materia , & poſtrema eſt eductio eiuſdẽ formæ de potentia materiæ. Sed ordine executionis prior eſt eductio formæ,deinde ſequitur vnio, poſtremũ eſt compoſitum, quod ex materia, & forma vnitis reſultat. Sed compoſitũ duplex eſt,primũ eſt natura,quæ immediatè reſultat ex vnione formæ cum materia, poſtremũ eſt ſuppoſitum, quod ex natura,& ſubſiſtentia tanquã ex proprio termino eius cõſtat.

Quibus explicatis,noſtra ſententia tribus aſſertionibus con- 39
tinetur. Prima eſt , in generatione non dantur plures actiones partiales , nec totales , ſed per vnicam actionem indiuiſibilem educitur forma de potentia materiæ, vnitur eidem materiæ, & fit vtrunque compoſitum, nempe natura , & ſuppoſitum modo explicando in ſecunda aſſertione. Probatur hoc argumento. Forma materialis non habet propriam ſubſiſtentiam,ſed inhæret materiæ:ergo per eandem actionem , per quam educitur de potentia materiæ,fit in materia, & fit inhærens materiæ. Probatur euidenter conſequentia : quia per eandem actionem per quam fit accidens,fit in ſubiecto, & fit inhærens ſubiecto:cuius ratio eſt,quia eſſe accidentis non eſt eſſe per ſe , ſed ineſſe ſubiecto,ex quo neceſſario ſequitur,vt per eandem actionem , per quam fit,fiat in ſubiecto, vel inhærens ſubiecto , & non poſſint multiplicari duæ actiones,vna per quam fiat , & alia per quam fiat in ſubiecto:ergo cum eſſe formæ materialis non ſit per ſe, ſed inhærens materiæ,non minus neceſſario ſequitur quòd per eandem actionem,per quam fit,fiat in materia,vel inhærẽs materiæ. Vlterius formã inhærere materiæ eſt eſſe vnitã materiæ, quia per inhæſionem ei vnitur;ergo per eandem actionem per quam fit in materia,vel inhærens materiæ,vnitur eidem materiæ, & non poteſt per aliã diſtinctã vniri:& ideo nec per aliam diſtinctam fieri vnio,ſed per eandem.Probatur ſecundum,quod 40
per eandem actionem,per quã forma educitur de potentia materiæ,& ei vnitur,fiat compoſitũ. Primò,quia compoſitum non eſt alia entitas diſtincta à materia, & forma,vt vnitis;ſed eadẽ, vt in 1.lib. Phyſ.probauimus , ergo per eandem actionem realem, per quam forma fit,& vnitur materiæ, fit etiam natura ex vtraque compoſita.Secundò,quia id tantum fit per ſe per actionẽ,quod habet eſſe per ſe,ſed cõpoſitum tantũ habet eſſe per ſe,

ergo

Digitized by Google

ergo actio per se solum terminatur ad compositum tamquam ad id, quod fit,& hoc est vnum:ergo fit per vnicam actionem. Deinde compositum includit formam, & vnionem: ergo per eamdem actionem per quam fit compositum, fiunt forma, & modus vnionis,quare non sunt ponendæ plures actiones pro forma, & vnione, sed per eamdem fit vtraque suo modo cum composito.Et si dicatur id tantum fieri per se per actionem totalem, quod habet esse per se,sed per actionem partialem fieri posse aliquid, etiam si non habeat esse per se, sed fit pars eius, quod habet esse per se.Contra hoc est, quòd actio quæcumque terminatur ad esse rei, cum per actionem fiat res extra causas; ergo repugnat per se fieri, etiam per actionem partialem, nisi habeat esse per se:sed nec forma materialis,nec modus vnionis habent esse per se,sed in materia, & composito; ergo nec possunt fieri per se per actionem partialem, quare non sunt ponendæ actiones partiales pro eis,sed per eamdem fieri debent, per quam fit compositum.

41 Secunda assertiio. Compositum est terminus generationis, vt quod adæquatus,& principalis, & ordine intẽtionis primus, atque adeo primus simpliciter,quia primum ordine intentionis est primum simpliciter.Hæc habetur expressa apud Aristotelem.7.lib. Metaph: cap. 7. vbi docet formam non fieri,sed compositum,quod si non fit:ergo non est terminus,qui fit: sed hoc solum conuenit composito.Idem etiam docet D.Thom.1. p.q.45.art.8.& ratione probatur; quia illud est terminus generationis,vt quod per eam fit, quod per eam habet esse: sed solũ compositum habet esse per generationem: ergo hoc solum est terminus per eam factus. Probatur minor,quia forma,& modus vnionis, per quem vnitur materiæ,non dicuntur esse, sed potius sunt,quo,vel quibus compositum est.Quòd verò sit primarius terminus ordine intentionis,euidens est,quia primum, quod intendit natura per generationem, est compositum, vt autem consequatur hunc finem, educit formam de potentia materiæ,& producit modũ vnionis, per quem eam vnit eidem materiæ, & eadem ratione dicitur terminus principalis: adæquatus vero,quia continet quidquid vno,vel alio modo fit per generationem. Sed totum compositum pro natura resultante ex vnione materiæ, & formæ est terminus adæquatus immediatus:pro suppositio vero est terminus vltimatus, & quasi remotus,quia totum, quod primo resultat ex vnione materiæ, & formæ per generationem productum,est natura,ex qua tãdem, & subsistentia eam terminante resultat suppositum, vt Petrus, vel Ioannes.

Tertia

Tertia assertio. Terminus formalis generationis, & vt quo, atque etiam primarius ordine executionis, est forma cum modo vnionis substãtialis, per quem vnitur mareriæ. Hæc colligitur efficaciter ex Arist. 1. lib. Physic. vbi docet formã esse principium generationis tamquam terminum, non à quo, quia terminus à quo est priuatio: ergo tanquam terminus ad quem, non qui fit, cum hoc sit compositum: ergo formalis, & vt quo. Et lib. 2. cap. 1. text. 14. asserit generationem esse viam ad naturam, hoc est ad formam, quæ est præcipuum significatum naturæ, vt exponunt interpretes eiusdem loci. Sed illud in quod tendimus per viam, est terminus eius: ergo forma est terminus proprius, & formalis generationis. Et probatur ratione, quia forma tribuit esse specificum composito, & est ei ratio essendi, sed compositum est terminus, qui fit per generationem: ergo forma erit, quo fit compositum, quod est esse terminum formalem, & vt quo. De modo vero vnionis probatur, quia est id, quo forma vnitur materiæ, & ideo quo medio constituit compositum: ergo pertinet etiam ad terminum formalem generationis. Et quod tandem forma cum modo vnionis sit terminus immediatus ordine executionis, euidens est, quia primum, quod natura exequitur, vt compositum constituat, est eductio formæ de potentia materiæ, & vnio eius cum materia: ergo vtraque pertinet suo modo ad terminum generationis ordine executionis: qua autem ratione pertineant, nempe, vtraque tamquam terminus formalis, ita vt ex vtraque tamquam ex partiali constituatur vnus terminus formalis, vel sola forma, tamquam terminus formalis, modus vero vnionis tamquam conditio statim explicabitur. 42

Ad primum argumentum primæ opinionis distinguenda est maior, nam vel entitas realis per se fieri petit, vel in alio includitur, quod per se fit: & si primo modo se habeat, distinctam petit actionem ab alia, sic etiam se habente: si vero in alia includatur, quæ ex eius productione resultat, per eandem actionem cum ea fieri potest: & sic se habet forma in ordine ad cõpositum, quod ex eductione eius de potentia materiæ, & vnione cum eadem materia resultat, quare nõn indigent distinctis actionibus, sed per eamdem fieri possunt, vt probatum est. 43

Ad secundum, neganda est maior, quòd actio sit eadem entitas realis cum termino, præsertim cum terminus est substantia, vt in generatione est manifestum: sed distinguuntur ex natura rei, quia actio est accidens de prædicamento actionis: accidens verò, & substantia non possunt esse eadem entitas realis, vt à nobis probatum est in prædicamento ad aliquid, atque etiam

etiam in 3,lib.Phyſ.ſed diſtingui debet à ſubſtantia ſaltem diſtinctione modali.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis concedendum eſt antecedens,quòd forma, & modus vnionis ſint duæ entitates diſtinctæ,ſed neganda eſt conſequentia, quòd per diuerſas actiones produci debeãt,ſed potius neceſſe eſt per eamdẽ produci, vt probauimus;quia forã nõ fit per ſe,ſicut nec habet eſſe per ſe,ſed fit inhærens materiæ,quia eius eſſe eſt ineſſe materiæ;quare cum inhærere materiæ ſit eſſe ei vnitam,per eamdem actionem eductionis,per quam producitur in materia, producitur etiam modus vnionis,per quem ei vnitur.

44 Ad ſecundum,concedendum eſt antecedens, quòd prior natura ſit forma,quàm modus vnionis, propter rationem cauſæ, & effectus, nam modus vnionis effectus eſt formæ in genere cauſæ formalis;& conſequenter,quod prius ratione ſit formam educi,quàm vniri;ſed neganda eſt conſequentia, quod diſtinctæ actiones ſint eductio, & vnio,ſed vna,& eadem, quia cum per eductionem producatur forma inhærens materiæ, per eandem producitur vnita : & ideo eadem actio eductiua eſt etiam vnitiua:ſolum hoc poteſt eſſe verum,quòd prius natura terminetur ad formam,quam ad vnionem, & ideo prius natura ſit eductiua,quàm vnitiua,non quod cauſa ſui ipſius ſit, ſed quod terminari ad formam,vel eſſe eductiuã eius,ſit cauſa ſuo modo eius,quod eſt eſſe vnitiuam, vel terminari ad modum vnionis: nec mirum hoc eſt,quod ſicut forma,& vnio ſunt duæ entitates,quarum vna eſt prior altera,& cauſa eius,ita ſit prius actionem terminari ad vnã,quam ad alteram,non tempore, ſed natura,vel ratione : hoc enim non eſt aliud,quam prius eſſe cauſationem vnius,quam alterius. Quemadmodum eadem generatio terminatur ad naturam,& ſuppoſitum, ſed prius ad illam ordine executionis,quàm ad ſuppoſitum.

DVBIVM.

45 EX reſolutione huius quæſtionis reſultat quoddã dubium prius explicandum,quam ad ſequentem tranſeamus: nam ſi per eandem actionem educitur forma de potentia materiæ, eique vnitur & ex vnione vtriuſque reſultat compoſitum,tamquam præcipuus, & adæquatus terminus eius: merito poterit quis dubitare, à quonam horum trium rationem generationis ſortiatur; vel in quo potius, quam in alijs ratio generationis cõſiſtat.Et prima opinio quorumdã recentiorum tenet actionẽ, per quã prædicta omnia fiunt, formalem rationẽ generationis habere,nõ ex eo,quod eſt eductio formæ de potentia materiæ, nec ex eo,quod eſt productio totius cõpoſiti, ſed ex eo, quod

eſt

eſt vnitio formæ cum materia.Et probatur primum, quod non conſiſtat formalis ratio generationis in eductione formæ, hoc argumento.Vera,atque formalis generatio datur ſine eductione formæ de potentia materiæ, imo ſine productione aliqua formæ;ergo non habet rationem formalẽ generationis ex eo, quod eſt eductio formæ:euidens eſt cõſequentia : ſed probatur antecedẽs in productione hominis,quę vera generatio eſt apud Ariſtotelẽ 2.Phyſ.t.2.text.26.aſſerentẽ, *Sol,& homo generãt hominẽ*;atque etiã apud omnes eius interpretes, per quam tamen nulla forma educitur,vel producitur;ſed anima rationalis,quæ vera forma hominis eſt , creatur à Deo immediatè ; ergo formalis ratio generationis non poteſt cõſiſtere in eductione, vel productione formæ.Secundo,quia ſi fieri poſſet,vt agens naturale educens formã de potentia materiæ non vniret eam materiæ,ſed ſeparatam produceret,talis eductio non eſſet generatio,quia nullum compoſitum generaretur:ergo formalis ratio generationis non cõſiſtit in eductione,vel productione formæ.

Quòd vero non cõſiſtat in productione cõpoſiti, probatur, 46
quia productio cõpoſiti non petit diſtinctã actionem ab ea,per quã forma educitur, vel vnitur materiæ , ſed educta forma, & vnita materiæ productum cenſetur cõpoſitum;cum non ſit alia entitas à materia,& forma, & vnione : ergo cum generatio ſit actio,per quã res generatur, non dicitur generatio ex eo,quòd ſit productio totius cõpoſiti.Secundò,totum compoſitum non minus produci poteſt per aliã actionẽ, quæ nõ ſit vera generatio, quam per verã generationẽ:ergo generatio nõ dicitur talis formaliter,qa eſt productio cõpoſiti,nã ſi ex eo talis diceretur, omnis productio cõpoſiti eſſet generatio;quod patet eſſe falſũ.

Sed noſtra ſententia eſt,rationẽ formalem generationis habere ex eo,quod eſt productio cõpoſiti per vnionẽ formæ cum materia,quæ primo explicanda eſt, deinde probanda ; pro explicatione vero oportet præſupponere id , quod in hac eadem quæſtione dictum eſt,nempe eandem actionẽ realem eſſe eductionem formę de potentia materiæ,vnitionem eiuſdem formę cum materia,& productionem cõpoſiti;quare tria hæc ſola ratione differunt,& tria ipſa nomina ſingulas, atque diuerſas rationes eiuſdem actionis realis exprimunt, dubium vero poſtulat , in quanam illarum conſiſtat ratio formalis generationis, vel ex quo illorum habeat talem rationem formalem:& prima opinio recentiorum aſſerit , non habere rationem formalem generationis ex eo , quod eſt eductio formæ , nec productio compoſiti,ſed ex eo,quod eſt vnitio formæ cum materia, vnde tenet cõſequenter terminum formalem generationis non eſſe

formam,

formã,ſed modum vnionis,quod videtur neceſſariò dicendum ſuppoſito priori,nam ſi ex ſola vnitione habet talis actio formalem rationem generationis,ſequitur hanc eſſe veram, vnitio eſt formaliter generatio, ergo quod eſt terminus formalis vnitionis, erit terminus formalis generationis: ſed vnio, vel vnionis modus eſt terminus formalis, vnitionis, quia vnitio per ſe,& formaliter tendit ad vnionẽ: ergo idem modus vnionis erit terminus formalis generationis. Nos vero tenemus rationem formalem generationis habere ex productione cõpoſiti per vnionem materiæ cum forma. Et ex conſequenti terminum formalem generationis eſſe formam, & non modum vnionis.

47 Præſupponendum eſt aliud,quod ſuperius etiam docuimus, videlicet terminum per ſe, & primarium generationis, quem vocant,vt quod,eſſe primum compoſitum reſultans ex vnione formæ cum materia, quod eſt natura, nam ſuppoſitum quod eſt quaſi ſecundum compoſitum, terminus remotus eſt, atque vltimatus:gratia exempli, quia per generationẽ ignis id quod immediate producitur, & in quod immediate tendit generatio, eſt natura ignis reſultans ex vnione formæ ſubſtantialis cum materia, & ideo hæc eſt terminus primarius per generationẽ productus:quis vero ſit formalis, & vt quo,nempe forma ipſa,vel modus vnionis, prima opinio tenet non eſſe formam, ſed modum vnionis:nos vero aſſerimus non modum vnionis, ſed formam:duo itaque continet noſtra ſententia, primum eſt, quod actio per quam aliquid generatur, habeat rationem formalem generationis ex eo,quod eſt productio compoſiti,nempe naturæ ex vnione formæ cum materia. Secundum,quòd terminus formalis generationis ſit forma, & non modus vnionis. Probatur primum, quia actio habet rationem formalem generationis à re genita: ſed res genita non eſt modus vnionis, ſed compoſitum,nam humana natura eſt genita, & ab ea dicitur generatio illa actio, per quam producitur, & non à modo vnionis:ergo ex eo eſt formaliter generatio talis actio,quia eſt productio compoſiti,non quia eſt vnitio formæ cum materia: quod facile intelligetur,ſi conſideremus,quod quemadmodum ad eductionem formæ de potentia materiæ requiritur vnitio eiuſdem formæ cum materia,quia non educitur forma,niſi inhæreat materiæ,& ideo niſi vnita materiæ, ſed non propterea dicimus talem actionem,per quam educitur forma, habere rationem formalem eductionis à modo vnionis,vel ex eo, quod ſit productio eius,ſed potius à forma ex eo, quod per eam exijt in actum: cum prius ſolum eſſet in potentia actiua agentis, &

paſſiua

paſſiua materiæ : vel ſi non ſit educta de potentia materiæ, per talem actionem fit,vt informet materiam,& conſtituat cum ea compoſitum, tamquam vera forma eius. Eodem modo vt producatur compoſitum per generationem , requiritur tamquam conditio omnino neceſſaria, & ſecundum rationem præſuppoſita vnitio per quam producatur modus vnionis, & modus ipſe vnionis, per quem vniantur materia,& forma, quia forma non producitur,niſi in materia,& inhærens materiæ,inhærentia vero eſt modus vnionis per quem vnitur eidem materiæ, ex quo non ſequitur actionem per quam generatur compoſitum, habere rationem formalem generationis à modo vnionis , ſed ab eodem compoſito per eam genito ex vnione formæ cum materia ; modus vero vnionis ſolum ſit conditio neceſſaria,vt generatio dicatur per productionem compoſiti,tamquam per rationem formalem talis denominationis.

Probatur ſecundum , quòd forma ſit terminus formalis ge- 48
nerationis , & non modus vnionis , ſed ſolum conditio intrinſeca eiuſdem termini , quia terminus immediatus , atque totalis generationis , vt quod generatur , eſt compoſitum pro natura;ergo ille erit terminus formalis, vt quo, qui eſt ratio formalis conſtitutiua eiuſdem naturæ,ſed talis eſt forma,non modus vnionis : ergo illa erit terminus formalis generationis , & non iſte : minorem probo , quia natura conſtituitur per formam , & non per modum vnionis , quamuis iſte ſit conditio neceſſaria , vt conſtituatur , quia forma non conſtituit , niſi vnita materiæ : & ſi dicatur , forma non eſt terminus generationis , niſi vt vnita materia ; ergo vnio erit terminus formalis , potius quàm forma ; diſtinguendum eſt antecedens , quia ſi redupliciter rationem formalem terminandi , falſum eſt : ſi vero conditionem intrinſecam,verum ; & ſi rurſus dicatur animam rationalem eſſe terminum creationis , ergo non generationis , quia cum ſint diſtinctæ actiones, debent habere diſtinctos terminos. Reſpondeo diuerſa ratione eſſe terminum vtriuſque actionis , creationem terminat ſecundum propriam entitatem ex nihilo productam , eſt autem terminus formalis generationis , vt conſtituit compoſitum genitum per informationem materiæ , & vnionem cum ea , ita tamen , vt ſicut informatio ſolum eſt conditio neceſſaria , ad terminandum , & non ratio terminandi ; ita modus vnionis. Ad illud vero argument. pro contraria opinione , quo probabatur, actionem non eſſe neceſſariam nouam actionem , per quam producatur compoſitum præter vnitionem formæ cum materia , ſed producta per eam modo vnionis ſtatim reſultare idem compoſitum; reſ-

pondeo verum id esse, quod sine noua actione sequitur compositum, nihilominus virtute eiusdem vnitionis fieri, & ex eo sortitur vnitio rationem formalem generationis.

QVÆSTIO IIII.

Quodnam sit subiectum proprium generationis.

49 PRæsupponendum est tanquam certum, vt quæstio intelligatur, quòd sicut omne agens creatum operatur per aliquam potentiam, aut virtutem, quæ sit accidens superadditum substantiæ eius in prædicamento qualitatis, etiam operatur per actionem mediam inter ipsum, & effectum, quæ sit etiam accidens de prædicamento actionis: vnde sequitur, quod agens naturale educens formam de potentia materiæ, vel eam vniens eidem materiæ, generansque compositum per veram actionem id efficiat, quæ sit accidens de prædicamento actionis, & talem esse generationem certum est; nec est minus certum omne accidens reale habere subiectum proprium, cui inhæreat, & à quo sustentetur: & ideo inquirimus, in quonam subiecto sit hoc accidens, quod est generatio, in materia, in forma, in vnione, vel composito?

Circa quam quæstionem, primò refutanda est sententia illorum, qui vt superius vidimus, ponunt in generatione duplicem actionem partialem, vnam, quæ sit eductio formæ de potentia materiæ, alteram, quæ sit vnitio eiusdem formæ cum materia; & illam dicunt esse immediatè in eadem forma, quæ educitur; vnitionem vero in eodem modo vnionis per eam producto: sed quia tam forma, quàm modus vnionis sunt in materia, vtramque actionem mediatè etiam recipi in materia. Hæc tamen sententia falsa est, primo, quia falsum est, quod supponit dari duas illas actiones in generatione, vt probauimus: secundò, quia etiam si darentur, deberent recipi immediate in materia, & non in forma, & modo vnionis; quod sic probo: Actiones istæ procedunt ab agente circa materiã, tãquam circa subiectum, de cuius potẽtia educit tam formam, quàm modũ vnionis: ergo materia se habet ad illas actiones tanquam passum: & sunt actiones transeuntes, quæ oriuntur ab agente, & transeunt ad passum, in eoque recipiũtur: ergo tales actiones immediatè transeunt ad materiam, in eaque tãquam in passo proximè recipiuntur, quod est recipi in ea tanquam in subiecto proximo: & tertio, quia duæ illæ actiones sunt viç ad formam, & modum vnionis tanquam ad proprios terminos, & versantur circa materiam

tanquam

tanquam circa ſubiectum, de cuius potentia educuntur ijdem termini: ergo ordine naturæ præſupponunt materiam tanquam ſubiectum, & antecedunt formam, & vnionem, quare non poſſunt eſſe in eis tanquam in ſubiectis, ſed in ſola materia.

Hæc ſententia refutata; prima opinio diſtinguit triplex ſubiectum generationis, nempè denominationis, inhęſionis, & eius circa quod exercetur generatio; aſſeritque materiam non eſſe ſubiectum denominationis ipſius generationis, quia non dicitur genita, nec etiam inhæſionis, quia generatio eſt accidens, & nullum prorſus accidens, ſiue ſit completum, ſiue incompletum; ſiue ſit abſolutum, vel relatio, poteſt recipi in materia tanquam in ſubiecto inhæſionis: Sed materiam concedit eſſe ſubiectum generationis, circa quod exercetur; quemadmodum ait mobile eſſe ſubiectū circa quod exercetur motus; nam generans exercet ſuam actionem circa materiam, vt ex potentia eius educat formam, eamque vniat eidem materiæ, & ex vnione reſultet compoſitum, quod intendit producere. Ita Bañez. 1. lib. de generatione ca. 4. q. vlt. vbi nullam aliam rationem pro hac ſua ſententia attulit. Sed nec docet quodnam ſit ſubiectum, in quo inhæreat generatio, quamuis ſentire videatur inhærere in compoſito genito, ſicut cætera accidentia. 50

Nos tamen eam probauimus duplici argumento. Primò, quia generatio eſt accidens, ergo debet ſuſtentari à ſubiecto in quo inhæret, illique tribuere propriam denominationem; ſed vtrumque repugnat materiæ; ergo repugnabit etiam, quod ſit ſubiectum, cui inhæreat generatio. Probatur minor, quia ſubiectum ſuſtentat accidentia per eſſe proprium ac per ſe; ſed materia nullum eſſe habet à ſe, ſed à forma accipit: ergo ante receptionem formæ, non poterit ſuſtentare generationem, nec denominationem propriam eius ſuſcipere, ſicut nec proprium effectum formalem, nempe genitam eſſe vel appellari: cum ſit ex propria natura ingenerabilis, & incorruptibilis, vt in 1. lib. Phyſ. docuimus, & probauimus.

Secundò, materia eſt potentia ſubſtantialis; ergo prius reſpicit formam ſubſtantialem, quàm accidentalem; ſed quod prius reſpicit, prius etiam recipit; cum eo fine reſpiciat vtramque formam, vt eam in ſe recipiat; ergo non poteſt prius recipere formā accidentalem, quàm ſubſtantialem; & conſtat generationem habere modum accidentalis formæ, quia eſt verum, & reale accidens; ergo repugnat, quod in materia recipiatur prius, quam forma ſubſtantialis; atque adeo, quod vlla materia ſit ſubiectum inhęſionis eius: & certe ſi prius reciperetur generatio in materia, quam forma ſubſtantialis, efficeret cum ea compoſitum 51

Digitized by Google

accidentale, & hoc esset prius, quàm compositum substantiale, quod cum forma constituit; quod repugnat, quia substantia omnibus modis est prior accidente.

52 Secunda opinio tenet, proprium, atque immediatum subiectum, cui generatio inhæret, esse materiam primam. Ita expresse Aristoteles in hoc primo lib. ad finem quarti capitis his verbis: *Est autem & materia maximè quidem, & propriè subiectum generationis, & corruptionis susceptibile.* Ita etiam D. Thomas non solum in commentariis horum verborum, sed etiam in 2. distinct. 1. q. 1. artic. 2. & dist. 12 q. 1. art. 1. ad 5. Albert. Magnus 1. lib. de generatione tractat. 2. Venetus ibidem text. 24. Caiet. 3. p. q. 35. art. 5. Toletus q. 5. huius primi lib. & est communis, & vera. Probatur primò, quia generatio, vt superius probauimus, est mutatio substantialis, sed mutatio est in eo, quod mutatur, tamquam in subiecto, vt docet Aristoteles 5. lib. Phys. text. 12. his verbis: *Quoniam cui inest, illud mutatur*, ergo illud erit subiectum generationis quod per eam mutatur, & mutatur sola materia: ergo hæc sola est subiectum generationis. Probatur minor, quia sola materia transit à priuatione formæ ad eandem formam, quam per generationem recipit, vt per se est manifestum. Secundò, quia generans agit in materiam per actionem, quæ dicitur generatio substantialis, & per talem actionem educit formam de potentia eius: ergo actio generationis est via, per quam materia tendit in formam; sed prius est ordine executionis via, quàm terminus: ergo prius eodem ordine materia est in via, quam in termino, quod est prius recipere in se generationem, quàm formam, esseque subiectum inhæsionis eius. Quod euidenter sequitur ex eo, quod Bañez concedit, nempe materiam nudam esse subiectum, circa quod exercetur generatio, sicut mobile est subiectum, circa quod exercetur motus; sed repugnat actionem generationis exerceri circa materiam nudam, quin in ea recipiatur: ergo quin sit subiectum inhæsionis eius. Probatur minor, quia exercetur circa materiam tamquam circa passum: ergo tanquam circa recipiens, & subiectum.

53 Ad primum argumentum concedendum est primum enthymema, quantum ad eam partem; quæ asserit subiectum proprium sustentare accidentia, sed neganda est minor, quod materiæ repugnet sustentare generationem, habet enim propriam existentiam, & subsistentiam partialem, vt probauimus in 1. lib. Physic. per quas eam sustentare potest; quod vero ab aliis dicitur materiam semper esse coniunctam alicui formæ, à qua potest accipere esse, & per illud sustentare generationem, non

videtur

videtur mihi ſoluere argumentum; quod ſic probo. Materia in inſtanti generationis eſt coniuncta nouæ formæ, & tempore immediatè præcedenti fuit coniuncta formæ antiquæ, ſed cum tempore præcedenti nondum fuerit generatio ſubſtantialis, non potuit ſuſtentare generationem materia, per illud eſſe, quod recipiebat ab illa forma: in inſtanti verò generationis habet quidem iam nouam formam, ſed ratione illius non poteſt ſuſtentare generationem. Probatur efficaciter, quia prius natura, quàm recipiat formam, recipit generationem: ergo ratione alicuius eſſe prius debet eam ſuſtentare, & conſequenter nec ratione vnius formæ, neque alterius, ſed ratione ſui, hoc eſt ratione propriæ exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, quam à ſe habet, & non à forma. Quod verò dicitur in eodem enthymemate, non poſſe materiam eſſe ſubiectum generationis, quin effectum formalem eius recipiat, atque etiam propriam denominationem genitæ diſtinguendum eſt: quia vt ex D. Tho. 3. p. q. 35. art. 1. ad 2. colligitur, generatio duo habet, & quod ſit mutatio, & talis mutatio, nempe ſubſtantialis, quæ dicitur generatio, & primum habet in ordine ad ſubiectum ſecundum in ordine ad terminum, nam ſubiectum eſt, quod propriè mutatur, & à termino accipit eadem mutatio rationem ſpecificam; ratione ergo primi, quod habet in ordine ad ſubiectũ, tribuit ei effectum formalem, & denominationem; & ideo dicitur materia mutata per generationem; ſed ratione ſecundi, quod habet in ordine ad terminum denominat eum genitum, non ergo ſequitur materiam eſſe genitam licet ſit ſubiectum generationis, ſed ſolum eſſe mutatam, terminum verò eius eſſe genitum.

Ad ſecundum reſpondent aliqui materiam in genere cauſæ 54
efficientis prius reſpicere generationem, quam formam, quia generatio eſt quaſi effectio, vel cauſatio formæ, ſed in genere cauſæ materialis prius reſpicere formam, quia eam reſpicit tanquam actum ſubſtantialem, generationem verò tanquam actum accidentalem, qui eſt poſterior. Et quia recipere dicit genus cauſæ materialis, prius recipit in ſe formam, quàm generationem. Hæc tamen ſolutio nec verà eſt, nec ſatisfacit argumento. Probatur hoc modo: Per actionem agentis educitur forma de potentia materiæ, & fit in materia: ergo prius natura verſatur actio generationis circa materiam, quàm ſit forma, & vniatur materiæ, ſed verſatur circa illam, tanquam circa paſſum, atque ſubiectum: & ratio ſubiecti genus eſt cauſæ materialis: ergo adhuc in hoc genere materia prius reſpicit generationem, quàm formam ordine executionis, & cõſequenter prius natura eam recipiet. Et ſecundò, quia ſi prius reciperet

Respon. Aqua non est vera materia elementalis generationis, quia non est vera forma substantialis, sed tantum accidentalis, vel quasi substantialis, quia non habet esse in se completum, neque in materia, quod vera substantia, & forma substantialis habet, ut dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod aqua non habet esse completum in materia, sed forma accidentalis dispositiva, ut dictum est, & ideo non est vera materia elementalis, quia non habet esse perfectum in se, quia dicitur esse imperfectum, respectu eius, qui habet esse in se. Et sic est generatio aquæ, quia non habet esse completum in se, sed in alio, scilicet in materia, quæ est completum elementum. Esse autem dicitur aqua non vere in 3. Phy. dicendum, & ideo non est vera materia, quia non habet esse completum in se, sed in alio, scilicet in materia, quæ est completum elementum, quod patet ex dictis rationibus, quam formam, aliquam vero formam substantialem habet, ut dictum est, & ideo non est vera materia elementalis, quia non habet esse completum in se, sed in alio, scilicet in materia, quæ est completum elementum. Esse autem dicitur aqua non vere in 3. Phy. dicendum, & ideo non est vera materia, quia non habet esse completum in se, sed in alio, scilicet in materia, quæ est completum elementum, quod patet ex dictis rationibus, quam formam substantialem habet, ut dictum est, & ideo non est vera materia elementalis, quia non habet esse completum in se, sed in alio, scilicet in materia, quæ est completum elementum.

QVÆSTIO V.

Vtrum aqua sit elementum? & primum locum teneat, inter elementa de elementorum differentia?

Deinde quæritur circa quod elementum dicendum est, quod aqua non sit elementum, quia aqua est mixtum, ut dicit Aristoteles in 2. de generatione, per quæ elementa mixta sunt, & non elementa, per quæ elementa mixta sunt, & non elementa, per quæ elementa mixta sunt, & non elementa

& de ente,& essentia q.17. Herueus in tract.de vnitate formarum q.17.Probatur primo,quia agens naturale non potest concurrere ad aliquam actionem,nisi mediis accidentibus,vt ignis medio calore, & aliis qualitatibus : nam substantia creata non est per se ipsam operatiua,sicut Deus, sed per accidentia superaddita: ergo nec potest educere formam de potentia materiæ, & eam vnire materiæ,nisi mediis eisdem accidentibus, per quæ disponit eandem materiam;sed hæc accidentia , vel dispositiones non sunt iam in instanti generationis ; præsertim in opinione eorum,qui asserunt in toto composito, tanquam in subiecto inhærere,cum quo etiam corrumpuntur:ergo impossibile est in eodem instanti generãs agere,vel ab eo procedere actionem,per quam educatur forma de potentia materiæ, & producatur compositum;sed virtute alterationum præcedentium produci censendum est.

Secundò,quia ita operantur secundæ causæ per accidentia;vt non præstent alium concursum ad actiones,& effectus substantiales,præter eum,quem per illa præstant,vt 2.lib. Phys.docuimus , & probauimus ; sed in instanti generationis nullum est iam accidens , sed corrupta sunt omnia cum composito , præsertim si in eo subiectantur : ergo non potest concursum aliquem actualem præstare generans , nec poterit actio aliqua ab eo tunc procedere.Probatur consequentia;quia repugnat actionem procedere ab agente,nisi per actualem concursum. Quod clarius ostendo in generatione viuentium , ad quam non concurrit viuens,nisi per virtutem seminalem,tanquam per instrumentum ; sed virtus seminalis procedens à forma seminis corrumpitur necessariò cum eo : ergo sicut semen non manet iam in instanti generationis , in quo iam est anima vnita materiæ eius ; ita nec potest manere virtus seminalis : quare nulla erit causa secunda, à qua possit actio procedere in illo instanti:nam viuens , aut iam non est , vt contingere solet, vel non est præsens:vnde non potest per se concurrere ad talem actionem , sed nec per instrumentum proprium,quod est virtus seminalis : repugnabit ergo,actionem ab eo procedere , sed effectus dicetur fieri virtute alterationum præcedentium. 57

Tertio per alterationes præcedentes disponitur materia , & expellitur sufficienter forma substantialis ab ea , cum non possit naturaliter cum eis permanere, vt forma ignis cum summo calore , sed expulsionem formæ præexistentis sequitur naturaliter introductio nouæ : ergo alterationes præcedentes sufficiunt ad expulsionem vnius formæ , & introductionem alterius,quod est sufficere ad generationẽ;& ideo nõ erit necessaria 58

Digitized by Google

alia actio in instanti generationis, quæ sit generatio.

Secunda opinio præter alterationes tempore præcedentes ponit nouam aliam actionem instantaneam, per quam educatur forma, vniatur materiæ, fiatque compositum; & hanc distinguit realiter ab alteratione; vocatque generationem substantialem. Hæc est communis, & vera, sententia, quam tenent antiqui omnes, & moderni, D. Thom. quæst. 3. de potentia artic. 3. Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 9. Henric. quodlib. 9. quæst. 4. Auerroes 4. lib. Phys. comm. 29. Simpl. lib. 3. text. 8. Capreo. in 2. distinct. 13. q. 1. art. 3. Alexand. Alensis 3. p. quæst. 7. memb. 6. & moderni in expositione huius libri. Probatur testimonio Aristotelis 5. lib. Phys. cap. 1. tex. 9. & 10. & cap. 5 text. 51. quibus locis asserit ad substantiam non terminari motum per se, sed mutationem, & ideo generationem non esse motum. Quod etiam probat, quia motus versatur inter terminos positiuè contrarios, vt dealbatio inter album, & nigrum, generatio vero non nisi inter terminos contradictorios, vel priuatiuè oppositos, vt inter esse, & non esse: sed alterationes præcedentes generationem, vt calefactio, aut infrigidatio sunt motus; ergo generatio distinguitur ab eis ex mente Aristotelis.

59 Probatur etiam ratione ex parte subiecti, nam subiectum generationis substantialis est materia, alterationis vero compositum, vt docet expresse Aristot. 5. lib. Phys. capit. 1. text. 9. & capit. 4. huius libri circa finem. Et probat ratio, quia quod alteratur, compositum est, vt quod calefit, vel dealbatur: quod vero mutatur per generationem à priuatione formæ substantialis ad eandem formam, est sola materia; sed compositum, & materia sunt subiecta realiter distincta: ergo generatio, & alteratio sunt mutationes distinctæ realiter. Secundo, ex parte termini, nam per alterationem producitur qualitas: per generationem substantia; ergo sunt actiones realiter, atque specie distinctæ. Probatur tandem, quia productis accidentibus per alterationes præcedentes, non est eo ipso educta de potentia materiæ noua forma substantialis, neque vnita eidem materiæ; ergo requiritur noua, atque distincta actio, per quam educatur, & vniatur. Probatur antecedens, quia eductio formæ substantialis, & vnio eius cum materia, est nouus, atque distinctus effectus: & substantialis quidem, ac proinde alterius ordinis à qualitatibus per alterationes productis: ergo petit nouum, atque distinctum fieri, nouam, atque distinctam actionem, non successiuam, vt sunt alterationes, sed instantaneam, quia substantia totum suum esse habet simul, & non per partes, vel gradus, vt qualitates, & ideo postulat simul fieri, aut in instanti.

instanti. Ex quibus efficaciter colligitur generationem, per quam fit, esse actionem instantaneam, ab alterationibus præcedentibus specie, ac realiter distinctam.

Propter argumenta pro alia sententia posita (quæ vere difficillima sunt) dixerunt moderni quidam, causas secundas non posse quidem agere nisi mediis accidentibus, sed præter concursum, quem accidentia præbent, proprium habere, quem cùm præsentes non sunt, suppletur à Deo, à quo procedit actio instantanea eductiua, & vnitiua formæ, tanquam à causa supplente concursum secundæ, & ideo maiorem præstante, quam ad alias actiones, ad quas concurrunt causæ secundæ, quæ ad generationes viuentium nec per se, nec per instrumenta occurrere possunt, & ideo nullo modo. Hanc tamen sententiam refutauimus 2. lib. Phys. quia expresse contradicit principiis Aristotelis, & inter alia inconuenientia habet hęc; primum, quòd nullum viuens generet sibi simile, sed à solo Deo generetur: probatur euidenter, quia viuens non concurrit ad generationem per se, nec per instrumentum: ergo nullo modo est causa rei genitæ, sed solus Deus, qui supplet causalitatem eius: secundum, quòd nulla detur generatio vniuoca viuentium: cùm causa proxima eius, quæ est Deus, sit diuersæ rationis, & ordinis ab effectu tertium, quòd nulla detur relatio paternitatis, & filiationis in hominibus; cum relationes istæ fundentur in eo, quod vnus homo genuerit alterum, & iste sit genitus ab illo, vt docet expresse Aristoteles in prædicamento ad aliquid. 60

Secundo, possent respondere, qui tenent, accidentia recipi in materia prima tanquam in proprio subiecto, permanere accidentia impressa materiæ per alterationes præcedentes in instanti generationis, sicut permanet materia, in qua sunt: & ideo posse generans illis mediis agere ad eductionem, atque vnionem formæ substantialis, & actionem generationis procedere ab illo in eodem instanti. Sed hæc solutio in primis non est forma, quia solum tenet supposita illa opinione de subiecto accidentium: cuius opposita magis consonat principiis Aristot. & fortè est probabilior, vt in hoc lib. ostendimus. Deinde non habet locum in generatione viuentium, in quibus euidēs est apud omnes opinantes semen, ac virtutem seminalem corruptā esse in instanti generationis, in quo verum est dicere nouum viuens iam esse productum per introductionem animæ rationalis in materia seminis, atque adeo semen iam non esse, & ex consequenti, nec virtutem seminalem cum forma eiusdem seminis, cuius erat propria pereuntē, propter incompossibilitatem, quam habet cum anima rationali, & perfecta organizatione corporis. 61

Quo ſuppoſito nullum datur agens, à quo poſſit procedere actio generandi in illo inſtanti; quia aut viuens, à quo deciſum fuit ſemen, iam non eſt, vel eſt ſeparatum à loco generationis; quare nec per ſe, nec per virtutem ſeminalem agere poteſt.

62 Quare alij reſpondent, ad rationem Phyſici inſtrumenti non requiri quod in eodem inſtanti ſit, in quo ſequitur effectus, vel actio ab eo procedens; ſed ſatis eſt in tempore immediato fuiſſe, & tunc aliquid fuiſſe operatum, ex quo in inſtanti terminatiuo illius temporis ſequitur actio, & effectus; qui licet non dicantur procedere ab eo formaliter, procedunt tamen virtualiter, quia virtute eius, quod immediatè fecit, ſequuntur actio, & effectus. Gratia exempli, ſemen dicitur inſtrumentum generantis ad generationem viuentis, vt Ariſtot. & cum eo tota ſchola docet, quia materiam diſponit, & organizat, & virtute huius diſpoſitionis, & organizationis ſequitur eductio formæ de potentia materiæ, vel ſaltem vnio eius cum materia, atque etiam productio totius compoſiti, nec requiritur quòd actu exiſtat in inſtanti generationis, ſed ſatis eſt tempore immediato fuiſſe, ex quo Phyſicè loquendo cenſetur quaſi actu exiſtere, hoc eſt ita effectum, & actionem virtute eius ſequi, ac ſi in eo inſtanti exiſteret, nec maiorem ſimultatem cum effectu petit cauſalitas Phyſica, de cuius intrinſeca ratione ſolum eſt operari ex determinatione ad vnum; quod vero actu exiſtat cauſa dum operatur, vel tempore immediatè præcedenti ſufficit ad cauſalitatẽ; nec eſt poſſibilis naturaliter alius modus cauſandi in his inſtrumentis generationis viuentium: cum non ſit completa cauſalitas eorum vſque ad vltimum inſtans terminatiuum temporis, quemadmodum ſacramenta dicuntur habere modum cauſalitatis Phyſiſicè, nec tamen cauſare vſque ad vltimum inſtans, quia vſque ad illud non eſt completa ſignificatio verborum, quæ tamen in illo inſtanti, iam non exiſtunt: quare vel negandum eſt omnino viuentia generare ſibi ſimilia, vel admittendũ, quòd virtualis ſimultas cauſæ cum effectu ſufficiat, quam habet per actualem exiſtentiam, & cauſalitatem in tempore immediato, ſicut ad ſimultatem cauſæ moralis ſufficit ſimultas moralis, hoc eſt non niſi per paruum tempus interrupta; hoc enim in moralibus cenſetur ſimul eſſe cum alio, quod non niſi per modicum ſpatium, vel tempus ab eo diſtat.

63 Quo ſuppoſito actio generandi, & effectus procedunt, ac dependent in inſtanti generationis formaliter à prima cauſa, non quidem ſupplente concurſum ſecundæ, & ideo nec maiorem, ac diſtinctum concurſum tribuente, quàm ſi cauſa ſecunda per ſe, vel per inſtrumentum eſſet præſens, ſed eodem prorſus; quia concurſus,

concurſus,quem tunc adhiberent formaliter, adhibent virtualiter : à cauſa vero ſecunda procedunt virtualiter propter virtualem modum dependentiæ,quem habent ab eius inſtrumento tempore immediatè præcedenti exiſtente, & operante, cuius operationis virtute procedunt actio,& effectus in inſtanti terminatiuo eiuſdem temporis.

Sed hæc etiam ſententia difficilè poteſt ſuſtineri, quod ſic probo; actio dicit ab intrinſeco actualem egreſſionem, ac dependentiam ab agente; ſed ab eo,quod non exiſtit actu, nihil poteſt actu egredi, aut dependere; ergo nec poteſt agere id, quod non exiſtit actu. Secundò,non poteſt agens agere,niſi per actualem cõcurſum & influxum in effectum;ſed influxũ actualem, vel concurſum præſtare non poteſt, niſi actu ſit : ergo neque poteſt agere. Probatur minor,quia actualis concurſus, vel influxus procedit ab entitate formæ, vel agentis;ſed quod non exiſtit actu,non habet entitatem realem extra cauſas:ergo non poteſt præſtare concurſum, neque influere in effectum, nec proinde poterit agere. Quare niſi cauſa ſecunda actu exiſtat, per ſe, vel per inſtrumentum, non poterit eſſe cauſa generationis,aut effectus.

Noſtra igitur ſententia eſt; cauſam ſecundam per ſe, vel per 64
ſuum inſtrumentum actu exiſtere,& præſens eſſe, actúque influere in inſtanti generationis, & ideo actionem inſtantaneam, quæ eſt generatio, ab ea procedere. Quod in generationibus rerum non viuentium ſatis eſt manifeſtum : cum ignis à quo generatur alius ignis ex ligno in inſtanti generationis permaneat, atque etiam calor in eo exiſtens, quo vtitur tanquam inſtrumento ad generationem : quod vero non permaneat calor,& aliæ diſpoſitiones, quas produxit in ligno per alterationes præcedentes, impertinens eſt, quia valdè probabile eſt non concurrere effectiuè ad generationem ignis,ſed ſolum in genere cauſæ materialis diſponendo materiam ;& etiam ſi effectiuè concurrerent, neceſſarium non eſſet, quod in eo inſtanti permanerent : ſed ſatis eſt permaneat inſtrumentum coniunctum, quod eſt calor proprius ignis, quo medio actio generationis procedit ab igne, à quo proceſſerunt eædem diſpoſitiones præcedentes.In generatione autem viuentium permanet etiam virtus ſeminalis in inſtanti generationis, qua media, tanquam inſtrumento producit actionem generandi, & effectum. Quod vt intelligatur, notandum eſt ex doctrina D. Thomæ 2. lib. contra gentes cap. 57. & cap. 89. atque etiam quæſt. 3. de potentia art. 9. & 11. ſemen duplices partes habere, quaſdam craſſas, alias vero tenues, & quaſi ſpirituoſas

in qui

in quibus ſunt ſpiritus quidam ſimiles vaporibus, & in his ſpiritibus contineri virtutem ſeminalem, per quam diſponitur, & organizatur materia earumdem partium ſubtiliorum, ex qua ſola educitur anima, vel ei ſoli vnitur (ſi rationalis ſit) & non ex materia partium craſſiorum, ſed iſtæ corrumpuntur,
65 vel reſoluuntur in aliud compoſitum non viuens. Et huius diſtinctionis habemus exemplum per experientiam notum in grano tritici, & alijs ſeminibus, in quibus videmus virtutem ſeminalem, à qua procedit generatio, non in omnibus partibus grani contineri, ſed in quibuſdam diſtinctis ab alijs; diſtinctio autem in ſemine animalium per ſpiritus illos cognoſcitur, quia partes quidem ſeminis diſtinctæ ſunt ab illis, quarum materia organizatur, atq; diſponitur pro introductione animæ in ea: & ideo poſſunt in illas agere per virtutem ſeminalem, quam continent actione reali, cum diſtinguantur realiter. Poſſunt etiam ſpiritus illi ſimul cum virtute ſeminali perſeuerare in inſtanti generationis, & re vera permanent, quãuis corrumpantur reliquæ partes ſeminis, in quarum materia introducitur anima: permanens vero virtus ſeminalis poteſt actu concurrere ad generationem, & compoſitum genitum tamquam inſtrumentum generantis, & conſequenter poteſt noua actio generationis inſtantanea ab ea procedere in inſtanti generationis, poſt eã vero ſpiritus illi, in quibus reſidet virtus ſeminalis, reſoluuntur, & pereunt. Quòd verò dicitur de hac virtute ſeminali exiſtente in ſemine deciſo a viuente pro generatione alterius ſimilis in ſpecie, dicendum eſt in reliquis generationibus, quæ ſunt quaſi viæ ad alias, & ideo imperfectæ, vt de generatione embrionis ſub vita plantæ, & deinde ſub vita ſenſitiua, ſi verum eſt (vt Ariſtoteles & D. Thomas docent) in generatione hominis priùs introduci animam vegetatiuam in materia, deinde animam ſenſitiuam, & tandem rationalem: tunc enim pro ſingulis formis ponenda eſt virtus ſeminalis cuilibet formæ propria, ac proportionata reſidens in partibus diſtinctis ab his, ex quarum materia organizatur corpus ad introductionem animæ, à qua virtute tamquam ab inſtrumento generantis procedunt alterationes, per quas præparatur materia, & organizatur corpus, fitque aptum ad talem formam recipiendã, atque etiam eductio formæ de potentia materiæ, vel vnio eius cũ materia, vt copioſius explicabitur 2. lib. de anima, vbi ex profeſſo agemus de generatione viuentium, nunc enim ſolum de generatione ſubſtantiali in communi agit Ariſtoteles.

66 Et ex hac doctrina facile ſoluuntur argumenta primæ opi-

nionis,

Digitized by Google

nionis,nam ad primũ diſtinguenda eſt minor, quod in inſtanti generationis non permaneant accidentia ; ſunt enim duplicia, quædam producta per alterationes in materia, ex qua educẽda eſt forma, pro eiuſdem materiæ diſpoſitione; alia in agente, per quæ producuntur, vt in generatione ignis ex ligno eſt calor productus in ligno pro diſpoſitione materiæ, & eſt calor eiuſdem ignis , cuius virtute productus eſt. Et de primis accidentibus concedi poteſt,quod non permaneant,in inſtanti generationis, quia corrumpuntur ad corruptionem totius ligni : ſed negandum de poſterioribus, quibus mediis tanquam inſtrumentis poteſt actio generationis procedere in inſtanti generationis ab agẽte ſuppoſitis alterationibus præcedẽtibus.

Ad ſecundum conceſſa maiori, neganda eſt minor, quòd in inſtanti generationis corrupta ſint accidentia, per quæ agere poſſit generans, vt in generatione viuentium, quod corrupta ſit virtus ſeminalis , cum ſit corruptum ſemen, in quo erat; nam virtus ſeminalis non eſt in toto ſemine, ſed in quibuſdam partibus eius, quæ vocantur ſpirituoſæ, ex eo quod in eis reſident ſpiritus quidam continentes virtutem ſeminalem, & cum hi ſpiritus ſint partes diſtinctę,etiam ab eiſdem,in quibus reſident;ſicut ſpiritus vitales, qui reſident in ſanguine , diſtinguntur ab eo,poſſunt per eandem virtutem ſeminalẽ agere, in eaſdem partes,quibus adiunguntur, vſque ad corruptionem earum,cum quibus tamen non corrumpuntur, ſed permanent in inſtanti generationis , poſt illud verò reſoluuntur in res alias.

Ad tertium, conceſſa maiori , & minori,neganda eſt conſe- 67
quentia, quod non requiratur noua alia actio , in inſtanti terminatiuo alterationum præcedentium,pro introductione nouę formæ, nam cum eductio formæ ſubſtantialis de potentia materiæ,vel vnio eius cum materia ſit nouus effectus ſubſtantialis diſtinctus à diſpoſitione materiæ,& per ſe productus , requirit nouam,ac diſtinctam actionem ſubſtantialem , per quam producatur,præter alterationes præcedentes; per quas licet diſpoſitiue expellatur forma ſubſtantialis præcedens , non tamen formaliter niſi per formam ſubſtantialem nouam atque eductam de potentia eiuſdem materiæ,vel ei vnitam.Non eſt ergo bona conſequentia ; forma ſubſtantialis præcedens non poteſt permanere cum diſpoſitionibus contrarijs, ergo ab eis expellitur ſufficienter, ſed ad formalem expulſionem eius requiritur introductio nouæ,à qua ſola expellitur formaliter , ab agente effectiuè, à diſpoſitionibus verò ſolum diſpoſitiuè , vt inferius oſtendetur.

Et ex

Et ex doctrina huius quæstionis constat generationem esse actionem, vel mutationem distinctam realiter ab alteratione, propter distinctionem realem effectus per vtramque producti;& præterea distinguntur ex parte subiectorum, nam subiectum alterationis est compositum, quod ei præsupponitur, & circa quod agens operatur: subiectum vero generationis est materia prima,vt probabimus. Distinguntur tandem ex parte terminorum ad quos, quia terminus alterationis est qualitas, generationis vero substantia de nouo producta. Et hæc distinctio est specifica,quia species actionum,& mutationum, & distinctio earum specifica à terminis ad quos accipienda est, vt lib.5.Phys.probauimus.

TRACTATVS SECVNDVS.
De corruptione substantiali.

QVÆSTIO I.

An sit,& quid sit corruptio substantialis,& an naturalis sit rebus sublunaribus?

68 QVatuor inquirit titulus quæstionis eodem ordine explicanda,primum, an sit corruptio substantialis?secundum, quid sit: tertium,an sit naturalis,vel violenta? quartum an intendatur per se à natura?Et circa primum, quod detur in rebus naturalibus corruptio substantialis,eisdem prorsus testimonijs Aristotelis,Platonis,& aliorum Philosophorum, eisdem rationibus naturalibus, eadem experientia probatur, ac probatum est in principio tractatus præcedentis, quod detur generatio substantialis;quia,vt inferius ostendetur, generationi naturali vnius rei necessariò coniuncta est corruptio alterius, ideo non est modò probandum,sed tamquam certum præsupponendum.

Circa secundum vero: Quid sit corruptio substantialis? sic est corruptio definienda:*Corruptio est mutatio ab esse substantiali formæ in materia ad non esse eiusdem.* In qua definitione ponitur mutatio,non tamquam genus, vt in definitione generationis, sed loco generis;quia generatio, & corruptio non conueniunt vniuocè in ratione mutationis, sed conuenientia quadam analogica, cum generatio sit vera,ac positiua mutatio, corruptio verò non positiua,& ideo nec vera,sed negatiua, & per similitudinem, vel attributionem ad generationem, & per mutationem

tionem ita explicatam excluduntur omnes actiones, quæ non sunt mutationes,vt creatio & anihilatio(si veræ actiones sunt) atque etiá prima eductio formarum substantialium de potentia materiç,in qua cum non præcesserit materia sub priuatione formæ,non est mutatio:& ideo neque est generatio,vel corruptio sed actio productiua substantiæ.Per cæteras verò particulas explicatur terminus à quo,& ad quẽ corruptionis:ille quidem, tamquam necessaria conditio mutationis, iste verò tamquam id,à quo habet speciem. Dicitur autem terminus à quo esse formę in materia,quia sicut esse formæ in materia est terminus formalis ad quem generationis, ista est terminus formalis à quo corruptionis:sed substãtia composita est terminus totalis, atq; completus, terminus verò ad quem eiusdem corruptionis est non esse eiusdem formæ in materia,non quidem purè negatiuè sumptum,sed priuatiuè:quod est dicere,priuationem eiusdem formæ in materia esse terminum formalem, à quo habet speciem.quamuis non esse totius substantiæ completæ sit terminus adæquatus,atque completus, & per hanc particulam sic explicatam distinguitur corruptio substantialis à generatione substãtiali,atque etiam à generatione, & corruptione accidentali,cuius terminus est non esse formæ accidẽtalis in subiecto. Et ex his constat corruptionem substantialem esse in rerum natura,& quid sit.

An corroptio sit naturalis?

PRius quàm diuersas opiniones afferamus, duo sunt expli- 69
canda:primum,quot modis sumatur naturale; secundum, in qua significatione nunc accipiatur. Primo modo accipitur, prout oppositum supernaturali,& artificiali:neutrum enim horum pertinet ad ordinem naturæ,sed supra,vel prẹter illum dicuntur esse: & hoc modo non accipitur naturale in hac parte, quia certum est corruptionem substantialem nec supra naturam esse,nec ad artem pertinere. Secundo modo accipitur pro eo,ad quod inclinatur natura: in qua significatione naturale est materiæ recipere formam,quia naturalem habet inclinationem ad illam,atque etiam est naturale lapidi moueri deorsum: & in hac significatione opponitur violento,vt docet Aristoteles 5.lib.Phys.cap.6.tex.7. Tertio modo accipitur pro eo quod aliquo modo conuenit naturæ rei,vel ei consentaneum est, vt dicimus,cœlo conuenire, quòd non habeat aliquam ex primis, vel secundis qualitatibus:accipitur autem naturale in his duabus acceptionibus.

Secundò notandũ est corruptionem cum tribus posse comparari,

parari,nempe cum materia cum forma,& composito;nam materia est subiectum eius,sicut generationis;forma vero,& compositum pertinent ad terminum à quo, & non esse totius ad terminum ad quem,modo iam explicato.

His explicatis prima opinio modernorum tria asserit. Primum,quod si corruptio comparetur,ad materiam nullo modo est ei naturalis. Probat hoc argumento; certum est materiam nullam habere virtutem actiuam naturalem,per quam concurrat efficienter ad corruptionẽ,sicut nec ad generationem; ergo non est ei naturalis corruptio tamquam principio actiuo: sed nec tamquam principio passiuo: ergo nullo modo est ei naturalis.Probatur minor,quia si materiæ esset naturalis corruptio, vt principio passiuo, maximè quia dum habet vnam formam appetit aliam, & ad eam recipiendam inclinatur, & quia eam non potest recipere, nisi expulsa illa,quam habet, & corrupto cõposito inclinatur suo modo ad corruptionẽ;sed materia solũ appetit formam amissibilem in communi, & nullam in particulari,satiata est enim ea, quam habet; ergo in materia nulla est inclinatio passiua ad corruptionem;nec potest esse naturalis ei corruptio.

70 Secundo, quia corruptio per se vel ratione sui non potest esse naturalis materiæ, sed solum propter generationem nouæ formæ: sed nec generatio nouæ formæ est naturalis materiæ; ergo multo minus est ei naturalis corruptio. Probatur maior, quia corruptio tendit ad non esse formæ, quam materia actu habet,sed materia non appetit non esse suæ formæ,quin potius ea gaudet, ac delectatur;ergo nõ appetit per se corruptionem. Et eodem modo probanda est minor, quod non ratione generationis,quia nulla potest assignari idonea ratio,propter quam materia appetat formam, quam non habet potius quàm eam,à qua informatur:immo necesse est magis inclinetur in hanc, à qua accipit esse cum dispositionibus propriis: ergo nec appetit eductionẽ nouæ formæ ex propria potentia,quæ est generatio.

Tertio,quia materia habet esse à forma eam actu informante: ergo amissio eius,nec potest esse secundum inclinationem materiæ,nec naturam eius sequi, atque adeo non potest esse ei naturalis primo,nec secundo modo.Probatur prima cõsequentia,quia amissio formæ est opposita esse naturali,quod materia habet ab ea;non est ergo secundum propriam inclinationem, nec vllo modo ei naturalis, quia non esse proprium nulli est naturale.

Secũdum,quod asserit eadem opinio est, corruptionem non
71 esse naturalem compositis non viuentibus, aut formis eorum.

Quam

Quam sic probant ; non potest esse naturalis corruptio alicui composito, vel formæ, nisi propter principium intrinsecum actiuum, per quod expellat efficaciter propriam formam, & introducat alteram ; sed tale principium non possunt habere res istæ vllo modo ; ergo nec possunt efficienter se corrumpere. Probatur minor, quia tale principium non possunt habere, nisi à propriis formis, vel dispositionibus earum : sed ab his non potest procedere actio contraria conseruationi compositi, sed potius ei conueniens : ergo nec potest esse eis naturalis corruptio. Probatur minor, quia actio naturalis est conformis naturæ effectiui principij, à quo procedit, nempe formæ substantiali, atque etiam qualitatibus eius, quibus mediis operatur : ergo impossibile est in his rebus esse principium effectiuum corruptionis compositi, vel formæ eius. Gratia exempli ; actio procedens ab igne, aut calore eius conformis debet esse naturæ suæ formæ, à qua procedit ; & eidem calori, quo medio procedit, quare repugnat esse principium corruptionis eiusdem ignis, vel formæ substantialis eius ; & ex consequenti repugnat corruptionem esse naturalem igni ex parte formæ, seu principij actiui : & cum probatum sit non esse naturalem ex parte materiæ, sequitur non esse ei vllo modo naturalem ; sed eiusmodi corpora naturalia ab extrinsecis agentibus semper corrumpi per violentiam.

Secundo probatur, quia corruptio ordinatur ad non esse horum compositorum, sed repugnat aliquid naturaliter appetere, vel inclinari in suum non esse, quin potius omnia appetunt naturaliter esse proprium, & conseruationem eius ; ergo non potest esse eis naturalis corruptio ex propria inclinatione naturali, sed nec potest sequi vllo modo naturam eorum, vel esse ei consentanea, quia impossibile est sequi naturam alicuius rei, vel ei esse vllo modo conforme, quod repugnat naturali inclinationi eius.

Asserit tertio, rebus naturalibus viuentibus naturalem esse corruptionem solum à principio intrinseco actiuo, à quo causatur naturaliter propria corruptio. Et principium hoc intrinsecum est calor naturalis, cuius continua actione consumitur humidum radicale, & ipse etiam calor repatitur agendo, ac debilitatur, & tandem deficit, & consequenter compositum actione eius consumptum.

Nostra tamen sententia duabus conclusionibus explicatur. 72
Prima est ; si naturale sumatur primo modo pro eo, quod res appetit, vel in quod inclinatur, corruptio non est naturalis comparata ad compositum, vel formam ; benè tamen comparata

Digitized by Google

ad materiam. Probatur prima pars hoc argumento. Corruptio tendit per se ad non esse formæ in materia, quod etiam est non esse compositi; sed nihil inclinatur ad proprium non esse, sed potius appetit naturaliter esse, & conseruationem in eo: ergo corruptio non potest esse naturalis formæ, vel composito.

Secunda vero pars, quòd sit naturalis materiæ, sic probanda est. Materia appetit naturaliter quamlibet formam; ergo habens vnam, appetit aliam, & naturaliter potest eam recipere, sed non potest recipere, quam non habet, nisi expulsa ea, quam habet; cum repugnet naturaliter simul habere plures, & ex consequenti sine corruptione compositi, atque eiusdem formæ, si sit educta de potentia eiusdem materiæ: ergo corruptio naturalis est ei ex inclinatione, & appetitu eiusdem materiæ. Primum antecèdens, quòd materia appetat quamlibet formam etiam in particulari, & non solum rationem formæ in communi, probaui aduersus hos modernos 1. lib. Phys. tract. de materia; & probatur nunc hoc argumento. Materia ex se non habet minorem proportionem cum vna forma substantiali, quam cum alia, sed æqualem cum omnibus: nec habet proportionem solùm cum forma in communi, sed cum qualibet in particulari, quia quamlibet potest recipere, non solùm vt formam, sed vt talem: ergo quantum est ex se, omnes respicit, in omnes inclinatur, omnes appetit: vnde pro qualibet in particulari recipienda potest disponi: ergo quamlibet in particulari potest recipere: sed non potest recipere naturaliter vnam sine expulsione alterius, & corruptione compositi; ergo naturalis est corruptio materiæ ex inclinatione, & appetitu eius ad nouam formam.

73 Secunda conclusio. Naturale accepto secundo modo pro eo, quod sequitur naturam alicuius, vel consonum est ei, naturalis est corruptio comparata ad compositum, ad formam, atque etiam ad materiam. Probatur primò quantum ad compositum; nam esse compositi dependet ex vnione materiæ cum forma, sed hæc potest ex natura sua dissolui; ergo compositum potest ex sua natura corrumpi. Probatur minor ex modo informandi eiusdem formæ in hoc distincto à modo informandi formæ cœlestis, quòd hæc comparatur ad materiam non potentem recipere aliam formam, & ideo modo inamissibili, atque perpetuo informat eam, & consequenter vnitur ei vnione naturaliter indissolubili; & propterea compositum sua natura incorruptibile constituit; formæ verò sublunares comparantur ad materiam potentem recipere alias formas, quod imperfectionis est, ideo modo amissibili, & non perpetuo informant;

formant; & vnione ſua natura diſſolubili vniuntur eidem materiæ. Ex quo ſequitur compoſitum conſtituere ſua natura corruptibile,& cui corruptio naturalis erit; quia vnio formæ cum materia, & informatio eius, atque conſeruatio in materia dependet ex certis quibuſdam diſpoſitionibus, vt permanentia formæ ignis in materia ex calore,& ſiccitate; ſed diſpoſitiones iſtæ habent alias naturaliter contrarias, à quibus expelli poſſunt à ſubiecto; eis verò expulſis impoſſibile eſt naturaliter formam permanere in materia, & vnionem non diſſolui, ex cuius diſſolutione euidenter ſequitur corruptio compoſiti,cui eadem corruptio naturalis erit. Et ex his rationibus ſequitur corruptionem eſſe naturalem formæ;quod ſic probo: Formæ eductæ de potentia materiæ non ſubſiſtunt per ſe, vt probatum eſt 1. lib. Phyſ.tract.de forma, ſed inhærent materiæ dependenter ab illa;ſed talis vnio diſſolubilis eſt,vt probauimus:ergo tales formæ naturaliter ſunt corruptibiles. Probatur conſequentia,quia ſeparatæ à materia non poſſunt conſiſtere, ſed ſtatim deſinunt eſſe.Et ſicut à diſpoſitionibus contrariis expelli poſſunt naturaliter propriæ, quibus mediis conſeruantur formæ in materia, conſequenter expelli poſſunt formæ ipſæ, & per expulſionem corrũpi:corruptio igitur cõpoſito, & formis de eductis potentia materię naturalis eſt,tanquam conſequens naturam eorum; atque etiam animæ rationalis, licet non quantum ab ſubſtantiam, ſed quantum ad informationem corporis. Et tandem, 74
quod materiæ ſit hoc modo naturalis,ſic probatur. Materia ſua natura poteſt recipere omnes formas, etiam in particulari, & pro eis diſponi; ſed naturaliter eſt impoſſibile recipere vnam, ſine expulſione alterius, & corruptione compoſiti: ergo ex propria natura eſt ſubiectum generationis, & corruptionis quare non minus hæc, quàm illa eſt ei naturalis,tanquam conſequens naturam eius.

Veritas denique huius concluſionis ſpeciali ratione oſtendi poteſt in viuentibus, quorum ſubſtantia prima, in qua primo generantur, perfecta, atque conſiſtens cenſetur; & temperamentum naturale eius, cum quo conſeruatur, eſt humidum, ac frigidum, & ideo appellatur humidum radicale; in hac vero ſubſtantia inceſſanter agit calor naturalis calefaciendo, & exſiccando illam, & ideo conſumendo humiditatem, ac frigiditatem eius, per quas conſeruatur, & ex conſequenti conſumendo partes eiuſdem ſubſtantiæ, quæ cum tanto calore, & ſiccitate non poſſunt conſeruari: ad reparandam verò huiuſmodi corruptionem indigent viuentia corpora noua ſumptione ſibi per virtutem eiuſdem caloris naturalis conuertendi in

ſubſtantiam,indigent quoque reſpiratione continua ad temperandam vim eiuſdem caloris;qui cum repatiatur ab eodem humido radicali,& à qualitatibus alimenti ſibi contrariis naturaliter etiam debilitatur, ita vt licet in principio vitæ poſſit plus alimenti conuertere in ſubſtantiam, & viuens ſeipſum augere, in ſtatu vero non iam maiorem, ſed æqualem tantum ſubſtantiam poteſt conuertere,& tandem non æqualem, ſed minorem; & ita paulatim conſumitur viuens,& moritur:& ecce mors,vel corruptio eſt ei naturalis à principio actiuo intrinſeco. Illa verò corruptio,quæ à cauſis extrinſecis,tam viuentibus,quàm non viuentibus corporibus accidit, non dicitur naturalis, ſed violenta; & propterea Ariſtoteles diſtinguit duplicem corruptionem,naturalem,& violentam 5.lib.Phyſ.cap.6.text.57.Ex cuius principiis colligitur doctrina hæc,atque etiam ex D.Thoma 1. p.quæſt.57.artic.4.& ex Scoto in 2.diſtinct.9.

75 Ad primum argumentum primæ opinionis deſumptum ex parte materiæ,neganda eſt minor,quòd materia ſublunaris non appetat formas in particulari, ſed ſolùm in communi, & quod ſatiata ſit forma, quam habet, vtrumque enim falſum eſt, quia cum habeat naturalem capacitatem, & potentiam paſſiuam recipiendi omnes formas in particulari, neceſſe eſt omnes appetere,& nulla ſatiari, vt probatum eſt.

Ad ſecundum,negandum eſt, quòd materiæ non ſit naturalis generatio nouæ formæ,& corruptio eius,quam habet; nam per ſe non minus appetit nouam formam,quàm præſentem,& cum dentur agentia naturalia, à quibus poſſint nouæ introduci, naturalis eſt materiæ noua generatio, quæ cum non poſſit fieri ſine corruptione formæ præſentis: naturalis cenſetur ei corruptio,quam licet per ſe non appetat,benè tamen per accidens.

76 Ad tertium reſpondeo, quòd licet naturale ſit materiæ illud eſſe, quod accipit à forma præſenti, etiam eſt ei naturale aliud eſſe,quod poteſt recipere ab alia forma, quã cum poſſint agentia naturalia in eandem materiam introducere, poteſt etiam materia recipere aliud eſſe ſibi naturale ab alia forma, & illud appetere; quod cum non poſſit recipere,niſi per corruptionem eiuſdem eſſe præſentis,& expulſionem præſentis formæ:vtrumquæ dicitur appetere per accidens, & eſſe ei naturale.

Ad primum deſumptum ex parte compoſiti,& formæ,neganda eſt maior,quod compoſito non viuenti non poſſit eſſe naturalis courruptio, niſi à principio intrinſeco actiuo:poteſt enim eſſe naturalis ex parte vnionis naturaliter diſſolubilis, propter modum amiſſibilem informandi harum formarũ ſublunarium.

Ad ſecundum, concedenda eſt prior pars eius, quod non viuentibus

uentibus non sit naturalis corruptio ex propria inclinatione eorum, sed neganda est pars posterior; quòd non sit naturalis, tanquam consequens naturam. Et cùm dicitur; non posse esse naturale, quod repugnat naturali inclinationi rei, distinguendum est; naturale ex inclinatione esse non posse, bene tamen vt consequens eandem inclinationem naturalem; & ita se habet corruptio ad easdem res naturales, quarum inclinatio licet sit ad esse, non quodcumque, sed debile, ac sua natura defectibile per dissolutionem vnionis formæ cum materia, à qua dependet: quare sicut naturalis est inclinatio ad eiusmodi esse, ita naturale est eidem esse, quòd possit deficere, & ex consequenti corruptio tendens ad non esse naturalis dicetur, si non ex inclinatione eiusdem rei, saltem vt consequens naturam eius defectibilem ex propria conditione.

Tertium vero quod asserit eadem sententia, & argumentum, quo illud probat, conceduntur à nostra.

QVÆSTIO II.

An corruptio rerum naturalium sit per se intenta à natura?

PRrima opinio asserit corruptionem non esse per se intentam à natura, sed omnimodò per accidens, & præter eius intentionem sequi. Ita videtur loqui D. Thomas 3. contra Gentes cap. 94. & 1. p. quæst. 19. art. 9. & q. 49. art. 2. quibus locis malum asserit non per se intendi, sed per accidens sequi in operationibus, & cum corruptio sit malum naturæ, videtur sentire, quòd non sit per se intenta ab eadem natura, quia nemo intendit proprium malum. Ita etiam loquuntur Henricus in Summa art. 41. Caietan. in eisdem locis primæ partis, & Capreolus in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 3. & dist. 34. quæst. 2. art. Et probatur ratione; primo, quia natura per se intendit, esse, rerum naturalium, tanquam naturale bonum, sed corruptio tendit ad non esse earum: ergo non potest per se cadere sub intentione naturæ. 77

Secundo, quia natura non est aliud, quam naturales causæ, à quibus producuntur effectus; sed nulla causa naturalis intendit per se corruptionem; ergo non est intenta per se à natura. Probatur minor, quia causæ naturales tam vniuersales, quàm particulares solum intendunt per se educere formam de potentia materiæ, vnire eam materiæ, & producere compositum ex vnione resultans: expulsio verò formæ præexistentis per accidens sequitur, quia accidit esse in materia, & esse contrariam formæ

introducendæ, quæ non minus introduceretur, & generaretur compoſitum, ſi non adeſſet in materia alia forma: ergo à nulla cauſa naturali per ſe intenta eſt corruptio.

78 Hanc ſententiam ſequuntur Conimb. 1. lib. de gene. cap. 4. quæſt. 16. artic. 5. & eam explicant hac diſtinctione. Duobus modis contingit aliquid intendi per ſe, primo, ita vt non ordinetur ad aliud, ſed in eo ſiſtat intentio; & ita intenditur ab infirmo ſanitas: ſecundo, intenditur per ſe, ita vt ſit obiectum intentionis, ſiue ordinetur ad aliud, ſiue non; quo pacto intenditur per ſe deambulatio, quia per ſe eſt obiectū electionis infirmi, quamuis ab eo ordinetur in ſanitatem. Hoc ſuppoſito dicunt primo, corruptionem non intendi per ſe primo modo: in quo conueniunt omnes, quia quod per ſe ita intenditur, finis tantum eſt, finis verò debet eſſe bonum, & ideo entitas aliqua poſitiua, qualem non eſſe corruptionem euidens eſt; cum ſit negatio quædam, & ad non eſſe rei ordinetur. Secundò aſſerunt, neque eſſe per ſe intentam ſecundo modo, quia malum non poteſt eſſe obiectum terminans intentionem cum nemo intendens ad malum operetur, vt teſtatur D. Dionyſius in lib. de diuinis nominibus cap. 4. & Ariſtot. 1. Ethic. cap. 1. ſed habens pro obiecto aliquod eſſe, vel bonum: corruptio autem eſt malum naturæ, cum ordinetur ad non eſſe rei naturalis: ergo non poteſt eſſe in ſe obiectum intentionis, quod in moralibus videtur magis manifeſtum: in quibus certum videtur peccatum non intendi per ſe à peccante, ſed bonum aliquod, vtile, vel delectabile, malitiam vero per accidens ſequi, propterea quod peccatum priuatio quædam eſt, vt deſtructio rei, & ita ſe habet in naturalibus corruptio: quæ non poteſt per ſe intendi à natura.

79 Vt autem noſtram ſententiam explicemus, duplex intentio naturæ diſtinguenda eſt, primaria & ſecundaria. Primaria intentiò naturæ illa dicitur, quam primo habet in ſuis omnibus operationibus, nempe producere perfectiſſimum, quod poteſt. Secundaria vero verſatur circa ea, quæ neceſſariò coniuncta ſunt effectui per ſe primo intento, vel quæ cum naturaliter conſequuntur, vt in generatione per ſe intendit natura primaria intentione producere rem naturalem ſecundum ſubſtantiam: ſecundaria verò producere paſſiones, vel proprietates eam naturaliter conſequentes, vel etiam defectus naturales cum quibus generatur, quia dum non poteſt rem producere cum omni perfectione ſibi debita, iuxta primariam intentionem, intedit eam producere ſaltem imperfectam intentione ſecundaria. Vtrumque membrum huius diſtinctionis habetur apud Ariſtote

Ariſtotelem, primum quidem 7. lib. Phyſ. text. 18. his verbis: *Circulus tunc maximè ſecundum naturam eſt, cum maximè circulus.* Secundum vero habetur 2. lib. de generatione animalium capit. 3. Vbi de generatione animalium loquens ait, naturam per ſe primo marem intendere, ſed dum non poteſt id aſſequi, producere fœminam, quæ eſt quaſi læſus mas, & ideo productio maris pertinet ad primariam intentionem naturæ, productio fœminæ ad ſecundariam. Eandem diſtinctionem poſuit expreſſe D. Thomas loco ſtatim citando.

Qua ſuppoſita aſſerit noſtra ſententia, corruptionem non eſſe per ſe intentam à natura primaria intentione, benè tamen ſecundaria. Primum tanquam certum recipiunt omnes: & probatur euidenter argumentis primæ opinionis. Secundum vero expreſſum eſt apud D. Thomam in 4. diſt. 36. quæſt. 1. art. 1. ad 2. his verbis: *Nihil prohibet eſſe aliquid contra naturam, quantum ad primam intentionem ipſius, quod non eſt contra naturam quantum ad ſecundam eius intentionem, ſicut omnis corruptio, & defectus, & ſenium eſt contra naturam. vt dicitur in 2. cœli, & mundi, quia natura intendit eſſe, & perfectionem, non tamen eſt contra ſecundam intentionem naturæ, quia ex quo natura non poteſt conſeruare eſſe in vno, conſeruat in altero, quod generatur corruptione alterius: & quando natura non poteſt producere ad maiorem perfectionem intendit ad minorem. Quod etiam tenet Ferra. 2. lib. contra Gent. cap. 40.*

Et probatur ratione, quia dum aliquid per ſe primo intenditur, neceſſe eſt conſequenter intendi illud, quod in eo neceſſario, vel per ſe includitur, aut ſine quo eſſe non poteſt, vel ex eo neceſſario ſequitur, ſiue negatio ſit, ſiue priuatio, vel defectus aliquis: conſequenter vero intendi eſt per ſe ſecundo intendi, vel ſecundaria intentione, ſed generatio eſt per ſe primo intenta à natura, quæ non poteſt eſſe naturaliter ſine corruptione: ergo intenditur corruptio ex neceſſario conſequenti, quod eſt per ſe ſecundo, vel ſecundaria intentione naturæ per ſe intendi. Maior probatur, quia ſi illud, quod per ſe primo intenditur, non poteſt ſine aliquo alio eſſe, ſequitur nec intendi poſſe, niſi aliud per ſe ſecundo intendatur. Probatur conſequentia, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic ſe habet ad intentionem. 80

Pro ſolutione argumentorum alterius ſententiæ notandum eſt, ſic ſe habere primariam intentionem, & ſecundariam, vt id quod per ſecundariam intenditur reſpectu eius, quod intenditur primaria intentione, non per ſe, ſed quaſi per accidens intentũ reputetur, & etiam quaſi per accidens ſubſequi dicatur, &

merito quidem, quia illud ſolum dicitur per ſe intentum ſimpliciter, quod primaria intentione reſpicitur, quod vero ſecundaria, quaſi per ſe ſecundum quid. Ex quo intelligitur modus loquendi Ariſtotelis, diui Thomæ, & aliorum antiquorum Philoſophorum aliquando aſſerentium, defectus naturales, cùm quibus res generantur, atque etiam corruptiones; immo & in generatione viuentium productionem fœminæ quaſi occaſionata eſſe, & per accidens ſequi, vel non eſſe per ſe intenta à natura: loquuntur enim de primaria eius intentione, reſpectu cuius verum eſt; ſed aliis locis etiam aſſerunt per ſe intendi cum addito quidem, hoc eſt nõ primaria, ſed ſecundaria intentione.

Ad primum argumentum diſtinguenda eſt minor, nam corruptio vnius rei, vel formæ dupliciter conſiderari poteſt, nempe ſecundum ſe, vel vt neceſſario coniuncta cum generatione alterius, quia naturaliter, non poteſt introduci vna forma ſine expulſione alterius, & conſequenter, nec vnum generari ſine alterius corruptione. Et primo modo conſiderata non poteſt per ſe intendi à natura, vt probat argumentum; ſed nec ſecundo modo poteſt intendi primaria intentione naturæ, ſed bene ſecundaria tanquam neceſſario coniuncta cum generatione per ſe primo intenta.

81 Ad ſecundum eodem modo diſtinguenda eſt minor, nam de primaria intentione verum eſt, nihil aliud per ſe intendere cauſas naturales, præter introductionem formæ, & productionem compoſiti, falſum tamen de ſecundaria, quia cum non poſſint illa conſequi, niſi expulſa forma præcedenti; ex conſequenti, & per ſe ſecundo intendunt expulſionem eius. Quod vero additur per accidens eſſe ad introductionem vnius formæ, quod alia ſit in materia, & ab ea ſit expellenda: hoc modo diſtinguendum eſt, nempe ad introductionem formæ ſecundum eſſentiam ſumptam per accidens eſſe, ad eandem verò, vt modo naturali, hoc eſt ſecundum ordinem in natura conſtitutum, faciendam non eſſe per accidens, ſed per ſe ſecundò; quia formæ ſubſtantiales introducendæ in materia, modo ſaltem virtuali ſunt contrariæ; contraria vero per ſe reſpiciunt idem ſubiectum, à quo nata ſunt ſe expellere, quare introductio vnius neceſſario coniuncta eſt cum expulſione alterius, & propterea intendi non poteſt per ſe primo, vel primaria intentione naturæ, quia expulſio ex conſequenti, ac per ſe ſecundo intendatur.

Ad aliud denique, quod obiicit prima ſententia: videlicet malum non poſſe eſſe obiectum per ſe intentionis, diſtinguendum eſt ratione ſui, vel ratione boni, cui neceſſario coniunctum

iunctum est ; & primo modo non potest malum terminare per se intentionem : secundo verò modo non solum malum naturæ, quod est corruptio, aut priuatio, seu negatio potest esse obiectum, vel terminus intentionis, sed etiam malum morale ; sed quia non ratione sui id habet, non potest per se primo terminare intentionem, potest tamen per se secundo: quia eo ipso, quod per se primo appetitur bonum, cui necessario coniungitur, ratione talis coniunctionis potest eam terminare ; quæ coniunctio cum sit per se, vel necessaria, per se secundo dicitur terminare, vel secundariam intentionem ; & ita licet corruptio sit malum naturæ, potest terminare intentionem, si non ratione sui, bene tamen ratione boni, nempe generationis, cui necessario necessitate naturæ coniuncta est. In moralibus vero res est clarior, quia voluntas peccantis per se primo appetit bonum delectabile, vel vtile, vt in peccato fornicationis, aut furti notum est, sed quia tale bonum apparens tantùm est, verè tamen contrarium rationi, & ideo verè malum, necessario appetit malum, non quidem ratione malitiæ, sed bonitatis apparentis, cui coniuncta est ; & ideo non per se primo, vel primaria intentione, sed per se secundo, vel intentione secundaria.

Ex quibus intelligitur alia distinctio, qua alio modo soluitur idem argumentum, & veritas nostræ sententiæ notissima fit, nam vt aliquid sit obiectum intentionis necesse est, sit per se bonum, & appetibile ratione sui, sed vt sit obiectum per se electionis, non est necessarium, quod sit in se, vel per se bonum, sed satis est, quod habeat aliquam bonitatem participatam à fine quomodocunque eam participet. Quo supposito dici potest corruptionem assumi à natura, quasi pro medio respectu generationis, quia non potest vnam formam introducere in materiam, nisi media expulsione alterius : corruptio ergo licet secundum se sit malum naturæ, sed in quantum medium quodammodo ad generationem tanquam ad finem ordinatum, participat bonitatem ab eadem generatione, ratione cuius potest esse per se intenta à natura ; hæc autem participatio bonitatis à generatione, nihil reale intrinsecum est in eadem corruptione, sed quasi extrinseca denominatio realis, sufficiens quidem, vt per se intendatur à natura, non tanquam finis: & ideo nec primaria intentione, sed secundaria tanquam medium. Et potest dari exemplum in moralibus, quia voluntas non potest appetere, immo nec tendere, in peccatum sub ratione mali : sed bene potest velle vnum peccatum tanquam medium ad alterum : quod alterum vult sub ratione boni apparentis 82

quod contigere ait D. Thomas in peccatis ex malitia commissis, in quibus homo videns furtum esse malum eligit illud, vt consequatur adulterium, nec tamen eligit furtum sub alia ratione boni apparentis, nisi quam participat ab adulterio, quod appetit tanquam finem sub ratione delectabilis, quæ per extrinsecam denominationem deriuatur ad furtum, vt sic possit esse obiectum electionis.

QVÆSTIO III.

An verum sit, & in quo sensu, quòd generatio vnius sit corruptio alterius?

83 Eiusmodi axioma, *Generatio vnius est corruptio alterius*, habetur apud Aristotelem. 3. lib. Phys. text. 73. & cap. 3. huius libri, text. 17. Quod autem in nullo sensu sit vniuersaliter verum, probatur primo, quia non in sensu formali; cum generatio, & corruptio sint mutationes specie diuersæ, propter diuersos terminos in quos tendunt, nam generatio tendit ad esse rei, corruptio ad non esse eiusdem; sed nec verum esse potest in sensu identico, vel reali, quia generatio est actio positiua, corruptio negatiua; positiuum autem, & negatiuum non possunt esse idem realiter: ergo non erit verum in sensu reali, quod generatio vnius sit corruptio alterius. Nec tandem secundum comitantiam, vel consequentiam, ita vt corruptio vnius rei necessariò comitetur generationem alterius, vel eam consequatur, nam aliquando contingit corrumpi vnam formam, & non generari, aut fieri alteram, vt in nutritione hominis corrumpitur forma alimenti, & non generatur alia, sed anima rationalis iam existens extenditur ad informandam materiam eiusdem alimenti; ex opposito vnam formam generari absque corruptione alterius, vt in morte eiusdem hominis generatur forma cadaueris, & nulla corrumpitur, cum permaneat anima rationalis. Aliquando etiam fit nouum compositum substantiale sine corruptione alterius, vt in prima productione corporum patet; & quotiescunque nutritur homo ex speciebus sacramentalibus, sub quibus certum est nullam esse substantiam, quæ corrumpatur, sed dum in eis introductæ sunt dispositiones; cum quibus non posset conseruari forma substantialis panis, desinunt esse, & supponitur loco earum noua materia, quam informat de nouo anima rationalis, & per talem informationem producitur noua substantia partialis,

Digitized by Google

partialis,ſine corruptione alterius ſubſtantiæ.Et tandem in accidentibus ſæpè generatur vnum abſque corruptione alterius, vt patet in productione luminis:ſæpe etiã corrumpitur vnum abſque alterius generatione,vt conſtat in impulſu, & ſono,qui in aëre corrumpuntur,in quo nullum aliud generatur accidens ad corruptionẽ eorũ.Ex quibus ſequitur in nullo ſenſu vniuerſaliter verum eſſe, quod generatio vnius ſit corruptio alterius.

Secundo probatur quia ſi in aliquo ſenſu verum eſſet,ſequeretur res naturales,nec augeri poſſe, nec diminui ſecundũ numerum,ſed tot eſſe indiuidua quarumlibet ſpecierum vno tẽpore,atque alio;quod euidenti experientiæ repugnat; ſed probatur conſequentia,quia ſi generatio vnius ſemper habet coniunctam alterius corruptionem,tot corrumpentur,quot generantur,& ita idem ſemper erit numerus indiuiduorum.

Circa ſenſum huius axiomatis non conueniunt interpretes 84
Ariſtotelis,præſertim Nominales, quos citat Toletus 1.lib.de Generat. cap. 3. quæſt.3.eorum tamen opiniones non refero, quia nullum habent fundamentum in vera Philoſophia: ſed eis omiſſis tria dicenda ſunt in hac re, in quibus omnes ferè conueniunt. Primum eſt non eſſe verum eiuſmodi axioma in ſenſu formali,vel identico,ita vt generatio vnius rei ſit eiuſdẽ ſpeciei cũ corruptione alterius, vel idẽ realiter, vt probat primum argumentum,ſed ſemper differunt ſpecie & realiter, non quidem diſtinctione ſpecifica, vel reali poſitiua, ſed negatiua, quia corruptio nõ eſt mutatio poſitiua, ſed negatiua;cum procedat ab eſſe rei ad non eſſe eiuſdem. Inter eſſe autem, & non eſſe ſolum poteſt eſſe diſtinctio realis, & ſpecifica negatiua, vt inter Petrum,& Leonem mortuum, aut quid ſimile; & ita diſtinguendæ ſunt duę iſtæ mutationes;quo ſuppoſitõ nec verum eſſe poteſt,quòd generatio vnius formaliter ſit corruptio alterius,nec etiam realiter.

Secundo dicimus, verum eſſe in ſenſu cauſali, vel naturalis connexionis, aut conſecutionis,quia eſſe vnius formæ in materia eſt cauſa formalis expulſionis alterius, & non eſſe eiuſdem, vel in ſe, vel ſaltẽ in materia;& ex cõſequenti eſſe vnius cõpoſiti neceſſariò infert non eſſe alterius. Ita D.Thom. in 2. diſt.34.art.2.ad 5.& q.28.de veritate,art.1. & 6.Ferra.2. contra Gent.cap.41.Fonſeca 5.Metaphy.cap.2.q.14.ſect.5. ad 4.Et eſt cõmunis ſententia interpretum Ariſtotelis ſic intelligenda, vt dum dicimus generationẽ vnius eſſe corruptionẽ alterius,cauſalis,& à priori ſit ſenſus;& ex oppoſito dum dicimus; corruptionem vnius eſſe generationem alterius ab effectu potius,& à poſteriori.

Fundn

85 Fundamentum autem huius veritatis duplex est, primum, conseruatio naturalis rerum sublunarium, ex quibus constat vniuersum hoc,quarum species non possunt conseruari, nisi in indiuiduis corruptibilibus,ad quorum corruptionem,nisi noua generentur, consumentur tandem omnia, & peribunt consequenter species:propterea necessarium est, quod ad corruptionem singulorum indiuiduorum generentur alia, vt ita per incessabilem transmutationem indiuiduorum conseruetur vniuersum,&vicissitudine generationum,& corruptionum eædem possint species conseruari.Secundum fundamentum sumitur ex natura materiæ sublunaris,cui tria hæc naturaliter cõueniunt, primum,quod semper eadem maneat expulsis his formis,& de nouo introductis alijs:secundum quod non possit esse sine vlla forma:tertium,quod non possit plures simul habere. Ex quibus euidenter sequitur non posse vnum compositum corrumpi, quin generetur aliud;alioquin nulla forma permanebit in materia,nec posse generari vnum,quin aliud corrumpatur,alioqui plures simul habebit formas.

Sed notandum est, verum esse idem axioma in prædicto sensu explicatum in generationibus, & corruptionibus modo naturali factis,hoc est à causis naturalibus per naturalem virtutem operantibus,& secundum ordinem naturalem constitutum inter eas.Vnde si per miraculum aliquid fiat,vel certè virtute miraculi præsuppositi,non est necessarium fieri cum corruptione alterius: & ita contingit in nutritione hominis ex speciebus sacramentalibus,quæ non fit modo naturali,sed virtute miraculi præsuppositi, quo quantitas permanet sine subiecto. Sed adhuc modo naturali intellectũ axioma alio modo verum est de generatione,& corruptione comparatis ad compositum,& ad formam, nam si de corruptione formæ loquamur,certum est vnam posse generari sine corruptione alterius, vt in morte hominis forma cadaueris sine corruptione animæ rationalis; & ex opposito potest corrumpi vna sine generatione alterius,vt in nutritione eiusdem hominis.Vnde sequitur in hoc tantùm sensu verum esse,vt generatio vnius formæ fit corruptio alterius, vel expulsio eius ab eadem materia:& corruptio vnius sit generatio alterius,vel saltem sit vnio substantialis eius cum eadem materia.

86 Sed comparatis generatione,& corruptione ad compositum, sine vlla exceptione verum est vniuersaliter, quòd generatio vnius compositi inferat corruptionem alterius.In accidentibus tandem non est vniuersaliter verum,nam in his,quæ contrario carent,manifestum est, posse generari vnum sine corruptione alterius

Digitized by Google

alterius, vt patet de lumine, atque etiam corrumpi vnum ſine alterius generatione, vt impulſus, & ſonus deſinũt eſſe per ſubſtractionem concurſus primæ cauſæ, ſine generatione alterius qualitatis; quia natura harum qualitatum nõ petit diuturnam conſeruationem, ſed ad modum breuem; & ideo prima cauſa accommodans ſuum concurſum naturæ earum, cum ſubſtrahit, & per ſolam hanc ſubſtractionem deſinunt eſſe, ſine noua alterius rei generatione, vt 8. lib. Phyſ. agentes de impulſu oſtendimus. Nec etiam in his accidentibus, quæ habent contrarium, verum ſemper eſt, quòd generatio vnius ſit corruptio alterius, nam dum mixtum generatur ex multis elementis ſeſe corrumpentibus, conſequenter producuntur in eo primæ qualitates in eo temperamento, quod poſtulat natura eius, atq; etiam ſecundæ, vt odores, ſapores, albedo, aut nigredo ſine corruptione aliarum.

Ex his patet ſolutio argumentorum; nam ad primum concedimus non eſſe verum, quòd generatio vnius ſit corruptio alterius in ſenſu formali, vel identico, ſed tantùm in ſenſu cauſali: diuerſo tamen modo in formis, atque in compoſitis; nam in formis ſolum eſt verum, quòd generatio vnius formæ inferat corruptionem alterius, vel ſaltem expulſionem ab eadem materia: & ex oppoſito quòd corruptio, vel expulſio vnius formæ inferat generationem alterius. Sed in compoſitis ſemper eſt vtrumque verum naturali modo loquendo. Argumentum vero de ſpeciebus ſacramentalibus præſupponit miraculum, & ideo in eo caſu fit generatio ſubſtantialis ſine corruptione ſubſtantiali. In accidentibus verò concedimus non ſemper, aut neceſſario verum eſſe, nec ab Ariſtotele fuiſſe de eis prolatum, aut intellectum, ſed ſolum de generatione, & corruptione ſubſtantiali.

Ad ſecundum neganda eſt conſequentia, quod numerus indiuiduorum non augeatur, vel diminuatur, quia ſæpè accidit ex vno generari multa, vt ex vno grano tritici, vel hordei: & aliquando ex multis vnum, vt ex multis elementis vnum, atque idem mixtum. 87

QVÆSTIO IIII.

An in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam?

REſolutio Phyſico modo accepta, vt accipitur in titulo quæſtionis, idẽ eſt, quod deſitio realis, vel corruptio: vnde ſenſus

ſenſus quæſtionis eſt, an in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam? id eſt, an dum corrumpitur compoſitum ſubſtantiale, præter materiam permanentem cætera omnia deſinant eſſe ſimpliciter, vel deſinant eſſe in materia, ita vt ſola, & nuda materia permaneat, in qua noua forma recipiatur, vel aliqua forma ſubſtantialis, aut accidentalis perſeueret in eadem materia, & maneat etiam in nouo cõpoſito? Et de formis ſubſtantialibus non diſputamus modò, an præter propriam, quam habet cõpoſitum, & à qua cõſtituitur in ſpecie athoma, dẽtur aliæ cõmunes genito, & corrupto: vt forma corporeitatis (quam poſuit Scotus præter animam in quolibet viuenti) quæ corrupto cõpoſito perſeuerat in materia, vt corrupto homine in cadauere: ſed ſupponimus nullam talem dari formam, ſed quodlibet compoſitum habere vnam tantum, quæ corrumpitur in eius corruptione, vel ſaltem deſinit informare materiam, vt anima rationalis: & ideo in corruptione fieri reſolutionem omnium ſubſtantialium formarum, ita vt nulla perſeueret in materia. Quæſtio igitur ſolum procedit de formis accidentalibus, an aliquod accidens idem numero permaneat, dum corrumpitur homo, aut res alia ſubſtantialis: vel corrumpantur omnia, & ita materia ſola, & nuda permaneat omni forma ſubſtantiali, & accidentali: vnde eadem eſt quæſtio, an in corruptione fiat reſolutio vſque ad materiam primam, & an eadem numero accidentia, quæ erat in corrupto: permaneant in genito, vel alia diuerſa numero fiant. Non eſt tamen eadem quæſtio cum alia de ſubiecto inhæſionis accidẽtium, an ſit materia prima, vel compoſitum, quamuis aliquo modo ab ea dependeat.

88 Prima opinio aſſerit, in corruptione non fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, ſed quædam permanere in ea accidentia, ita vt eadem numero communia ſint genito, & corrupto. Ita Auicena 1. ſufficientiæ c. 7. Auerroes in lib. de ſubſtantia orbis cap. 1. Albertus Saxoniæ 1. lib. de generatione quæſt. 7. Hẽricus quodlib. 15. q. 7. Gregorius in 1. diſt. 12. quæſt. 2. art. 1. Gabriel. diſt. 16. quæſt. vnica. OKam quodlib. 2. quæſt. 11. Paulus Venetus in Summ. cap. 14. Pereryus lib. 5. ſui operis cap. 18. & ex modernis multi, qui diſtingunt duplicia accidentia, nam quædam ſunt propria huius, vel illius compoſiti, quæ procedunt à propria forma ſubſtantiali eius, qualia ſunt propriæ paſſiones, vt in homine riſibilitas: & hæc accidentia ſemper corrumpuntur ad corruptionem compoſiti: nõ ex eo, quòd ſint in eo tamquam in proprio ſubiecto inhæſionis, ſed quia ſunt in materia tamquam in proprio ſubiecto, non tamen nuda,

da, ſed vt informata tali forma; & ideo corrupta tali forma, vel deſinente informare materiam, corrumpuntur hæc accidentia. Alia vero ſunt cõmunia accidentia, vt quãtitas, & diſpoſitiones, per quas diſponitur materia ad recipiendã talẽ formã, vt calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, ac ſimiles: & hæc ſunt in materia tãquã in ſubiecto inhæſionis, nec ei cõueniunt ratione formæ introducendæ, cum eam præcedant tempore, ſed ratione ſui, & propterea non corrumpuntur, ſed permanent corrupto compoſito; & hanc affirmant eſſe ſententiam D. Thomæ in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. Vbi approbat opinionem commentatoris aſſerentis, dimenſiones interminatas (hoc eſt trinam dimenſionem corporis de prædicamento quantitatis) eſſe perpetuas in materia, neque vmquam ab ea recedere, licet corrumpatur compoſitum. Et 4. lib. contra Gentes cap. 81. ad 2. obiect onem, vbi concedit poſt mortem hominis manere eamdem materiam cum eiſdem dimenſionibus, à quibus habebat vt eſſet eadem numero. Et tandem 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. vbi docet, quod in generatione ignis ex ligno remanet corrupto ligno in materia idem numero calor, per quem fuit diſpoſita ad recipiendam formam ignis. Ex quibus ſequitur ſentire D. Thom. quòd eadem numero accidentia, quæ præfuerunt in corrupto, permaneant in genito, & ex conſequenti, quòd in corruptione non fiat reſolutio vſque ad materiam primam.

Probant primò, teſtimonijs Ariſtotelis, deinde experientia, & tandem ratione. Ariſtoteles enim cap. 4. huius libri docet, quod dum aliquid generatur ex alio ſimili in aliquo accidenti, permanet idem accidens, in quo aſſimilantur in vtroque, vt dum ex aëre generatur aqua; cùm ſimilia ſint in diaphaneitate, vel tranſparentia, eadem diaphaneitas, quæ erat in aëre, permanet in aqua: ergo ſentit non omnia accidentia corrumpi; & ideo non fieri reſolutionem vſque ad materiam primam. Et 2. lib. de generatione cap. 4. docet facilius generari elementum ſymbolum, vel ſimile ex alio ſymbolo: vt aërem ex igne, vel aqua: cum quibus conuenit in calore, vel humiditate: quàm ex diſſymbolo, vel diſſimili, vt idemmet aër ex terra, cum qua in nulla qualitate conuenit. Et rationem huius reddit, quia vt generetur ex elemento ſymbolo, non eſt neceſſarium, quod omnes qualitates corrumpantur, ſed illa tantum, quæ diſſimilis eſt, vt ad generationem aquæ ex aëre ſolus calor aëris corrumpi debet, non humiditas, quia hæc communis eſt aquæ, & aëris. Si ergo qualitas, in qua aſſimilantur, corrumpi non debet; ergo permanet in genito eadem, quæ fuit in corrupto, & conſequenter non fit in corruptione, ex mente 89

Ariſtot.

Ariſtot.reſolutio vſque ad materiam primam.

Experientia etiam euidẽti probatur, quia videmus eamdem cicatricem,eundemque calorem,quæ erant in homine,permanere in cadauere : ergo non omnia accidentia corrumpuntur, nec fit reſolutio vſque ad materiam primam. Et ſi dicatur eadem numero apparere iudicio ſenſus, non tamen eſſe eadem numero,ſed eadem tãtum ſecundum ſpeciem; & ideo falli ſenſum,& corrigendum eſſe ab intellectu,ſicut quando iudicat Solem minorem eſſe terra, fallitur, & ab intellectu corrigitur. Contra hoc eſt, primo, quod ſenſus circa proprium ſenſibile debitè approximatum non fallitur, ſed in cadauere debitè approximato iudicat viſus eamdem numero permanere cicatricem;& tactus eumdem numero calorem : ergo hoc iudicium non poteſt eſſe falſum;quare contra experientiam eſt, negare quod eadem numero accidentia,quæ erant in corrupto,permaneant in genito.Secundò,quia non poteſt eſſe alia cicatrix, neque alius calor,ergo cum permaneant, erunt eadem numero. Probatur antecedens, quia neque cicatrix,neque calor eſt diſpoſitio neceſſaria in materia ad formam cadaueris introducendam,ſed omnino impertinens:ergo ſi corrumpitur illa numero,quæ erat in homine,non eſt vlla neceſſitas ponẽdi aliam numero diſtinctam in cadauere : & cum certum ſit in eo permanere,iudicandum eſt, quod ſit eadem numero, & non alia: nec eſt agens,à quo alia cicatrix, aliusve calor producatur in cadauere,quia agentia naturalia ſolum producunt accidentia neceſſaria ad introductionem, vel conſeruationem formæ, ad quam conſtat non pertinere cicatricem : ergo neque ab agente particulari,nec ab vniuerſali produci poteſt. Et ſi dicatur,propter neceſſitatem materiæ produci : quia cum præceſſerit in homine alia cicatrix,petit materia, vt alia ſimilis ſequatur in cadauere.Hæc neceſſitas ſine ratione fingitur, quia eodẽ modo dum generatur ignis ex ligno, deberet produci humiditas, vel frigus in igne genito,quia aliæ ſimiles qualitates erant in materia ligni,quod tamen eſt falſum.

Probatur tandem ratione,primo,quia ſi in corruptione non permaneant eadem numero accidentia in genito,quæ præfuerunt in corrupto, ſequitur numquam poſſe expelli formã præexiſtentem,neque introduci nouam : & ideo impoſſibilem eſſe generationem.Probatur conſequentia,quia toto tempore præcedente primum inſtãs generationis non ſunt ſufficientes diſpoſitiones ad expellendam formam, cum eam non expellant, ſed ſimul cum ea permaneant:ſed nec in inſtanti generationis poſſunt eam expellere,quia iam non ſunt, ſed illud inſtans eſt

primum

primum non esse earum ; ergo nunquam possunt formam expellere, nec nouam introducere, quare nec erit possibilis generatio.

Secundo, quia si dispositiones, quas ignis generans producit in ligno, corrumpuntur cum eodem ligno, manetque materia ligni nuda omni accidenti, sequitur non esse magis determinatam ad formam ignis ; quàm ad aliam quamcunque recipiendam. Probatur consequentia, quia determinatio ad talem formam fit per tales dispositiones, sed non permanent in materia in instanti generationis : ergo nec possunt eam determinare, immo nec disponere, quod idem est. Et si dicatur, satis esse, quod tempore immediato præcesserint in materia, vt eam sigillatam reliquerint, hoc est ordinatam ad talem formam ignis ; quod est relinquere eam sufficienter dispositam. Contra hoc est, quod talis sigillatio nihil reale potest esse in materia, cum ex eo, quod habuerit aliquam formam, nihil reale in ea relinquatur, sed ad summum denominatio quædam extrinseca, per quam nec potest esse realiter, & Physicè determinata ad talem formam, nec realiter pro ea disposita : quare necesse est aliquas dispositiones permanere in materia, vt sequatur generatio, & ideo impossibile est, fieri resolutionem omnium vsque ad nudam materiam.

Secunda opinio tenet, in corruptione fieri resolutionẽ vsque 91
ad materiam primam, ita vt in instanti generationis desinant esse in ea, vel corrumpantur forma substantialis, quantitas, & omnes qualitates, vel dispositiones cum ea præcedentes ; & nuda prorsus permaneat, & in ea sic denudata introducatur noua forma. Ita Albert. Magn. 2. p. summæ de homine, (quem falsò citant moderni quidam pro contraria sententia) Alensis 4. p. q. 57. memb. 4. Ægidius 2. lib. de generatione text. 25. Herueus de vnitate formarum quæst. 16. & 17. Caietan. de ente & essentia cap. 7. q 17. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 81. Iauel. 8. Metaphy. q. 7. Sonzinas ibidem quæst. 9. Capreol. in 2. dist. 13. quæst. vnica, artic. 3. Hispal. in 1. distinct. 5. quæst. 1. artic. 4. Bañez 1. lib. de Generatione cap. 4. quæst. 10. Conimb. ibidem quæst. 18. art. 2. & omnes illi, qui tenent accidentia non inhærere materiæ tanquam subiecto, quod, sed composito ; atque etiam qui asserunt inhærere quidem materiæ, non nudæ, sed vt informatæ forma substantiali, & ideo cum necessaria dependentia à forma, qua expulsa, prorsus corrumpuntur. Hæc est etiam expressa sententia D. Thomæ 1. parte, quæst. 75. artic. c. 6. lib. de generatione lect. 10. vbi ita ait : *Dicendum, quod in corruptione non manet idem numero accidens sed id, quod prius erat, corrumpitur per*

accidens corruptione subiecti, & aduenit simile accidens consequens formam de nouo aduenientem, &c. Immo in eisdem locis citatis ab alia sententia id docet expresse: nam 4. contra Gentes cap. 81. licet prius ex sententia commentatoris dixerit, quod post mortem hominis permanet hæc materia cum eisdem dimensionibus, ex quibus habebat, vt esset indiuidualis materia; tandem ex propria loquens ita ait: *Alio modo accipitur corporeitas, prout est forma accidentalis, secundum quam dicitur corpus, quod est in genere quantitatis, & sic corporeitas nihil aliud est, quàm tres dimensiones, quæ corporis rationem constituunt; & si igitur hæc corporeitas in nihilum cedit, corpore humano corrupto, tamen impedire non potest, quin idem numero resurgat, &c.* Et 3. parte, quæstion. 9. articul. 3. ad 1. vbi asserit: Eandem numero dispositionem præcedentem introductionem formæ permanere cum forma, & non corrumpi. Loquitur expresse non de dispositione tempore præcedente, quæ dicitur præuia, sed de simultanea, cum dicat, permanere cum noua forma tanquam effectum eius; constat autem præuiam dispositionem non esse effectum nouæ formæ, quam tempore præcedit. In 4. denique dist. 44. loquitur etiam secundum opinionem Auerrois, vt ex verbis illius loci est manifestum. Et hoc ideo, quia vt benè Ferrar. adnotauit capit. illo 81. vbi de resurrectione corporum agit Diu. Thomas, ex sententia illius loquitur de quantitate cœua materiæ, & nunquam ab ea separanda, eo quod sententiam hanc sequuntur Gentiles, & propterea vrgentius aduersus eos arguitur ex concessis ab eisdem. Hanc igitur sententiam, vt propriam D. Thom. & magis consonam principiis Aristotelis, & rationi sequimur.

92 Probatur testimonio Aristot. cap. 4. huius primi libri textu 2. vbi ait: Generationem, & corruptionem substantialem esse, dum totum aliquod transmutatur nullo manente sensibili, vt subiecto eodem. Ex quibus verbis efficaciter colligitur, nullum permanere accidens in materia, sed corrumpi omnia cum composito substantiali. Probatur consequentia, quia si aliquod permanet accidens: ergo permanet materia cum eodem accidenti sub forma corrupti, & geniti: sed forma cum aliquo accidenti est sensibilis: ergo manet sub vtraque forma aliquid sensibile: sed quod manet sub vtraque forma est subiectum generationis, & corruptionis: ergo permanet in corruptione aliquid sensibile, vt subiectum, contra expressa verba Aristot. Sed respondent auctores oppositæ sententiæ, per aliquid sensibile, vt subiectum, non intelligere Aristotelem aliquid habens accidentia, sed compositum substantiale, vt substantiale est, nam hoc est, quo

eſt, quod ſentitur, & ab hoc tanquam à ſubiecto procedunt actiones, & paſſiones; quare hoc ſolum negat permanere in corruptione, non vero materiam cum accidentibus. Hæc tamen expſitio probatur falſa, quia compoſitum ſubſtantiale, vel ſuppoſitum, vt quid ſubſtantiale eſt, non eſt ſenſibile, quia ſubſtantia, vt ſubſtantia etiam corporea non eſt ſenſibilis, ſed ſolum poteſt ſentiri per accidentia: ergo per aliquid ſenſibile vt ſubiectum, quod negat Ariſtoteles permanere in corruptione, non poteſt intelligere, niſi aliquid affectum accidentibus, ſed permanet materia affecta diſpoſitionibus, & aliis accidentibus: ergo permanet aliquid ſenſibile tanquam ſubiectum generationis, & corruptionis contra verba, & ſenſum Ariſtotelis.

Probatur deinde ratione deſumpta ex differentia, quã ponit 93
Ariſtoteles inter generationem, & corruptionem ex vna parte, & alterationem ex altera, eodem cap. 4. text. 24. quod alteratio non eſt circa ſubſtantiam rei, ſed ſolùm circa accidentia, quæ vocat paſſiones eiuſdem ſubſtantiæ, & paſſiones contrarias, quia alteratio verſatur inter contrarias qualitates, vel paſſiones, vt inter calorem, & frigus; generatio vero, atque corruptio verſantur circa ſubſtantiam rei, nam ſubſtantia eſt, quæ corrumpitur, & generatur; *Quando ergo* (inquit Ariſtoteles) *in tranſmutatione manet idem ſubiectum paſſionum, vel accidentium, circa quæ verſatur, alteratio eſt, vt quando manet idem homo, cuius paſſiones ſunt muſica, & in muſica. Quando autem nihil permanet, cuius altera paſſio eſt, & accidens, omnino generatio, huius autem corruptio: eſt autem & materia maximè quidem, & propriè ſubiectum generationis, & corruptionis ſuſceptibile, &c.* Ex qua differentia ſic arguo. In alteratione, inquit Ariſtoteles, permanet ſub vtroque termino ſubiectum paſſionum, vel accidentium; in generatione vero, & corruptione nihil permanet, cuius ſint paſſiones, vel accidentia: ergo nec permanent paſſiones ipſæ, quæ ſunt qualitates, nec vllum accidens, ſed materia nuda, quæ eſt ens in potentia, & ſubiectum generationis, ſicut eſt ſubiectum formæ. Probatur conſequentia, quia ſi non permanet ſubiectum, non poſſunt permanere accidentia ei inhærentia. Deinde ſi permanent paſſiones, & accidentia: ergo ſubiectum generationis non eſt nuda materia, ſed affecta accidentibus; nec ens in potentia, ſed ens actu, quia materia cum accidentibus eſt ens actu, & cum illis permanet ſub vtroque termino: ergo ens actu eſt ſubiectum generationis, imo ens per accidens, quia materia cum quantitate, & qualitatibus ens per accidens eſt.

Secundò, quia primum, quod intelligimus in materia eſt 94

esse potentiam substantialem ; & primum, quod respicit potentia substantialis , est actus substantialis ; & primum , cui nata est vniri , est idem actus substantialis : ergo primum , cui vnitur. Probatur consequentia , quia eo ordine vniuntur actus potentiis , quo ab eis respiciuntur ; cum respiciantur propter vnionem ; sed forma substantialis est actus substantialis,& forma accidentalis est actus accidentalis : ergo primo vnitur materia substantialis formæ,quam accidentalis;ex quo sequitur in corruptione non manere vllum accidens in materia,quia si maneret aliquod,prius esset materia ei vnita,quàm formæ substantiali aduenienti ;quod constat esse falsum. Sed respondent materiam ordine intentionis prius respicere formam substantialem , ad quam ordinatur tanquam ad finem potentia eius , sed ordine executionis prius accidentalem tanquam dispositionem ad substantialem recipiendam ; & ideo prius ordine executionis vnitur accidentali , quia substantialis non introducitur nisi in materiam dispositam , quod etiam est manifestum in generatione ; quæ licet sit actus accidentalis , prius tamen recipitur in materia,quàm forma substantialis,cum sit via ad illam:ergo eadem ratione prius recipiet materia dispositiones , quæ sunt quasi viæ ad formam. Contra hoc tamen est,quod materia,non solum ordine intentionis, sed executionis vnitur materiæ immediatè per se : ergo non medio aliquo accidenti : sed si prius ordine executionis vniretur formæ accidentali propter substantialem ad quam disponit,illa media vniretur substantiali,& non immediatè per se : ergo nulla forma accidentalis potest prius vniri materiæ ordine executionis, vel in ea permanere in corruptione. Nec est necessarium vt disponatur ad receptionem formæ substantialis , quod in ea recipiantur dispositiones tanquam in proprio subiecto , vel in ea permaneant, dum corrumpitur compositum:sed per receptionem accidentium in eodem composito tanquam in proprio subiecto disponitur ad receptionem nouæ formæ , vt suo loco explicabitur. Generatio verò non est forma accidentalis propriè loquendo,quia non est quid completum , sed est via ad formam substantialem, & fieri eius:ideo prius in materia recipitur, quam forma. Ex quo non sequitur, quòd alia accidentia,quæ propriæ formæ sunt habentes esse completum accidentale recipiantur, vel permaneant in materia , dum corrumpitur compositum , quia nec sunt via ad formam substantialem, nec fieri eius.

95 Probatur tandem communis sententia,quia subiectum proprium, & immediatum , cui inhærent accidentia, est compositum, vt inferius probabitur,sed destructo subiecto destruuntur acciden

accidentia eius: ergo in corruptione, per quam deſtruitur compoſitum, nullum accidens permanere poteſt, ſed ſola & nuda materia, quare vſque ad illam fiet reſolutio in corruptione.

Ad primum teſtimonium Ariſtotelis reſpondet D. Thomas in commentariis illius, cuius verba citauimus, ſenſum eius eſſe, non de identitate numerica, ſed ſpecifica, ita vt dum generatur aqua ex aëre, alia ſimilis diaphaneitas permaneat in aqua, non eadem numero, quæ erat in aëre. Ad ſecundum teſtimonium reſpondetur verum eſſe quod aſſerit Ariſtoteles, facilius generari vnum elementum ex alio ſibi ſimili in qualitate aliqua, quod vocatur ſymbolum, quàm ex omnino diſſimili, vt facilius aqua ex aëre, quàm ex igne. Et potiſſimam eſſe rationem, qua id probat, quia in generatione ex ſymbolo pauciora corrumpuntur, ſed intelligendum hoc eſſe de corruptione per ſe, hoc eſt à ſuo contrario, non de corruptione per accidens ad corruptionem ſubiecti: quo pacto, tot corrumpuntur qualitates in vna generatione, ac in alia. Itaque dum generatur aqua ex aëre, ſolum vna qualitas corrumpitur per ſe à ſuo contrario, nempe calor aëris à frigore aquæ, nam in humiditate non contrariantur, ſed conueniunt: quare hæc non poteſt per ſe corrumpi, quia non eſt contrarium à quo corrumpatur, nihilominus corrumpitur per accidens ad corruptionem compoſiti, in quo inhærebat, tanquam in proprio ſubiecto: ſed in generatione vnius elementi ex alio diſſymbolo, vt ignis ex aqua, vtraque qualitas aquæ per ſe corrumpitur, quia vtraque habet contrariam in igne, & quia facilitas, vel difficultas generationis attenditur ex qualitatibus per ſe corrumpendis, quia ratione ipſarum pugnant elementa inter ſe, & non ex corrumpendis per accidens, quarum ratione non pugnant, ſed potius conueniunt, ideo ſuam habet efficacitatem ratio Ariſtotelis, licet tot qualitates corrumpantur per ſe, vel per accidens in generatione elementi ſymboli. Et ex ea non colligitur eandem numero qualitatem, in qua ſunt ſimilia elementa, permanere.

Ad experientiam de cicatrice duo dicimus. Primum, quòd 96
non permaneat eadem numero in cadauere, quæ erat in corpore viuo, ſed alia ſimilis conſequatur. Et dum dicitur ſenſum iudicare, quòd ſit eadem numero, reſpondendum eſt, falli ſenſum, ſi id iudicat, vel intellectum ſi ſenſum ſequatur, & corrigi debere à ſe ipſo iudicante potius ſecundum naturas rerum; & cum ex natura accidentis ſit in compoſito inhærere, tanquam in proximo, & adæquato ſubiecto, quod non eſt idem numero, ſed aliud, intellectus iudicat, non eſſe eandem numero

cicatricem, sed aliam; valdè tamen similem præcedenti. Et dum rursus additur, sensum circa proprium sensibile debitè approximatum, & cum aliis circunstantiis propositum non falli, concedendum est; negandum tamen, quod identitas numerica, vel diuersitas accidentis sit proprium sensibile, quia vel non pertinet ad obiecta sensuum externorum, vt probabiliter asserunt Conimbricenses cap. 4. huius libri quæst. 17. art. 4. sed ad intellectum, & fortassis ad sensus internos, qui non iudicabunt esse eandem numero cicatricem, (si rectè iudicent) vel quod verius puto esse idem numero accidens, vel diuersum ad sensus externos pertinere, non tamen vt proprium sensibile alicuius; sed vt sensibile commune: & ratio huius est, quia idem est, quod accidens sit idem numero, vel numero diuersum, & quod sit vnum, vel duo, esse autem vnum, vel duo ad numerum pertinet, quem Aristoteles 2. lib. de anima textu 64. inter communia sensibilia numerauit. Circa sensibilia verò communia etiam debitè approximata constat posse falli sensus externos, vt circa motum, atque etiam circa numerum: nam facile iudicat sensus, quod corpus debitè approximatum moueatur, dum verè non mouetur, vel quòd non moueatur, dum mouetur. Et si alicui ostenderis duo oua valde similia vnum post alterum, facile iudicabit esse idem. Fallitur ergo circa communia sensibilia, & tunc ab intellectu debet corrigi; & ita sentiendum est, quod si sensus iudicet cicatricem hominis, & cadaueris eius esse vnam, & eandem, corrigi debet per intellectum iudicantem ex diuersitate numerica subiectorum diuersam numero esse cicatricem.

97 Secundò dicimus cicatricem numero distinctam produci in cadauere à causa proxima mortis, non quidem tanquam effectus per se, sed per accidens; producitur autem propter necessitatem materiæ sic organizatæ: hæc autem necessitas est, quia dum res naturalis corrumpitur, non transfert eam natura de extremo ad extremum sine medio, sed per media quædam similia: & ideo dum animal corrumpitur, non statim fit elementum, quia elementum est corpus homogeneum, animal vero, eterogeneum. Sed succedit animæ expulsæ à corpore alia forma similis, quæ dicitur cadaueris, hæc verò ex se petit similẽ organizationem ei, quam habet corpus animalis, quia ex se nata est succedere animæ in corpore; quod euidenter probat communis experientia: nam quod semper ita fit in naturalibus, censemus per se fieri; sed semper sequitur forma cadaueris expulsionem animę: ergo per se sequitur eam, & quia ex tali consecutione petit similem organizationem, similemq; figuram corporis, per se eam pe

Digitized by Google

eam petit : cicatrix vero efficit deformitatem quandam in eadem materia ita organizata,& in figura corporis,ad quam pertinet,& propterea dum contingit eſſe in corpore viuo,ſequitur ſimilis alia in cadauere,ne ſimilitudo intẽta à natura in forma ſuccedente,atque etiã in figura corporis , deficiat ex hac parte.

Calor verò permanens in eodem cadauere producitur ab eo, quem habent ſanguis, & alij humores;qui cum non informentur ab anima,ſed proprias habeant formas,non ſtatim corrumpuntur,ac animal moritur;& cum colorem habeant proprium, poſſunt eum imprimere in cadauere : vnde non ſequitur quod in corruptione ligni, vel alterius rei permaneat aliquid de diſpoſitione eius in re genita.

Ad primum argumentum neganda eſt prima conſequentia, quod nunquam poſſit expelli vna forma , nec introduci alia. Negandum eſt etiam,quod diſpoſitiones antecedentes non ſint ſufficientes ad expellendam formam,nam,vt in ſequentibus dicetur , diſpoſitiones tempore præcedentes non expellunt formam contrariam efficienter,ſed materialiter tantum,in quantum diſponunt materiam ad introductionem nouæ formæ, à qua expellitur formaliter ;& cum ſufficienter diſponant materiam , ita vt in inſtanti terminatiuo alterationis neceſſariò ſequatur introductio formæ,ſufficienter dicuntur expellere formam in eodem genere materialis cauſæ, ſufficienter determinantes materiam ad receptionem talis formæ , vt inferius explicabitur;& cum hoc præſtent tempore immediatè præcedente, nihil refert,quod in inſtanti generationis non permaneant, quia in eodem introducitur noua forma, à qua ſufficienter expeditur in genere cauſæ formalis , & ab agente in genere cauſæ efficientis.

Ad ſecundum,concedendum eſt antecedens , quod corrupta 98
re naturali , corrumpantur omnes diſpoſitiones antecedentes, atque etiam quod ſola, & nuda maneat materia in inſtanti generationis.Sed neganda eſt conſequentia,quod non maneat determinata ad hanc,vel illam formam,ſed indifferens ad omnes; manet namq; determinata,& ratio huius determinationis ſunt alterationes præcedentes cum diſpoſitionibus per eas inductas, quæ cum ab agente ordinentur ad expulſionem formæ ligni,& introductionem formæ ignis , petunt naturaliter expulſionem eiuſdẽ formæ in inſtanti terminatiuo alterationis,& à tali forma eis conſentanea , vel cui ipſe conſentaneæ ſunt, & ad quam introducendam ordinãtur ab agente, ita vt niſi per miraculum nõ poſſit nõ ſequi expulſio eiuſdẽ formæ,nec etiã poſſit ab alia, quã à forma ignis expelli,quia ordine naturæ talis debet ſequi

generatio, & talis corruptio, qualem intendit agens naturale per tales alterationes, & dispositiones naturaliter ordinatas ad expulsionem determinatæ formæ, & introductionem quoque talis formæ eis consentaneæ. Et hanc consecutionem naturalem talis formæ in materia sic dispositа vocauerunt plures discipuli D. Thomæ sigillationem eiusdem materiæ, vtentes metaphora sigilli impressi; quod vt verum sit, non sic debet intelligi vt sigillatio sit aliquid reale intrinsecum in materia relictum ex præcedentibus alterationibus, & dispositionibus, sed sola denominatio extrinseca ab eisdem, quibus tempore proximè præcedenti affecta fuit materia, eas namque necessitate naturæ sequitur in instanti terminatiuo earumdem alterationum expulsio formæ ligni, & introductio formæ ignis, & non alterius, de quo inferius copiosius dicetur.

QVÆSTIO V.

An generatio, & corruptio sint omnino simul, vel aliquis sit inter eas ordo prioris, & posterioris?

99 PRioritas, atque simultas, vt quæstio intelligatur, duplex est, vt docet Aristoteles in postprædicamentis capite de modis prioris, & capite de modis simul. Vna est temporis, altera naturæ. Illa dicuntur simul tempore, quæ in eodem tempore existunt, vt res quælibet simul tempore est cum suis proprietatibus. Illud vero dicitur prius tempore alio, quod aliquo tempore existit, in quo non existit aliud, vt ea, quæ existunt hodie, prius tempore dicuntur esse his, quæ incipiunt esse die crastino. Illa etiam dicuntur simul natura, quæ sunt simul tempore, & vnum non est causa alterius, vt relatiua. Prius autem natura altero dicitur illud in præsenti consideratione; quod licet simul tempore cum alio existat, aliquo modo est causa eius, vt Sol prius natura dicitur lumine à se egrediente. Quibus expositis certum est quæstionem non intelligi de simultate, vel prioritate temporis, quia certum est generationem, & corruptionem esse in eodem instanti, cum nec forma præcedens expulsa sit ante instans generationis, nec forma subsequens introducta: si enim esset expulsa ante instans generationis: cum expellatur in instanti, daretur materia sine forma, quia ante instans generationis non est noua forma introducta: ergo si ante illud sit præcedens expulsa, sequitur tempore aliquo

aliquo dari materiam ſine vlla forma. Veritas ergo eſt in eodem inſtanti introductam eſſe nouam formam, & expulſam eſſe antiquam; & eum introductio nouæ ſit generatio, & expulſio antiquæ corruptio, in eodem inſtanti erunt corruptio, & generatio. Quæſtio igitur procedit de ſimultate, aut prioritate naturæ: & ſenſus eius eſt, an corruptio ſit aliquo modo, vel in aliquo genere cauſæ prior natura generatione, vel generatio prior corruptione, aut ſint ſimul natura.

Et prima opinio, quam ſequuntur plures moderni, tenet, ge- 100
nerationem in genere cauſæ formalis eſſe priorem corruptione, hanc vero in nullo genere cauſæ eſſe priorem generatione, ſed poſterioré omnibus modis. Probant primò, quia vna forma ſubſtantialis non expellitur ab altera, niſi ratione incompoſſibilitatis; quam habent in eadem materia, nam ſimul in ea eſſe naturaliter ſaltem repugnat; & ideo eo ipſo, quod vna introducitur, alia expellitur. Ex quo ſequitur ex vi introductionis nouæ expelli antiquam: quare non poteſt vllo modo intelligi, quod hæc ſit prius expulſa, quàm illa introducta: ſed expulſio vnius eſt corruptio vnius compoſiti; & introductio alterius eſt generatio: ergo repugnat corruptionem vllo modo intelligi priorem. Secundò, effectus ſecundarius alicuius formæ non poteſt intelligi ante primarium & multo minus poteſt intelligi effectū eſſe prioré ſua cauſa vllo genere prioritatis. Sed expulſio formæ præcedentis eſt effectus ſecundarius formæ ſequentis, & etiam eſt effectus introductionis eius, & introductio eſt generatio, expulſio verò eſt corruptio: ergo impoſſibile eſt hanc eſſe vllo modo priorem illa. Antecedens pro vtraque parte eſt certum, quare non indiget probatione, ſed explicatione, explicatur autem ſic. Primarius effectus formæ ignis, dum introducitur in materia ligni, eſt eſſe ignis, quod tribuit materiæ per informationem. Secundarius vero effectus eſt expulſio formæ ligni, quare non poteſt eſſe prior informatione: deinde introductio formæ ignis in eadem materia eſt generatio ignis, & hæc eadem eſt cauſa expulſionis formæ ligni, quæ eſt corruptio eiuſdem ligni. Nam agens producendo vnam formam in materia efficienter expellit ab ea aliam incompoſſibilem: ergo corruptio eſt effectus generationis, & ideo omnibus modis ea poſterior.

Secunda opinio diſtinguit diuerſa genera cauſarum, effi- 101
cientis, & materialis, aſſerítque introductionem nouæ formæ, quæ eſt generatio, priorem eſſe expulſione antiquæ, quæ eſt corruptio, ex parte efficientis, ſed ex parte materiæ priorem eſſe purgationem materiæ à forma præcedente, quàm receptionem

nouæ, & cum purgatio materiæ à forma antiqua sit quasi corruptio passiua, & receptio nouæ formæ quasi passiua generatio, priorem esse ex parte materiæ corruptionem. Ita tenet expresse D. Thomas 1.2.quæst.113.art.8.ad 1.his verbis: *Ex parte Solis prius est illuminare, quàm tenebras remouere; ex parte autem aëris illuminandi prius est purgari à tenebris, quàm consequi lumen ordine naturæ, licet vtrumque sit simul tempore.* Et hæc est ferè communis in schola, & vera: sed quia veritas rerum aliquando obscura est, prius explicanda est, deinde probanda. Pro explicatione autem notandum est, generationem, & corruptionem posse considerari ex parte agentis, & ex parte passi. Et primo modo consideratæ sumuntur per modum actionis: secundo vero modo per modum passionis; & cum passum circa quod operatur agens ad introductionem nouæ formæ, & expulsionem antiquæ, sit materia, considerari possunt ex parte agentis, & ex parte materiæ, non tamen sunt comparandæ, vt considerantur ex parte agentis ad se ipsas, vt considerantur ex parte materiæ, neque hoc modo potest esse in eis ordo prioris, & posterioris, quia agens, & materia continent diuersa genera causarum, & ideo non habent ordinem prioris, & posterioris, nisi in quantum causæ possunt esse sibi inuicem causæ, vt 2. lib. Phys. ostendimus: solum ergo comparari possunt, vt se tenent ex parte agentis inter sese, & etiam vt se tenent ex parte passi inter sese; quo pacto possunt habere ordinem prioris, & posterioris. Sed vt considerantur ex parte agentis, generatio vocatur introductio nouæ formæ, quia agens intendit formam introducere ad generationem compositi: corruptio verò vocatur expulsio formæ præcedentis, quia agens per introductionem actiuã nouæ formæ, actiuè etiam dicitur expellere præcedentem. Sed vt se tenent ex parte materiæ, generatio dicitur receptio nouæ formæ, corruptio vero purgatio, vel emundatio à forma præcedente siue passiua expulsio eiusdem formæ præcedentis: integra vero ratio generationis vtramque includit, nempe introductionem formæ in materia, & receptionem eiusdem formæ in eadem materia, vt ex eo est manifestum. Et integra ratio corruptionis includit actiuam expulsionem formæ præcedentis à materia, & purgationem eiusdem materiæ ab apposita forma, siue passiuam expulsionem eius.

102 Itaque nostra sententia sic explicata duo asserit. Primum est, generatio, vt se tenet ex parte efficientis, prior natura est corruptione. Secundum, vt se tenet ex parte materiæ, posterior; & ideo in genere causæ efficientis, & absolutè prior, sed

ſed in genere cauſæ materialis poſterior, quod eſt eſſe ſecundum quid poſteriorem. Probatur primum hac ratione. Generatio, vt ſe tenet ex parte efficientis, dicit introductionem nouæ formæ in materia, & corruptio expulſionem formæ antiquæ ab eadem materia: ſed introductio nouæ formæ eſt prior natura expulſione antiquæ: ergo generatio eſt prior natura corruptione. Probatur minor, quia agens per introductionem nouæ formæ operatur ad expulſionem antiquæ; ergo prius natura introducit illam, quàm expellat hanc. Et hanc partem probant etiam argumenta prioris ſententiæ. Probatur etiam ſecundum, in quo differt noſtra ſententia ab alia; primo, quia generatio ex parte materiæ dicit receptionem nouæ formæ; & corruptio dicit purgationem materiæ à forma antiqua: ſed prius eſt ex parte materiæ purgari à forma oppoſita, quàm nouam recipere: ergo prior natura eſt corruptio generatione. Probatur minor duobus exemplis adductis à D. Thoma, primum eſt de illuminatione aëris, quæ vt ſe tenet ex parte Solis, dicit productionem luminis in aëre, corruptio vero tenebrarum dicit remotionem earum; & quia Sol remouet ab aëre tenebras per illuminationem, quæ eſt productio luminis; ideo prior eſt natura hæc, & poſterior illa in ordine cauſæ efficientis, ſed ex parte aëris illuminandi prior natura eſt purgatio eius à tenebris, quæ eſt corruptio paſſiua, quàm conſecutio luminis, ſiue informatio eiuſdem aëris, ab eo, quam dicit generatio luminis. Exemplum ſecundum eſt de aëre aperiente feneſtram, & per eam ingrediente, nam ex parte ipſiuſmet aëris, quod eſt agens, prius eſt ingreſſio actiua quàm apertio feneſtræ, cum feneſtra aperiatur effectiuè ab ingreſſu aëris, ſed ex parte eiuſdem feneſtræ prius eſt eam aperiri, quàm aërem ingredi, quia feneſtra, non niſi aperta locum ingrediendi præbet aëri. Et exemplum hoc clarius oſtendit vim argumenti, & veritatem noſtræ ſententiæ, cum per ſenſum ſit notius.

Secundo probatur, quia materia recipit formam per po- 103
tentiam, & aptitudinem, quam habet recipiendi illam: ergo ex parte materiæ prius eſt eſſe aptam ad recipiendam formam, quàm receptio eiuſdem formæ: ſed non intelligitur naturaliter ſufficiens aptitudo, niſi ſit expedita: ergo prius in hoc ordine intelligitur expedita, quàm recipiens formam: ſed fit expedita per purgationem à forma oppoſita naturaliter impediente receptionem nouæ: ergo ex parte materiæ prior natura eſt purgatio ab illa, quàm receptio huius & ex conſequenti prior natura corruptio in ordine cauſæ materialis generatione.

Tertio,

Tertio, quia materia in hoc ordine prius intelligitur omnino apta ad recipiendam formam, quàm actu eam recipiens: ſed non intelligitur omnino apta naturaliter, niſi intelligatur purgata ab impedimentis, vel expedita ab eis,quam purgationem,& expeditionem dicit corruptio,vt ſe tenet ex parte eiuſdem materiæ: ergo hoc modo ſumpta prior natura eſt receptione formæ,quam dicit generatio ſumpta eódem modo.

Si autem dicatur pro alia opinione: purgatio materiæ, aut expeditio eius ab impedimento formæ oppoſitæ fit per informationem,vel receptionem formæ:ergo illa eſt effectus huius: quare repugnat priorem eſſe, ſed omnibus modis erit poſterior.Probatur conſequentia,quia effectus non poteſt eſſe prior ſua cauſa vllo genere prioritatis. Neganda eſt conſequentia, quia de vno genere cauſę tranſit ad aliud.Et ideo non eſt bona: concedimus enim totum,quod in materia fit, dum res vna generatur,& alia corrumpitur eſſe effectum cauſæ efficientis, & inter plures effectus, poſitiuos eſſe priores natura negatiuis, quia illi fiunt per ſe,& iſti quaſi per accidens, atque etiam iſti illis medijs.Vt introductio formæ,informatio eius, & expulſio formæ oppoſitæ:ſed cum fiant ab agente circa paſſum, vtrumque reſpiciunt,& in ordine ad vtrumque conſiderari debent,& vt conſiderantur in ordine ad vnum,& alterum ſuis proprijs nominibus ſignificantur, quia diuerſas rationes formales, & diuerſum genus cauſæ dicunt.Gratia exempli:generatio, vt eſt ab efficienti, ſignificatur nomine introductionis formæ, & vnionis cum materia,corruptio vero nomine expulſionis, aut diſſolutionis eiuſdem vnionis cum eadem materia: & introductio,atque vnio cùm ſint effectus poſitiui, priores ſunt expulſione,& diſſolutione.Sed eadem introductio formæ, & eadem vnio eius cum materia,vt reſpiciunt paſſum, nempe materiam,alijs nominibus ſignificantur, quia diuerſam rationem formalem dicunt:cum aliud genus cauſæ ſignificent: & introductio formæ vocatur conſecutio eius à materia,vel receptio, (ſi proprium effectum materiali cauſæ velimus ſignificare) vt autem conſiderantur in ordine cauſæ efficientis,& materialis, non poſſunt comparari:& ſi comparentur non erit bona argumentatio à prioritate alicuius in vno genere conſideratæ ad prioritatem,vel poſterioritatem alterius conſideratę in genere alio. Cuius ratio eſt manifeſta,quia diuerſa genera cauſarum, vt talia ſunt,non poſſunt ſimpliciter comparari, niſi quatenus ad inuicem poſſunt mutuam cauſalitatem inter ſeſe exercere, vt vidimus 2.lib.Phyſic. quæ tamen comparatio non pertinet
104 ad præſentem conſiderationem. Ex his ergo patet non eſſe

bonam

bonam illam conſequentiam,purgatio materiæ à forma oppoſita fit ab agente per introductionem nouæ, aut per informationem eius:ergo eſt effectus huius,quare nõ poteſt eſſe prior: procedit enim à genere cauſæ materialis, quod dicit purgatio materiæ,ad genus cauſæ efficientis,quod dicit introductio formæ:licet enim re ipſa ab efficiente procedat vtrumque. Sed ſub his nominibus non comparatur vtrumque ad cauſam efficientem,ſed ſola introductio : purgatio vero ſolum ad materialem:quare non eſt comparabilis cum introductione formæ, neque cum expulſione oppoſitæ in ordine cauſæ efficientis contentis,ſed ſolum cum conſecutione, vel receptione formæ contentis in eodem ordine materialis cauſæ, in quó probatum eſt purgationé vel expeditionem materiæ eſſe priorem natura & ex conſequenticorruptionem, vt ſe tenet ex parte materiæ, priorem eſſe generatione,hoc eſt, receptione formæ:quamuis in ordine efficientis ſit natura poſterior actiua expulſio, quam actiua introductio.

Primum argumentum alterius opinionis concedendum eſt; nam ſolum colligit, quod expulſio formæ præcedentis ſit poſterior introductione formæ ſequentis, & hoc verum eſt,quia introductio,& expulſio ſe tenent ex parte agentis, & expulſio fit agente per introductionem alterius formæ. Ex quo ſolum ſequitur,quod corruptio,vt ſe tenens ex parte agentis, dicenſque expulſionem, ſit poſterior generatione, vt dicit introductionem formæ:ſed eadem generatio,& corruptio,vt ſe tenent ex parte materiæ,oppoſito modo ordinantur, quia generatio ex parte materiæ dicit conſecutionem formæ,vel receptionem eius;corruptio vero purgationem eiuſdem materiæ ab oppoſita forma impediente ; purgatio vero à forma oppoſita, quia eſt emundatio materiæ pertinens ad potentiam, & aptitudinem eius,per quam recipit formam;& quædam diſpoſitio eius, prior eſt in hoc ordine materialis cauſæ,quàm conſecutio, vel receptio eiuſdem formæ, quia non intelligitur recipere formam,niſi materia purgata,mundata,expedita, atque diſpoſita. Et eodem prorſus modo ſoluitur argumentum, quod probat prioritatem generationis reſpectu corruptionis in eodem ordine efficientis cauſæ:cum tamen in ordine cauſæ materialis ſit poſterior,vt probatũ eſt. Nec argui poteſt à prioritate eiuſdem in ordine efficientis cauſę ad prioritatem in ordine cauſæ materialis ; quia licet generatio, & corruptio ſecundum rem ſint effectus cauſæ efficientis, & generatio prior corruptione in eodem genere : ſed non ſolùm reſpiciunt cauſam efficientem, licet ab ea ſola fiant,ſed etiam cauſam materialem, circa

quam

quam fiũt.Et quæ in ſuo genere ad eſſe earum concurrit;vt autem reſpiciunt materiam,diuerſam rationem formalem habẽt, & diuerſo,immo oppoſito modo ordinantur, ita vt corruptio ſit natura prior,vt probatum eſt.

BREVE DVBIVM.

An generatio,& corruptio diſtinguantur realiter à materia?

105 EX his,quæ diximus 3. lib.Phyſ.de diſtinctione reali motus à mobili,intelligitur ſolutio huius dubij, nam motus, vt ibi ſumitur ab Ariſtotele, communis eſt ad mutationes inſtantaneas,etiam ſubſtãtiales,quales ſunt generatio, & corruptio:& motus ſucceſſiuos,vt ex communi ſententia probauimus: ſed probatum ibidem eſt vniuerſaliter, quod motus diſtinguatur realiter à mobili;quia realiter poteſt ab eo ſeparari vt euidenti experientia conſtat,qua videmus tranſeunte motu quocumque permanere ſubiectum, quod per eum mouebatur, aut mutabatur,ergo probatum quoque erit,generationem, & corruptionem(quæ ſunt mutationes quædam, & motus)diſtingui realiter à materia,à qua realiter ſeparantur. Sed diuerſo modo diſtinctionis realis,nam generatio cum ſit mutatio poſitiua,diſtinguitur diſtinctione reali poſitiua; corruptio verò cum ſit mutatio negatiua, ſolum diſtinguitur diſtinctione reali negatiua, ſicut diſtingui poteſt negatio realis à natura reali poſitiua,vel res iam non exiſtens à re actu exiſtente.

TRACTATVS TERTIVS de alteratione.

QVÆSTIO I.

An ſit,& quid ſit alteratio,& quomodo diſtinguatur à generatione ſubſtantiali?

106 POſtquam Ariſtoteles explicuit rationem generationis, & corruptionis ſubſtantialis, iam incipit agere de varijs generationibus accidentalibus, & primo de alteratione, de qua euidenti

euidenti experientia cõſtat, quod ſit in rerum natura;cum non ſolũ videamus, ſed ſenſu tactus experiamur ex calefactionibus, & frigefactionibus alterari corpora.Sed vt cæteram ſuo ordine explicemus,à nomine ipſo alterationis incipiendum eſt, quod multas habet ſignificationes,& iuxta illas alteratio ipſa diuerſas acceptiones.Primo accipitur vniuerſaliſſimè pro quacumq; mutatione, per quam res alteratur, hoc eſt fit altera, nam vt Porphyrius docet in prædicabilibus, cap. de differentia: ſicut forma,ſeu differentia eſſentialis facit aliud,hoc eſt aliam ſubſtantiam;ita forma, ſeu differentia accidentalis facit alterum, vel alteratum;vnde alteratio hoc modo ſumpta ſignificat quãlibet mutationem accidentalem, quia per eam dicitur ſubiectum alterari,hoc eſt fieri alterum, & comprehẽdit etiam augmentationem. Secundo modo accipitur minus vniuerſaliter, pro mutatione ſecundum qualitatem,quia qualitas magis propriè dicitur facere alterum,vel alteratum, quàm reliqua accidentia.Sed neque acceptio iſta propria eſt huius vocabuli,quia comprehendit quaſcumque alterationes improprias, per quas ſubiectum fit alterum:tales enim ſunt non ſolùm intentionales,vt ſenſationes, ſed etiam ſpirituales, vt intellectiones, & volitiones,quæ impropriè dicuntur alterationes,quia alteratio propriè ſumpta diſponit ſubiectum ad corruptionem,iſtę verò illud potius perficiunt.Ideo accipitur tertio pro omni, & ſola mutatione Phyſica,per quam producitur qualitas ſenſibilis habens contrarium: per hanc enim ſolam fit ſubiectum propriè alterum,vel alteratum,& quia in ſolis qualitatibus tertiæ ſpeciei, quæ vocantur paſſibiles, reperitur propria contrarietas: ideo Ariſtoteles 7.lib.Phyſ.docuit propriam alterationem(quę motus Phyſicus eſt)illam eſſe, quæ tendit ad qualitates tertiæ ſpeciei. Et cum motus Phyſicus propriè acceptus ex propria natura ſit ſucceſſiuus,vt docuit etiam Ariſtoteles 5. lib. Phyſ. ideo alteratio propriè ſumpta ſucceſſionem poſtulat.Et tãdem, quia qualitates habentes propriè contrarium, quædam ſunt primæ,inter quas primò reperitur contrarietas, vt calor, frigiditas,humiditas,& ſiccitas:aliæ verò ſecundæ, quæ fiunt ex earum permixtione,vt albedo, nigredo,cęterique calores,qui per participationem primarum dicuntur habere contrarium. Propterea vltimo,ac propriiſſimè poteſt ſumi alteratio pro mutatione circa primas qualitates per quã propriiſſimè fit alterum, vel alteratum ſubiectum.Et hoc modo ſumpta deſeruit primò, & per ſe generationi ſubſtantiali;& ad eam tamquam ad finem ordinatur.

Quia

Quid ſit alteratio.

SEd 3. acceptio ſatis propria eſt, & omnem, ac ſolam alterationem Phyſicam comprehendit : ideo ſecundum eam definienda erit hoc loco alteratio, vt intelligamus quid ſit, eamque à generatione diſtinguamus. Talis vero definitio eius aſſignari poteſt. *Alteratio eſt motus Phyſicus, qui inter contrarias qualitates verſatur.* In qua motus Phyſicus ponitur pro genere, quia in eo conuenit alteratio cum augmentatione, & alijs mutationibus Phyſicis, à quibus per cæteras particulas diſtinguitur, & primo à mutationibus inſtantaneis, aut etiam ſucceſſiuis, quæ non verſantur inter contrarios terminos, ſed contradictoriè, vel priuatiuè tantùm oppoſitos: alteratio verò eo ipſo, quod verſatur inter qualitates contrarias, verſatur inter terminos poſitiuos, quia vera contrarietas inter extrema poſitiua ſolum reperitur. Diſtinguitur etiam à cæteris motibus ſucceſſiuis, qui verſantur ſuo modo inter contrarios, & poſitiuos terminos ex eo, quod ad qualitatem tẽdit tamquam ad terminum ad quem: alij vero motus ad quantitatem, vel vbi ; nam vnitas, atque diſtinctio ſpecifica motus à ſolo termino ad quem ſumitur, ab vtroque verò, nempè à quo, & ad quem, ſumitur diſtinctio quaſi generica, quia motus illi, qui inter terminum à quo, & ad quem poſitiuos verſantur, genere diſtinguuntur ab alijs, qui verſantur inter priuatiuè, aut contradictoriè oppoſitos, qui nomine mutationum ſignificati ſolent.

Quomodo diſtinguatur alteratio à generatione.

107 PRæter vniuerſalem modum diſtinguendi alterationem à mutationibus inſtantaneis, quæ verſantur inter terminos contradictoriè, vel priuatiuè oppoſitos, inter quos numerantur generatio, & corruptio ſubſtantialis, ſpecialiter nunc diſtinguenda eſt ab eiſdem. Et licet in multis differat, tria ſunt præcipua, quæ ex principijs Ariſtotelis manifeſtè colligũtur. Prima differentia eſſentialis eſt ex parte terminorũ ad quos tendunt; nam generatio terminatur per ſe ad ſubſtantiam, alteratio ad qualitatem; ex qua ſequitur alia ei proxima; nam cum ſubſtantia per ſe careat latitudine graduali, & in indiuiſibili conſiſtat, per ſe petit ſimul, aut in inſtanti fieri ; & non niſi per accidens ſucceſſiuè fieri poteſt : qualitas vero habens per ſe contrarium petit ex oppoſito fieri ſucceſſiuè ; & ita alteratio ſecnndum propriam naturam facta ſucceſſiuus motus eſt ; & licet poſſit fieri in inſtanti per potentiam Dei abſolutam, vt 5. lib. Phyſ. oſtendi

oſtendimus, quia in momento poteſt Deus totam reſiſtentiam contrarij vincere; hoc non tollit primum, quia conſiderata natura contrariarum qualitatum,& virtute naturali earum,per quam reſiſtentia vnius vincenda eſt ad introductionem alterius in eodem ſubiecto,non poteſt in momento,ſed paulatim vinci; & ex conſequenti,nec poteſt alteratio ſimul,aut in inſtanti fieri, ſed ſucceſſionem poſtulat. Tertia differentia ſequitur etiam ex prima, & ſumitur in ordine ad ſubiectum, nam ſi alteratio per ſe tendit ad qualitatem; generatio verò mutatio eſt circa ſubſtantiam. Sequitur ſubiectum huius materiam ſolam eſſe debere, quia forma de nouo fit, atque etiam ſubſtantiale compoſitum, & ſola materia poteſt mutari ab vna forma ſubſtantiali in alteram. Alteratio verò mutationem dicit circa ſolam qualitatem, non circa ſubſtantiam rei, quam præſupponit permanentem ſub vtroque termino à quo, & ad quem; & ideo ſubiectum alterationis non eſt materia nuda, ſed compoſitum ſubſtantiale, vel ſaltem materia informata ſubſtantiali forma iuxta diuerſas opiniones, de quibus inferius diſputabitur. Omitto minores alias differentias ab aliis explicatas, quia tres iſtæ ſunt præcipuæ.

BREVE DVBIVM.

An ſi impoſſibilis eſſet generatio; impoſſibilis quoque alteratio cenſeretur?

DVbium hoc pertinet ad connexionem alterationis cum 108
generatione ſubſtantiali, an adeo naturalis ſit, vt ſi generatio eſſet naturaliter impoſſibilis, cenſeretur etiam impoſſibilis alteratio, vel adhuc poſſibilis foret. Deſumpſit verò occaſionem ex Ariſtot. cap. 1. huius lib. text. 1. vbi ita naturaliter eſſe connexam alterationem cum generatione docet, vt impoſſibilis hæc cenſeretur, ſi illa non poſſet dari in rerum natura, his verbis. *Quapropter, ſi non ſit poſſibile ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum, eadem autem ratio, & de aliis, hoc autem erat alteratio.* Sed ex alia parte videtur non habere neceſſariam connexionem cum alteratione,quia alteratio non verſatur circa ſubſtantiam, ſed eam præſupponit; & alteram,aut alteratam facit ſecundum qualitatem: ergo licet nunquam generaretur de nouo ſubſtantia,poſſet alterari,ſicut videmus ſuo modo alterari corpora cœleſtia per illuminationem,licet non ſint generabilia.

Dicendum tamen est, alterationem propriam, de qua loquimur, & quam definiuimus, naturalem connexionem habere cum generatione substantiali, & ideo si hæc esset impossibilis naturaliter, etiam esset impossibilis naturaliter alteratio. Probatur hac ratione: alteratio propria est motus Physicus, qui versatur inter qualitates propriè contrarias: ergo sua natura disponit subiectum ad corruptionem, ad differentiam alterationis impropriæ, quæ potius perficit subiectum, vt sensatio, intellectio, illuminatio; sed non corrumpitur vna substantia, nisi vt generetur altera, quia natura non intendit per se primo corruptionem, sed solum propter generationem: ergo de primo ad vltimum alteratio ordinatur naturaliter ad generationem: quare si hæc non esset possibilis, nec alteratio naturaliter censeretur possibilis, nam deficiente fine, naturaliter quoque deficit medium ex se ad illum ordinatum.

109 Testimonium autem Aristotelis, licet sit pro nostra sententia adductum, longè diuersum habet sensum, vt ex contextu facilè potest intelligi. Loquitur enim aduersus Empedoclem duo asserentem: primum, nunquam posse transmutari vnum elementum in aliud, nec ideo vnum ex alio generari. Secundum, qualitates elementorum tam primas, quàm secundas, vt calor, frigiditas, humiditas, & siccitas, durities, mollitudo; & similes esse proprias passiones eorundem elementorum. Quo supposito euidenter sequitur non posse secundum easdem qualitates transmutari, quia impossibile est transmutationem fieri secundum proprias passiones, si non potest fieri secundum substantiam, quam naturaliter sequuntur: & cum transmutatio secundum illas qualitates verè sit alteratio, infert Aristoteles, quod sicut non est possibilis generatio substantialis apud Empedoclem; ita non est possibilis mutatio secundum qualitates apud ipsum, quę cum re vera sit alteratio, hæc etiam erat apud ipsum impossibilis. Quid sit autem sentiendum de connexione naturali veræ generationis, & veræ alterationis secundum se, in eo loco non docet, ex aliis verò eius principiis deduci potest; quod asserimus, nempe connexionem naturalem habere hanc cum illa, & ita, si impossibilis esset naturaliter generatio, impossibilis quoque censenda esset naturaliter alteratio.

Probatur secundò, quia si impossibilis esset naturaliter generatio, impossibilis etiam esset naturaliter corruptio; quę non intenditur per se primo à natura; sed secundario, in quantum consequitur necessario generationem: ergo sublata generatione naturaliter auferetur corruptio. Quare sequitur hanc esse naturaliter impossibilem, si impossibilis esset naturaliter generatio.

Sed

Digitized by Google

Sed quid dicendũ ſecundum potentiam Dei abſolutam? Reſpondeo etiam hoc modo eſſe verum, quod ſi impoſſibilis eſſet generatio ſecundũ hanc potentiã, impoſſibilis quoque eſſet alteratio propria, de qua loquimur. Probatur hoc argum. quia ſi implicaret contradictionẽ dari generationẽ in rerũ natura, etiã implicaret dari corruptionẽ. Probatur euidenter ex corporibus cœleſtibus, quibus, ſuppoſito quod repugnat omnino generari, eodẽ modo repugnat corrũpi: & vniuerſaliter loquendo, ſi repugnaret materiã mutari à priuatione formę ad eandem formam, (quod intrinſecũ eſt generationi ſubſtantiali) etiam repugnaret mutari à forma ſubſtantiali ad priuationem eius, (quod eſt intrinſecum corruptioni ſubſtantiali.) Probatur paritas rationis, quia eo ipſo, quod poſſet mutari materia à forma ad priuationem eius, poſſibilis foret priuatio formæ in materia; ſed priuatio dicit negationem cum aptitudine; ergo poſſibilis eſſet aptitudo in materia ad recipiendam aliam formam. Et ex aptitudine infertur euidenter, poſſe eam recipere, & conſequenter mutari ad illam ex priuatione, quam mutationem patet eſſe generationem; ergo poſſibilitas corruptionis infert neceſſariò poſſibilitatem generationis; quare ſi impoſſibilis foret generatio, etiam foret impoſſibilis corruptio. Ex quo etiam infertur neceſſariò impoſſibilitas alterationis, quod ſic probo. Propria alteratio eſſentialiter habet quod inter qualitates poſitiuè contrarias verſetur, in quo diſtinguitur à mutationibus, quæ verſantur inter terminos priuatiue oppoſitos, quales ſunt generatio, corruptio, illuminatio; ſed qualitates contrariæ ab intrinſeco habent, poſſe ab eodẽ ſubiecto mutuo ſe expellere, & mutua expulſio dicit intrinſecum ordinem ad expulſionem formę ſubſtantialis ſaltem poſſibilem; quam patet eſſe ſubſtantialem corruptionem: ergo ſi hæc implicaret contradictionem, etiam implicaret alteratio propria. Quod probatur ſecundo à poſteriori, in corporibus cœleſtibus, quæ ſuppoſito quod ſint ingenerabilia, & incorruptibilia, non habent capacitatem recipiendi accidentia propriè contraria, vt calorem, & frigus: vnde nec poſſunt tangi, quia omnium qualitatum tangibilium incapacia ſunt. Quod ita verum eſſe exiſtimo, vt nec per potentiam Dei abſolutam poſſint tangi, vel calorem, aut frigus recipere, quia capacitate omnimoda carent recipiendi talia accidentia, eo ferè modo, quo incapacia ſunt recipiendi accidentia ſpiritualia: ex quo ſequitur neceſſe capacia alterationis propriæ ad talia accidentia contraria per ſe terminatæ; ſi ergo impoſſibiles forent omnibus modis generatio, & corruptio quorumlibet corporum; impoſſibilis eſſet omnino alteratio.

QVÆSTIO II.

An alteratio ſit motus continuus?

110 TItulus quæſtionis intelligitur de ſola alteratione propria, quæ verſatur inter qualitates contrarias, & diſponit ſubiectum ad corruptionem, qualis eſt calefactio, aut infrigidatio; non de impropria, quæ nec verſatur inter contrarias qualitates, nec diſponit ſubiectum ad corruptionem, qualis eſt illuminatio ſecundum ſuam naturam accepta. Propria autem alteratio duplex eſt: vna vocatur extenſio; alia intenſio. Extenſio dicitur illa, per quam extenditur qualitas per diuerſas partes ſubiecti, vt dum calor, qui eſt in ſola manu, ſe extendit ad brachium, & alias partes corporis. Intenſio verò eſt alteratio, per quam perficitur qualitas circa eandem partem ſubiecti per additionem alicuius gradus noui, vel quia magis radicatur in eadem parte, vt ſi calor, qui eſt in digito, vel manu; in eodem digito, vel manu perficiatur. Quæſtio autem intelligitur de vtraque alteratione tam extenſionis, quam intenſionis, de quibus quærit, an ſint motus continui, hoc eſt, an fiant per tempus continuum, in quo pars poſt partem extenſionis, vel intenſionis qualitatis acquiratur ſine vlla interruptione.

Et prima opinio aſſerit vtramque alterationem eſſe ſucceſſiuam, extenſionem vero non eſſe vllo modo continuam, ſed fieri in diuerſis inſtantibus temporis per partes minimas ſubiecti; & cum inſtantia temporis non ſibi ſuccedant immediatè, nec poſſint eſſe continua, ſed inter quælibet duo, medium ſit tempus, non eſſe poſſibile, quod alteratio quoad extenſionem fiat motu continuo, quamuis fiat ſucceſſiuè, in quantum vnum inſtans ſuccedit poſt alterum. Itaque hoc modo fit alteratio quantum ad extenſionem, vt dum ignis (exempli gratia) applicatur ligno, per aliquod tempus diſponat minimam quandam partem eius, ita vt minor nec poſſit diſponi, nec in ea introduci calor; in inſtanti autem terminatiuo illius temporis introducat calorem in eadem minima parte, non ita vt prius eum introducat in medietatem eius, ſed ſimul, & abſque ſucceſſione in tota, & ſingulis eius partibus. Tempore autem ſequenti diſponat aliam partem minimam, & in inſtanti terminatiuo eiuſdem temporis, ſimul etiam introducat in ea calorem, & ſic de cæteris inſtantibus, in quibus fit extenſio caloris per alias partes minimas, quouſque extendatur ad totum lignum, & hoc eſt fieri extenſionem per minima, & non continuè, quia in partibus temporis intermediis non fit extenſio caloris,

caloris, sed disponitur minima pars subiecti, vt in instanti terminatiuo extendatur.

Eamdem vero alterationem quo ad intensionem continuam esse docet hæc sententia, quia toto tempore medio inter instantia, in quibus extenditur qualitas per partes minimas subiecti, intenditur in eisdem partibus. Ita vt tempore immediato post primum instans, in quo producitur in prima parte subiecti, perficiatur in eadem vsque ad secundum instans extensionis ad secundam partem, in qua etiam intenditur tempore statim sequenti, & cum tempus sit continuum, continuè etiam fit alteratio secundum intensionem. Hæc est opinio Ægidij 1. lib. de Generatione q. 16. quam videtur sequi Iandun. 8. lib. Phys. q. 8. probabitur autem simul cum sequenti. 111

Secunda opinio tenet alterationem, non esse continuam vllo modo, hoc est, nec secundum extensionem, nec secundum intensionem, sed vtroque modo fieri per minima; & ideo vtroque modo discretè, ita vt sicut in tempore non extenditur calor, sed quiescit mobile ab alteratione extensiua, & disponitur minima pars subiecti, vt in instanti terminatiuo eiusdem temporis per eam simul extendatur, ita in tempore disponitur eadem pars ad intensionem, & quiescit ab alteratione intensiua, & in eodem instanti terminatiuo simul intenditur calor in eadem parte. Ita Capreolus in 1. distinct. 7. quæst. 2. art. 2. Sonzinas 8. lib. Metaph. q. 22. Iauellus, & Ferra. 8. lib. Phys. q. 7. Probatur testimonio Aristotelis 8. lib. Phys. tex. 23. vbi de omni alteratione negat expresse, quod sit continua his verbis: *Dicere alterationem fieri continuè est aduersari valdè manifestis.* Et lib. 6. tex. 58. vniuersaliter docet motus, qui versantur inter terminos contrarios non posse continuari, & ideo in 8. lib. text. 65. & 66. probat motus sursum, & deorsum eiusdem corporis necessariò interrumpi in puncto reflexionis, quia cum sint, contrarij, non possunt continuari. Ex altera vero parte asserit 5. lib. Physicorum in principio, motum propriè dictum (qualis est alteratio) versari inter terminos contrarios, in quo distinguitur à generatione. Et ex vtroque sequitur alterationem à calido in frigidum, vel ab albo in nigrum non posse fieri continuè.

Probatur deinde ratione de vtraque alteratione extensionis, & intensionis: primò, quia si vtraque sit motus continuus, sequitur in quolibet instanti continui temporis, in quo fit, extensam esse qualitatem ad nouam partem subiecti, & nouam partem, vel gradum intensionis esse productum: sed instantia cuiuslibet tempotis sunt actu infinita; ergo verum erit, in 112

ſpatio horæ. v. g. per quam fit extenſio, vel intenſio continuè, qualitatem eſſe extenſam, atque intenſam in infinitum, hoc eſt ad infinitas partes ſubiecti; & infinitas partes intenſionis habere, & æquales quidem, vel aliquotas, quia in quolibet inſtanti verum eſt extenſam eſſe qualitatem ad nouam partem ſubiecti, atque diſtinctam ab ea ad quam fuit intenſa in inſtanti præcedente, & diſtinctum gradum intenſionis habere ab eo, quem habuit in inſtanti præcedente, quæ cum falſa ſint, falſum erit, quod vtraque alteratio ſit continua.

Secundo, quia ſi tempore continuo fit vtraque alteratio; vel in ſingulis inſtantibus eiuſdem temporis producitur aliquid extenſionis, atque intenſionis, vel nihil; ſi producitur aliquid, non poteſt ſucceſſiuè, neque continuè produci, quia in inſtanti, nec ſucceſſio, neque continuitas eſſe poteſt: ergo quantum ad ea, quæ producuntur in inſtantibus, non poteſt eſſe alteratio continua: ſi vero nihil producitur in inſtantibus: ergo quieſcit in eis mobile, motuſque interrumpetur, & diſcontinuabitur.

Tertio, de ſolo motu intenſionis ſic probatur; quia qualitas contraria ſecundum omnes gradus intenſionis expellitur ſimul, aut in inſtanti à ſubiecto: ergo tota qualitas, per quam expellitur ſecundum omnes gradus intenſionis, ſimul introducitur in eodem ſubiecto; & ideo non per motum intenſionis ſucceſſiuum, vel continuum. Probatur antecedens, quia octo gradus frigoris, quos habet aqua, ſunt eiuſdem ſpeciei, atque etiam idem numero, & ex conſequenti ſunt prorſus eiuſdem rationis; ergo non eſt maior ratio ob quam vnus eorum prius expellatur, quàm alter; quare vel nullus expellitur, vel omnes ſimul: ſed expelluntur per introductionem caloris: ergo omnes etiam gradus caloris ſimul introducentur, & non ſucceſſiuè per motum continuum.

113 Tertia opinio aſſerit alterationem ſemper eſſe ſucceſſiuam, atque continuam, ſiue ſecundum extenſionem, ſiue ſecundum intenſionem accipiatur. Hæc eſt communis, quam ſequuntur omnes ferè interpretes Ariſtot. 5. & 6. lib. Phyſ. locis inferius citandis; atque etiam cap. 4. huius lib. & eſt vera, & tenenda, nam primo colligitur euidenter ex principiis eiuſdem Ariſt. qui tria docet de motu. Primum eſt, motum propriè dictum, vt diſtinguitur à mutatione tres tantum habere ſpecies, nempe alterationem, augmentationem, & lationem. Ita habetur 5. lib. Phyſ. text. 18. his verbis: *Relinquitur ſecundum qualitatem, & quantitatem, & vbi, motum eſſe ſolum, &c.* Secundo docet omnem motum propriè dictum eſſe continuum, text. 39. his verbis: *Quoniam autem continuus omnis motus eſt, & ſimpliciter quidem vnum,*

Digitized by Google

vnum, & continuum eſſe, neceſſe eſt. Quod confirmat text. 41. vbi agens de vnitate numerica motus aſſerit, motum eſſe vnum numero, ſi ſit continuus; continuum verò eſſe, ſi fiat tempore continuo, ſi autem interrumpatur tempus, & mobile quieſcat, & poſt aliquod tempus moueatur, non eſſe iam eumdem numero motum, ſed alium numero diſtinctum. Ex quibus hoc argumentum euidens colligitur; omnis motus apud Ariſtotelem eſt continuus, & fit tempore continuo; ſed alteratio tam ſecundum extenſionem, quam ſecundum intenſionem eſt propriè motus; ergo vtroque modo eſt continua. Tertio aſſerit quod ſicut in inſtantibus non eſt tempus, nec in punctis magnitudo, ſed hæc, & illud habent partes diuiſibiles in infinitum, & neutrum componitur ex indiuiſibilibus; ita etiam motus non eſt in inſtanti, neque componitur ex indiuiſibilibus, ſed ex partibus continuis, & diuiſibilibus in infinitum. 6. lib. Phyſ. his verbis: *Eiuſdem rationis eſt, & magnitudinem, & tempus, & motum ex indiuiſibilibus componi, & diuidi in indiuiſibilia, aut nullum.* Ex quo aliud argumentum non minus euidens colligitur aduerſus primam, & ſecundam opinionem hoc modo: motus ſecundum Ariſtotelem non fit in inſtantibus temporis, ſed in partibus eius continuis, neque componitur ex indiuiſibilibus: ſed alteratio tam ſecundum extenſionem, quàm ſecundum intenſionem eſt verè, & propriè motus: ergo falſa eſt vtraque opinio, quæ aſſerit fieri in inſtantibus temporis, & non in partibus eius; fieri etiam modo indiuiſibili per minima, ex quibus componitur.

Probatur deinde ratione vtramque opinionem eſſe falſam: 114
primo, quia ſi agens approximatum paſſo in inſtanti producit minimum caloris, aut tempore ſtatim ſequenti agit, aut non: non agere repugnat, quia ab agente approximato naturaliter emanat actio: nec poteſt afferri alia ratio ad probandum, quod in inſtanti producat minimum qualitatis, niſi quia virtutem agendi habet paſſo approximatam: qua ratione ergo dicitur agere in inſtanti. probatur euidenter agere tempore ſtatim ſequenti: ſi vero agit; ergo aliquid producit circa paſſum. Probatur euidenter conſequentia, quia non poteſt dari actio ſine termino producto, ſed nihil poteſt producere præter qualitatem: ergo falſum eſt, quod in tempore non detur alteratio, quæ non eſt aliud, quam productio qualitatis. Sed dicunt agere quidem tempore ſequenti, & producere qualitatem, non eamdem circa quam verſatur alteratio, ſed aliam, quæ eſt quaſi diſpoſitio ſubiecti ad illam, vt ſi agens ſit ignis, non producit tempore ſequenti calorem, ſed raritatem quandã diſponentem

lignum ad recipiendum aliud minimum caloris in inſtanti terminatiuo eiuſdem temporis. Hoc tamen falſum eſt, & argumento non ſatisfacit. Probo eſſe falſum, quia vel ignis ſimul producit vtramque qualitatem, nempe calorem, & raritatem; cum per vtramque qualitatem in ſe exiſtentem naturaliter operetur, vel ſi aliquam producit prius, hæc erit calor, quia fortior eſt calor ignis, & maioris actiuitatis ad agendum, quàm raritas; ergo prius producet calorem, quam raritatem in aqua. Et ſi dixeris ex parte ſui verum eſſe, ſed ex parte ſubiecti neceſſe eſt præcedere raritatem illud diſponentē ad recipiendum calorem. Probatur hoc eſſe falſum, & contra experientiam, quia aqua incluſa in vaſe vitreo vndique clauſo calefit à Sole, vel igne, & non rarefit, quia ſtatim plenum vas confringeretur: ergo producitur calor per alterationem ſine raritate præuia; quare falſum eſt, quod raritas ſit diſpoſitio neceſſaria ad calorem, & conſequenter, quòd ignis tempore ſtatim ſequente producat raritatem diſponentem, & non calorem. Quod verò non ſatisfaciat argumento, etiam ſi verum eſſet, raritatem in tempore producere, ita probo. Raritas eſt qualitas quædam, vt docet expreſsè Ariſt. multis locis, & concedit vtraque opinio & eſt qualitas habens contrarium, nempè denſitatem; ergo productio raritatis eſt propria alteratio facta in tempore, intermedio, & non in inſtantibus, nec per minima modo indiuiſibili: ſed vere continua, ſicut tempus, in quo fit. Hæc igitur ſolutio non ſolum argumentum non ſoluit, ſed ex ea probatur falſam eſſe vtramque opinionem, quòd alteratio non ſit continua.

115 Secunda ratio procedit de illuminatione, quæ licet non ſit propria alteratio, quia lux non habet contrarium, nec per ſe ſit ſucceſſiua, hoc tamen habet per accidens, quia luminoſum approximatur corpori opaco per motum localem ſucceſſiuum, vt patet in Sole illuminante hoc emiſpherium: ab ea itaque tale argumentum deſumitur. Agens naturale quo propinquius eſt paſſo, fortius agit in ipſum: ergo quo Sol propinquior fit per motum localem huic emiſpherio, intenſius illud illuminat: quod etiam eſt experientia notum, cum conſtet meridiano tempore intenſius producere lumen, quam matutino: ſed motus localis Solis eſt ſucceſſiuus, & continuus, vt fatentur aduerſarij: ergo approximatur agens paſſo motu ſucceſſiuo, atque continuo: vnde ſequitur illuminationem eſſe ſucceſſiuam, atque continuam, & à fortiori alterationem propriam, quæ verſatur inter qualitates contrarias, quia reſiſtentia contrarij non poteſt in momento, aut ſimul ſuperari, ſed ſucceſſiuè, & continuè. Nec poteſt vlla ratio probabilis afferri propter quam Sol

approxi

approximatus aëri, eum non illuminet tempore intermedio, ſed neceſſariò concedendum eſt agens naturale eo tempore, quo approximatum eſt paſſo, nihil in ipſum agere: cum non habeat locum in illeminatione diſpoſitio raritatis, ad eam minimè requiſitam.

Ad primum teſtimonium Ariſtot. hac diſtinctione reſpondeo, in duplici ſenſu poteſt dici motus continuus. Primus ſenſus eſt, quòd nunquam interrumpatur, ſed ſine principio, & ſine tendat mobile, vel ſaltem à puncto in quo incipit, ſine vlla interruptione temporis moueatur, atque etiam ſine vllo termino, in quo quieſcat. Secundus ſenſus eſt, quod licet motus non ſemper duret, ſed aliquando interrumpatur per quietem, eo tamen tempore, quo fit, continuè fiat, & non in inſtantibus temporis, ſed in partibus eius continuis. Ariſtoteles ergo loco citato in argumento de ſolo primo modo continuitatis loquebatur intendens probare corpora non eſſe in continuo motu, hoc eſt, non ſemper moueri, ſed aliquando interrumpere motum aduerſus quoſdam antiquiores Philoſophos; & in eodem ſenſu aſſeruit, quod qui dicit alterationem fieri continuè, aduerſatur valde manifeſtis; cum experientia conſtet aliquando interrumpi. Quod veriſſimum eſt, ſed non tollit eſſe continuam in ſecundo ſenſu, nam continuè fieri eo tempore, quo durat, omni motui propriè ſumpto neceſſariò cõuenit, vt idemmet Ariſtoteles locis pro noſtra ſententia citatis expreſſe docet, in quibus eumdem ſenſum tenet, non primum.

Secundum teſtimonium nihil probat contra noſtram ſen- 116
tentiam, nam in omni motu à contrario in contrarium reperitur productio vnius qualitatis, & corruptio alterius, vt in calefactione productio caloris, & corruptio frigoris, quas dicimus eſſe continuas in ſe, non inter ſe, hoc eſt, quamlibet eſſe continuam per proprias partes aliquo modo copulatas, non tamen eſſe continuam cum alia; ita vt calefactio continuetur cum corruptione frigoris, hoc enim benè probatur repugnare ex verbis Ariſtotelis, in quibus non negatur propria continuatio cuiuſlibet motus per ſuas partes, & indiuiſibilia.

Ad primum argumentum, negandum eſt, quod in inſtantibus temporis producantur partes qualitatis intenſionis, vel extenſionis, quia ſicut in inſtanti non datur alteratio, nec motus, ita nec producitur pars qualitatis; ſed licet non producatur pars in inſtanti, verum eſt in eo eſſe productam per partem motus præcedentem, & cum inſtantia ſint actu infinita, videtur adhuc probare argumentum quòd infinita qualitas producatur ſecundum intenſionem, & extenſionem, ſi altera-

continuè fiat in partibus temporis. Cui reſpondent Conimb. cap.4. huius libri q.2. art. 3. non fieri alterationem per partes proportionales,nam ſi per has fieret,tam intenſio,quàm extenſio procederet in infinitum : cùm partes proportionales qualitatis productæ in infinitum procedant , & ita intenderetur , & remitteretur qualitas in infinitum , quod eſt falſum , ſed fieri per partes aliquotas,quarum quælibet habet certam dimenſionem, & omnino eſt extra aliam,vt in quantitate ſe habent palmi,vel digiti. Et cum iſtæ partes, ſiue intenſionis ſint, ſiue extenſionis , finitæ ſint , quælibet alteratio eſt finita , & quælibet etiam qualitas finitam habet intenſionem,& extenſionem.Hæc tamen ſolutio nec omnino vera eſt , nec ſatisfacit argumento. Primum ſtatim probabitur. Secundum vero ſic probo. Siue fiat per partes proportionales,ſiue aliquotas alteratio, neceſſarium videtur,quod argumentum aſſumit;nempe in quolibet inſtanti temporis,quo durat, verum eſſe , quòd producta ſit maior pars qualitatis intenſionis , vel extenſionis ; nam licet in inſtanti non producatur pars qualitatis , producitur tamen in parte temporis , quam terminat , & ideo verum eſt , in inſtanti eſſe productam : adhuc ergo reſtat ſoluendum argumentum.

117 Pro cuius ſolutione notandum , intenſionem , & extenſionem qualitatis , immo etiam productionem cuiuſuis termini motus fieri per partes proportionales , atque etiam per æquales,vel aliquotas, diuerſa ratione, quia eodem modo diuiduntur tempus , in quo fit motus , qualitas per motum acquiſita ſecundum partes intenſionis, & extenſionis , & motus ipſe per quem acquiritur. Vnde ſequitur , quod ſicut in parte aliquota temporis , fit pars aliquota motus , & in parte proportionali pars etiam proportionalis , & ita per partem aliquotam motus in parte aliquota temporis facta producitur pars aliquota intenſionis , vel extenſionis qualitatis , & in parte proportionali producitur etiam proportionalis , vt ſi in dimidia hora producitur vnus gradus caloris , in quadrante produceetur medietas eiuſdem gradus , quod tamen non eſt accipiendum ſecundum omnimodam proportionem , cum motus non ſit eiuſdem velocitatis ſecundum omnes partes , vt per ſe eſt manifeſtum. Partes autem proportionales tam temporis,quàm motus,& qualitatis productæ ſunt actu infinitæ , ſed includuntur in partibus aliquotis actu finitis , & cùm ſingulæ partes qualitatis aliquotæ , atque etiam omnes producantur tempore finito, & motu finito, non ſequitur intentionem , & extentionem qualitatis procedere in infinitum , ſed certum terminum habere , quo definiuntur , & certo etiam tempore abſolui , ita

vt alte

vt alterius non procedant. Ad formam igitur argumenti dum dicitur in quolibet instanti temporis, in quo fit alteratio, plus qualitatis esse productum secundum intentionem, vel extensionem; distinguendum est, nam in quolibet instanti terminante partem aliquotam temporis, & motus, verum est, sed non in quolibet instanti terminante partem proportionalem; quia sicut in qualibet parte aliquota includuntur infinitæ proportionales, quæ non faciunt eam maiorem, eodem modo includuntur infinita instantia, quibus terminantur, in quibus non est verum plus qualitatis esse acquisitum, quam in vno illo instanti terminatiuo eiusdem partis aliquotæ: & ideo non est bona illa consequentia; instantia temporis sunt infinita; ergo in toto tempore mensurante alterationem continuam erit qualitas intensa, vel extensa in infinitum, quia non est verum in quolibet instanti esse magis intensam, vel extensam, sed solum in instantibus terminantibus partes temporis aliquotas. Vnde finita semper intensio, atque extensio erit, cum tempus sit actu finitum, atque etiam alteratio. Et ex his intelligitur non esse negandum, quod intensio, vel extensio fiat per partes proportionales, sed per has simul, ac per æquales sit modo explicato. Et nihilominus argumentum non probat, continuam esse non posse, vel per minima fieri in solis instantibus temporis.

Secundum argumentum copiosius soluendum est quæstione sequente, vbi de modo, quo alteratio sit continua disputabitur; nunc vero dicendum est in singulis instantibus temporis mensurantis alterationem aliquid qualitatis produci, non quod sit pars intensionis, vel extensionis eius, sed indiuisibile, quo continuantur partes, ex parte cuius non est propriè successiua alteratio; sed ratione partium eiusdem qualitatis, quæ producuntur in partibus temporis, & quæ continuantur per eadem indiuisibilia in instantibus producta, vt quæstione sequenti declarabitur.

Tertium argumentum tangit aliam quæstionem inferius disputandam, nempe, an gradus intensionis eiusdem qualitatis perfectione differant; & priores subordinentur posterioribus, vel omnes sint eiusdem perfectionis nullam habentes subordinationem naturalem. Et qui tenent primum, asserunt primum gradum ordine naturæ prius produci, ita vt non possit produci secundus, nisi eo præsuppositio in subiecto. Et ex oppositio octauum gradum prius expelli, deinde septimum, & ita vsq; ad primum. Alij vero alio modo respõdent sic distinguentes; gradus qualitatis, vel cõparantur ad virtutẽ secundæ causæ

in ie

in ſe conſideratæ,vel ad eamdem,vt determinatam à cauſa prima,à qua determinatur ad hanc numero actionem, & hunc numero effectum producendum, & non alterum:ſi ergo conſiderentur gradus qualitatis primo modo, concedendum eſt non eſſe maiorem rationem ob quam vnus gradus expellatur prius quam alter;ſi vero conſiderentur ſecundo modo, ille prius expellitur, ad quem expellendum determinatur cauſa ſecunda à prima:& ideo non ſequitur,quod omnes ſimul expelli debeant, vel nullum,ſed ſucceſſiuè expelluntur omnes,& vnus poſt alterum, iuxta modum prædictæ determinationis: & hæc eſt vera ſolutio,vt quæſtione ſequente oſtendetur.

QVÆSTIO III.

Quonam modo continuetur alteratio ſecundum extenſionem, & intenſionem?

119 PRæſuppoſito ex quæſtione præcedenti, quòd alteratio ſecundum extenſionem,& intenſionem ſit continua, inquiritur in præſenti modus,quo continuetur. Et apud antiquiores interpretes Ariſtotelis nihil de tali modo continuationis reperitur,ſed à ſolis recentioribus diſputatur. Et quidem de extenſione non eſt res adeo difficilis,quia cum qualitas corporea extendatur per ſuperficiem corporis:& ſuperficies ſit continua per propria indiuiſibilia,nempe puncta,atque lineas,facile intelligitur partes extenſionis eiuſdem qualitatis continuari per indiuiſibilia ſuperficiei quaſi per accidens, ſicut per accidens extenſa eſt,vel per propria indiuiſibilia, quæ in indiuiſibilibus eiuſdem ſuperficiei inhæreant; illo enim modo continuari dicunt,qui ſoli quantitati concedunt proprias partes, & indiuiſibilia,ſubſtantiæ vero, & qualitatibus,nec partes, nec indiuiſibilia;ſed hæc,& illas à quantitate accipere, quia motus à termino accipit continuationem, & eodem modo ac ille continuatur.Sed de intenſione res eſt difficilior, quia cum fiat circa eandem partem ſubiecti, immo circa idem indiuiſibile eius, valde difficile eſt continuationem ei tribuere, non enim poſſunt continuationem accipere partes intenſionis qualitatis à partibus ſuperficiei;cum non fiat intenſio circa diuerſas partes, ſed circa eandem, in qua perficitur qualitas, & eodem modo non poſſunt continuari per indiuiſibilia eiuſdem ſuperficiei: cum fiat etiam circa idem indiuiſibile, neceſſe eſt ergo proprias partes intenſionis, proprioque indiuiſibilia concedere quali

qualitati,per quæ continuetur,& conſequenter alterationi,per quam intenditur, ſed adhuc hoc ſuppoſito difficile eſt continuationem ei tribuere.

Et prima opinio recentiorum aſſerit intenſionem non con- 120
tinuari per propria indiuiſibilia, quia vel illa non habet, (vt quidam eorum opinantur)vel etiãſi habeat,non poteſt propriè cõtinuari per illa, ſed ſolum pes immediatã ſucceſſionẽ, quam habet vna pars eius poſt aliam.Quod hoc argumento probant. Impoſſibile eſt partes alicuius rei actu copulari termino communi,niſi actu exiſtant,ſed partes intẽnſionis,cum ſint ſucceſſiuè,non exiſtunt in inſtanti:quod eſt propria menſura indiuiſibilium eiuſdem intenſionis:ergo non poſſunt per hæc indiuiſibilia continuari. Probatur vtraque pars antecedentis ſimul: quia non poteſt indiuiſibile realiter copulare partes, vt punctum partes lineæ, niſi vtramque actu,& realiter attingat, ſed indiuiſibile motus non attingit actu, & realiter partem præcedentem, & ſubſequentem eiuſdem motus : ergo nec poteſt eas actu,& realiter copulare,vel continuare. Probatur minor,quia indiuiſibile motus ſolum durat per inſtans,in quo iam non eſt pars præcedens,ſubſequens vero nondum eſt,ergo neutram poteſt actu,& realiter attingere,neque continuare. Probatur hæc vltima conſequentia, quia non poteſt attingi reali, & Phyſico contactu,id quod actu non eſt. Et propter hoc idem argumentum vniuerſaliter aſſerit hæc opinio ſucceſſiua omnia,vt tempus, & motus non poſſe alio modo continuari,quàm per immediatam ſucceſſionem partium, per quam aliquo modo dicuntur facere vnum tempus,& vnum motum. Hæc tamen ſententia in principiis Ariſtotelis, & in vera Philoſophia prorſus eſt improbabilis. Probatur primum, quia Ariſtoteles 5. libr. Phyſ.text.39. & 40. tria aſſerit de continuatione motus. Primum, illos motus dumtaxat continuos eſſe, quorum vltima ſunt vnum. Secundum,idem eſſe quod motus ſit vnus numero, atque continuus.Tertium,illos motus,qui immediatè ſibi ſuccedunt,non eſſe continuos, ſed contiguos, & conſequenter ſe habere. Ex quibus ſequitur primo falſam eſſe prædictam ſententiam,quod partes motus, & temporis continuentur per ſolam immediatam ſucceſſionem partium Probatur,quia immediatè ſibi ſuccedentia conſequeuter ſe habent : ergo non ſunt continua,ſed contigua.Probatur conſequentia,quia vel vltima eorum (ſi vltima habent) ſimul ſunt,quod eſt definitio contiguorum, vel conſequenter ſe habentium,vel ſi non habent vltima,non poſſunt eſſe vllo modo continua, quia vltima eorum non ſunt vnum. Secundo ſequitur,quod ſi immediata ſucceſſio

partium

partium ſufficeret ad aliquam continuationem, motus ſpecie diuerſi poſſent hoc modo continuari. Probat Ariſtoteles hanc conſequentiam his verbis: *Poſtquam enim cucurrit aliquis, ſtatim febricitare poteſt*? Conſequens autem patet eſſe falſum: ergo prædicta opinio nullam poteſt habere probabilitatem in doctrina Ariſtotelis.

121 Sed probatur idem habere in vera Philoſophia, quia impoſſibile eſt aliqua efficere vnum, niſi actu, & realiter vniantur; & impoſſibile eſt actu, & realiter vniri, niſi vnum actu, & realiter attingat aliud, aut immediatè per ſe, aut per aliquem modum vnionis; ſed partes motus, & temporis iuxta eamdem ſententiam, nec ſe attingunt per ſe, quia non exiſtunt ſimul, ſed vna iam non eſt, & alia nondum eſt, ſed nec ſe attingunt per inſtans, nec per indiuiſibile motus, quia cum neutra ſit, dum eſt inſtans, non poſſunt ab eo attingi, nec eo medio vna attingere aliam; ergo nec poſſunt partes motus, & temporis efficere vnum tempus, vel vnum motum realiter: & ideo nullus dabitur motus realiter vnus, aut vnus numero, nec tempus erit vnum, ſed tot, quot ſunt partes: quod eſt falſum.

Hac refutata ſententia cæteri omnes recentiores conueniunt in eo, quod intenſio qualitatis continuetur proprijs indiuiſibilibus, ſicut qualitas ipſa per eam producta habet proprias partes intenſionis, & propria indiuiſibilia etiam intenſionis, quibus continuatur. Sed non omnes ſentiunt eodem modo, nam quidam eorum tenentes indiuiſibilia eſſe modos, & non res, & ideo per ſe adhærere partibus, à quibus ſeparari repugnat, & non per alios modos vnionis, ponunt in motu duplicia indiuiſibilia terminatiua, & continuatiua. Et terminatiua aſſerunt produci per partes motus, quas terminant, ita vt pars quælibet motus producatur ſuo indiuiſibili terminata, ſed quia indiuiſibilia hæc non poſſunt permanere ſine partibus, quas modificant, neceſſe eſt deſinere eſſe cum illis, & produci de nouo alia continuatiua, quibus vna pars motus continuetur cum alia, & ideo continuatiua hæc ſunt modi vnionis, & diſtinguuntur ratione officij realiter, & formaliter à terminatiuis deſinentibus cum partibus motus, ſicut cum eiſdem producuntur; non tamen producuntur per partes motus eadem continuatiua, ſed ſunt mutationes quædam inſtantaneæ procedentes ab eodem agente, & ſucceſſiuè receptæ in eodem mobili in ſingulis inſtantibus temporis menſurantis motum, & per has mutationes inſtantaneas, quæ ſunt indiuiſibilia continuatiua motus, producuntur indiuiſibilia qualitatis, continuatiua partium intenſionis eius, vel in alijs motibus partium

tium termini per motum dromucti. Et hæc eſt ſecunda opinio in ordine.

Quæ probatur hoc argumento. Repugnat produci partem 122
termini, niſi ſuo indiuiſibili terminatam: ergo repugnat etiam produci partem motus, niſi ſuo indiuiſibili terminatam. Probatur conſequentia, quia eadem eſt proportio inter partem motus, & termini per eam producti: vnde ſequitur tot dari indiuiſibilia terminatiua partium motus, quot ſunt partes in eodem motu: & per eaſdem partes motus produci ab eodem agente, ſicut per eaſdem partes motus producuntur partes termini ſuis indiuiſibilibus terminatæ. Hæc autem indiuiſibilia terminantia ſunt modi earumdem partium, quas terminant: ergo ita terminant, vt non ſint continuatiua. Probatur conſequentia, quia tempore, quo fiunt, nondum ſunt partes motus ſequentes: ergo nec eas copulant cum præcedentibus, quia quod non eſt, non poteſt realiter coniungi alteri, nec poteſt dici, quod copulare eas poterunt, dum fuerint, quia de ratione intrinſeca modi duo ſunt: & quod actu modificet, & quod non poſſit ſeparari à re, quam modificat: ergo ſi eas actu non copulant, repugnat poſſe eas copulare, immo repugnat eſſe modos earum: cum ſemel ab eis inueniantur realiter ſeparata. Quare neceſſe eſt deſinere cum partibus motus, quas terminant, & produci noua alia indiuiſibilia, quibus continuentur partes motus: cum non poſſint per terminatiua continuari, & neceſſe ſit continuas eſſe per aliqua indiuiſibilia. Secundo, quia terminare, & continuare ſunt diuerſa officia; cum continuatiuum ſit modus vnionis duarum partium: terminatiuum vero ſolum vni parti adhæreat: ergo non poſſunt officia hæc in eodem indiuiſibili concurrere, ſed diuerſa ſecundum ſpeciem, & entitatem poſtulant. Et cum duo indiuiſibilia non poſſint eſſe immediata, repugnat terminatiuo ſuccedere immediatè continuatiuum, niſi corrupto eodem terminatiuo, quare neceſſe eſt tot ponere terminatiua, quot continuatiua, ſed corrumpi illa per immediatam ſucceſſionem horum.

Sed hæc etiam ſententia falſa eſt, quia multiplicat infinita 123
indiuiſibilia ſine neceſſitate: quod ſic probo: eadem indiuiſibilia poſſunt terminare partes motus præcedentes, & copulare eas cum ſequentibus: ergo ſufficiunt indiuiſibilia continuatiua pro vtroque officio terminandi, & continuandi: quare fruſtra multiplicantur alia ad terminandas partes præcedentes. Probatur antecedens, quia indiuiſibile continuatiuum etiam in ſucceſſiuis, vt docet expreſſe Ariſtoteles. 8. lib. Phyſic. tex. 69.

idem

idem est secundum rem tangens vtramque partem, sed ratione diuersum, quia finis præcedentis est, & initium sequentis, vt instans temporis copulans præteritam partem cum futura finis præteritæ est, & initium futuræ. Esse autem finem partis præcedentis est esse terminum eius: ergo indiuisibilia continuatiua sufficienter terminant partes præcedétes, quare frustra ponuntur infinita terminatiua diuersa à continuatiuis pro eis terminandis. Secundò probatur falsitas eius argumẽto ad hominem, quia indiuisibilia terminatiua, quæ producuntur cum partibus motus, non possunt esse continuatiua partium præcedentium (quas terminant) cum sequentibus, quia dum hæc indiuisibilia actu sunt, nondum sunt partes motus sequentis: ergo non possunt eas realiter attingere, nec realiter copulare, quia id, quod non est, non potest attingi, neque copulari realiter; & ideo, debent poni alia indiuisibilia (his corruptis) quæ sint mutationes instantaneæ, per quæ continuetur pars præcedens cum sequẽti, ex quo ego ita arguo. Hæc alia indiuisibilia producta ad continuandum (corruptis terminatiuis) non possunt continuare partes motus: ergo frustra ponuntur. Probatur antecedens eadem ratione, quia hæc indiuisibilia sunt mutationes instantaneæ, & ideo in instanti sunt, & tantum durant per instans: sed, in instanti, in quo sunt, non sunt partes motus præcedentes, nec etiam sequentes, quia nulla pars motus datur in instanti, ergo non possunt eas continuare. Probatur cõsequentia eodẽ modo, quo probatur ab eis de indiuisibilibus terminatiuis. Quia, quod non est actu, non potest actu, nec realiter attingi: ergo nec potest actu, & realiter copulari cum altero, etiam non existente actu, & realiter: sed pars motus præcedens non est in illo instanti, sed præcessit, pars vero sequens nondum est, cum sit futura: ergo non potest attingi actu, & realiter ab illa mutatione instantanea, quæ ponitur pro indiuisibili continuatiuo motus, nec ideo poterit copulari.

Ideo alij ex iunioribus tenentes indiuisibilia non esse modos partiũ, sed res distinctas ab eis, & ideo non adhærere per se eisdem partibus, sed per alios modos vnionis, non distinguunt in motu indiuisibilia terminatiua à continuatiuis, sed asserunt continuatiua omnia esse terminatiua partium præcedentium, & eas simul copulare cum sequentibus: immo quodlibet continuatiuum posse esse terminatiuum totius motus, si in eo sistat mobile, atque etiam vltimum indiuisibile terminans totum motum potuisse esse continuatiuum, si non sisteret mobile in eo, sed vltra procederet continuans motum. Et hæc est tertia opinio: quam sic probant: frustra fiunt per plura, quæ per pauciora

eiosa possunt sufficienter; sed eadem indiuisibilia continuatiua actu terminant partes præcedentes motus,& possunt etiam terminare totum motum, si in eis sistat: ergo per hæc sola potest continuari, & terminari motus, supposito quod non sint modi partium eius,sed res à partibus distinctæ: quare hæc sufficiunt, & superuacanea erunt alia.

Hæc tamen sententia satis probabilis posset reputari, si ve- 124
rum esset,quod præsupponit, nempe indiuisibilia non esse modos, sed res distinctas à partibus, quibus non per se adhærent, sed per alios modos ex natura rei distinctos. Hoc tamen falsum esse probauimus 6. lib. Physic. Et ideo falsa censenda est, Quod breuiter nunc probari potest, quia si indiuisibilia motus non sunt modi partium, sed res, sequitur eas non continuare. Probatur ex definitione continuorum tradita ab Aristotele 5. lib.Physicorum text.3.*Continua sunt,quorum vltima sunt vnum.* Sed indiuisibilia motus secundum hanc opinionem non sunt vltima partium; cum non adhæreant eis per se, sed per alios modos, qui propriè sunt vltima earum:ergo partes non continuantur per indiuisibilia, quæ sunt res, immo nec per illa possunt immediatè terminari, sed per modos earum; & ideo nec erunt continuatiua, nec terminatiua. Secundo sequitur partes motus nullo modo continuari, hoc est, nec per indiuisibilia, nec per modos earum. Probatur, quod non per modos, quia quodcumque indiuisibile vnitur diuersis partibus: ergo per diuersos modos vnionis:quare non erit vnus modus duarum partium: per diuersos autem continuari non possunt, quia vltima earum non erunt vnum,sed multa. Quod vero non continuentur per indiuisibilia ipsa,iam probatum est; cum non per se attingant partes, sed per modos. Tertio sequitur ex eadem sententia indiuisibilia in continuo esse immediata, contra Aristotelem, & omnes. Probatur consequentia, quia modi per quos indiuisibilia adhærent partibus, non minus sunt indiuisibiles, quã ipsa; & tamen sunt immediati respectu eorũ cum per ipsos vniantur partibus:ergo dantur indiuisibilia immediata. Et tandem hæc sententia multiplicat infinitos modos, qui cum sint entitates distinctæ ex natura rei ab eisdem indiuisibilibus, atque etiam à partibus, multiplicat infinitas entitates reales; & sine necessitate, quia si dicatur indiuisibilia esse modos, (quod valde probabile est)per se vnientur partibus,& non erit necessarium multiplicare alios modos.

His igitur sententiis refutatis, nostram explicamus tribus 125
conclusionibus præsupponentibus indiuisibilia omnium continuorum,siue successiuorum,vel permanentium modos partium

Digitized by Google

The secret life of trees

Trees are the largest living things on Earth. They can grow to be over 100 metres tall and live for thousands of years. But they are also surprisingly social. Beneath the ground, their roots are connected by a vast network of fungal threads that scientists call the wood wide web.

Through this network, trees can share water, nutrients and even warning signals. When one tree is attacked by insects, it can release chemicals that alert its neighbours, who then begin to produce defensive compounds of their own. In this way, a forest can act as a single, coordinated organism.

Some trees also appear to recognise their relatives. Mother trees have been observed sending more resources to their own seedlings than to those of other trees, and they can even reduce the growth of competing seedlings nearby. Whether this is deliberate or simply a side effect of how the network is built is still being debated.

Sadly, this hidden world is under threat. Deforestation destroys not only the trees we can see but the fungal networks that support them. Replanting a single tree is not enough; to restore a forest, we must restore the connections between its members.

sunt in medio, vt in linea duo puncta, & in superficie duas lineas: ergo in motu ponendum est vnum ex parte finis, quia ex parte principij nullum habet indiuisibile. Probatur consequentia ex similitudine omnium, & ex Aristotele 6. libro Phys. text. 45. & 49. vbi expressè docet in motu non dari primum indiuisibile, sed vltimum tantum præter infinita continuatiua partium eius. Hoc autem indiuisibile terminatiuum distinctum est à continuatiuis, non solum secundum entitatem, sed etiam secundum speciem, vel rationem formalem. Quod sic probo. Terminare, & continuare sunt distincta officia indiuisibilium, quorum vtrumque non potest eidem conuenire; ergo distinguuntur cõtinuatiua à terminatiuis ratione formali. Probatur antecedens, quia indiuisibilia hæc sunt modi partium, vt supponimus, sed de ratione intrinseca modi est, actu modificare, & inseparabilem esse à re, quam naturaliter modificat: ergo de ratione indiuisibilis continuatiui est esse modum vnionis actu copulantem vnam partem cum altera; & de ratione intrinseca terminatiui est esse actualem terminum non vniens, sed solum finiens rem, cuius est: ergo neque terminans potest continuare, alioqui separaretur realiter à re, quam continuare potest, cum eam actu non continuet, neque etiam continuans potest terminare simpliciter, quia terminare simpliciter non est esse modum vnionis, quod est ratio intrinseca continuatiui. Dixi autem continuatiuum non posse terminare 127
simpliciter, hoc est non posse esse extremum totius continui, quia secundum quid terminare potest, hoc est partem præcedentem, cuius finis est, & simul eam coniungere cum sequenti, vt docuit expressè Aristoteles, & nos probauimus: hoc tamen ideo est, quia in officio continuandi includitur officium terminandi partem præcedentem, quod solum est terminare secundum quid: sed ab officio terminandi simpliciter omnino diuersum est officium continuandi: & ideo repugnat in eodem indiuisibili realiter coincidere.

Sed contra has duas conclusiones est argumentum satis difficile; quia subsistentia ex communi sententia omnium est modus naturæ; & nihilominus terminans propriam naturam actu potest terminare alienam, vt videmus in Christo, in quo vnica subsistentia verbi terminauit naturam diuinam ab æterno, humanam verò, non nisi in tempore; & probabile est, posse subsistentiam creatam terminare alienam naturam per potentiam Dei absolutam: ergo datur modus, qui vnum officium exercet actu, & aliud potest exercere in potentia & ideo realiter separari potest à re, quam modificat: nam si subsistentia

Digitized by Google

creata terminaret alienam naturam, posset etiam illam dimittere,& solum terminare propriam. Respondetur tamen concesso antecedenti, quod subsistentia sit modus suæ naturæ, cui per se vnitur,à qua non potest separari, sed negando quod respectu alienæ sit modus, nam licet posset ei vniri, eamque terminare, sed non potest ei vniri per se immediatè,sed per alium modum vnionis, quem ponunt communiter Theologi in vnione Verbi diuini cum humanitate , & ponendus esset in vnione naturæ creaturæ ad suppositum creatum ; & huius ratio est natura , & essentia modi consistens in actuali modificatione. Itaque subsistentia in his casibus esset modus , & res diuersa ratione , aut respectu diuersorum , respectu quidem propriæ naturæ, cui per se vnitur , & quam inseparabiliter terminat , motus : respectu vero alienæ,res, cui per alium modum vnionis vnitur, & quam separabiliter terminat. Daturque exemplum in linea, & superficie , quæ respectu suarum dimensionum sunt res, & veræ species quantitatis distinctæ inter sese , & à corpore ; sed respectu alterius sunt modi vnionis , & indiuisibilia , per quæ copulantur partes, vt linea in quantum indiuisibilis est modus vnionis, per quem continuantur partes superficiei, & superficies modus vnionis, per quem copulantur partes corporis: has autem duas rationes modi , & rei in eodem indiuisibili motus concurrete repugnat , sicut repugnat concurrere in puncto , & hæc repugnantia prouenit ex officiis naturalibus eorum , quia cum sint purè indiuisibilia, sicut punctum;& modi vnionis partium non possunt habere officium terminandi in potentia , nec indiuisibile terminatiuum potest continuare , quia ex propria ratione repugnant in eodem duo hæc officia, vt ex propriis rationibus satis est manifestum.

Vltima conclusio , indiuisibilia motus intensionis, & cuiuscumque alterius non producuntur per partes motus , sed sunt mutationes quædam instantaneæ procedentes ab eodem agente à quo est motus in instantibus temporis mensurantis motum , & per illas producuntur in eisdem instantibus indiuisibilia termini. Probatur , quia si indiuisibilia motus producuntur per partes motus , per easdem producentur indiuisibilia termini;sed partes motus sunt in partibus temporis, & non in instantibus : ergo in instantibus temporis nihil omnino motus aut termini producitur. Et ex hoc sequitur, indiuisibilia motus nihil esse reale, sed solam denominationem extrinsecam. Probatur consequentia,quia indiuisibile motus est mutatum esse, sed mutatum esse est in instanti , & non in tempore : (vt per se est manifestum) ergo indiuisibilia motus sunt in instantibus temporis,

poris,tanquam in propriâ, & adæquata menſurâ;quare ſi in inſtantibus temporis nihil producitur, nec vlla actio, vel motus datur, nihil reale in eis erit pertinens ad motum, ſed ſolum dicetur in eis, mobile mutatum per extrinſecam denominationem à parte motus facta, & ita nihil reale erunt indiuiſibilia motus,ſed ſola denominatio extrinſeca. Secundo, ſi indiuiſibilia motus, & termini producuntur in tempore cum partibus motus,& termini,ſequitur partes motus non alio modo continuari, niſi per immediatam ſucceſſionem, quod tanquam improbabile reiecimus ſupra. Probatur conſequentia, nam ſi cum parte motus producitur continuatiuum eius: ergo in tempore erit, ſicut pars ipſa motus;vnde ſequitur, quod ſicut in inſtanti ſequenti poſt partem temporis, in qua eſt pars motus cum ſuo continuatiuo, iam non eſt eadem pars motus, ſed deſiuit eſſe per primum non eſſe, ita nec erit continuatiuum eius, quod cum ea deſinere neceſſe eſt, ſicut fuit cum ea productum; ſed nec eſt pars ſequens motus in eodem inſtanti temporis, neque aliquid eius: ergo neutra pars, neque aliquid earum, quod ſit principium vnius, & finis alterius eſt in eodem inſtanti, quare in eo non poterunt per aliquid reale ad eas pertinens, vel eas attingens continuari, ſed ſolum dicentur continuæ per immediatam ſucceſſionem. Et ex his infertur veritas noſtræ concluſionis, quod cum indiuiſibilia motus ſint realia, & in inſtantibus temporis ſint tanquam in propria menſura, & non in tempore, neceſſe ſit ponere, quod ſint mutationes inſtantaneæ, per quas partes motus continuentur, & indiuiſibilia termini producantur, ſicut partes eiuſdem termini producuntur per partes motus. Quòd vero mutationes iſtæ inſtantaneæ ſint actu infinitæ per totam ſucceſſionem motus fluentes, non eſt inconueniens, cum ſint modi quidam imperfectiſſimi, ſicut indiuiſibilia ipſa termini per eas producta; & ſicut inſtantia temporis, puncta, lineæ, & ſuperficies, quibus continuantur, & terminantur partes corporis, in quibus omnibus nullum eſt inconueniens dari actu infinitum, ſicut nec in partibus proportionalibus eorundem continuorum, nam incompletæ quædam entitates ſunt, ex quibus fit vna entitas numerica, atque completa motus.

Reſtat ſoluere argumenta aliarum opinionum. Et ad argu- 118
mentum primæ diſtinguenda eſt minor de exiſtentia partium motus, ſicut de exiſtentia partium temporis; nam exiſtentia duplex eſt permanens, & ſucceſſiua, ſicut etiam eſſentia vna eſt permanens, alia ſucceſſiua, & exiſtentia partium motus, & temporis non eſt permanens, ſed ſucceſſiua, vel fluens,

Dum ergo dicitur in inſtanti non eſſe partes motus, nec temporis, concedendum eſt tunc non habere eſſe permanens, ſicut habent homo, vel equus; ſed nec habere exiſtentiam fluentem adæquatè, quia ſucceſſio non poteſt eſſe adæquatè in inſtanti; habent tamen inadæquatè exiſtentiam in inſtanti, in quantum inſtans eſt finis, vel terminus immediatus partis præcedentis, & principium immediatum partis ſequentis. Et hoc ſufficit vt vtramque attingat actu, & realiter, non quidem contactu, vel attingentia permanenti, ſed fluente; quia medio inſtanti coniunguntur, & efficiunt vnum continuum ſucceſſiuum, & adæquatè fluens, habénſque proinde exiſtentiam, atque præſentiam actualem fluentem. Quod in flumine conſtat euidenti experientia, nam ſi iuxta illud permaneat homo, euidens eſt totam aquam tranſactam ab eo puncto, quo cœpit eſſe in eo loco, fuiſſe ei præſentem, & tamen nulla pars fuit illi præſens præſentia permanenti, cum nulla iuxta eum permanſerit; ſed per continuum fluxum omnes tranſierunt. Fuerunt igitur ei præſentes omnes præſentia fluente, aut ſucceſſiua, & ita de motu, & tempore ſentiendum, cuius partes attingunt indiuiſibilia tactu fluente, in quantum quodlibet eorum eſt immediatus terminus præcedentis, & immediatum principium ſequentis.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis concedendum eſt antecedens cum prima conſequentia, quod non producatur pars motus, niſi ſuo indiuiſibili terminata; ſed neganda eſt ſecunda conſequentia, quod dentur indiuiſibilia terminatiua in medio motus diſtincta à continuatiuis, quia quodlibet continuatiuum ſufficienter terminat partem præcedentem motus, cum ſit finis eius, & principiū partis ſequentis, ideo ſuperfluunt indiuiſibilia terminatiua diuerſa à continuatiuis, & propterea non ſunt ponenda. Conſequenter etiam negandum eſt, quod per partes motus producantur indiuiſibilia motus, ſed ſunt mutationes inſtantaneæ ſuccedentes partibus motus, quia ſi per partes motus producerentur, nihil remaneret producendum in inſtantibus temporis, in quibus cum ſint mutata eſſe motus tanquam in propria menſura, ſequeretur nihil eſſe mutata eſſe motus, ſed ſolam denominationem extrinſecam à parte motus præcedente, quod eſt falſum.

129 Ad ſecundum diſtinguend[illegible] eſt ant[illegible]
nare, & con[illegible]
minare
plici
fi
h

dicuntur termini ſimpliciter, ſed terminare ſecundum quid eſt eſſe finem partis præcedentis, vltra quem non tranſit, ſequitur tamen alia pars immediatè, cuius ille idem finis partis præcedentis initium eſt, vt punctum quodlibet in medio lineæ,& inſtans temporis dicuntur termini ſecundum quid,quia non terminant totam lineam, vel totum tempus, ſed partem tantum præcedentem. Eſſe igitur terminum ſimpliciter, & continuatiuum officia ſunt ſpecie diuerſa. Et ideo indiuiſibile terminatiuum ſimpliciter, & continuatiuum diſtinguuntur ſpecie;terminare vero ſecundum quid non diſtinguitur ab officio continuandi, ſed in eo includitur eſſentialiter tanquam pars, vel aliquid eius, nam continuare dicit eſſe modum vnionis duorum, ita vt vnius ſit finis, & alterius principium. Vnde ſequitur omne indiuiſibile continuatiuum ex propria ratione eſſe terminatiuum, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Secundo ſequitur indiuiſibilia terminatiua totius motus, & continuatiua partium eius diſtingui non ſolum ex natura rei, ſed ſpecie;terminatiua vero ſecundum quid,hoc eſt præcedentis partis coincidere omnino cum continuatiuis.Et cum vnum ſit tantùm indiuiſibile terminatiuum totius motus,& duo tantum terminatiua continuorum permanentium,hæc ſolum multiplicanda ſunt præter continuatiua.

Ad argumentũ tertiæ opinionis concedenda eſt maior,quod non ſunt plura multiplicanda,quando pauciora ſufficiunt. Sed minor neganda, quod indiuiſibilia continuatiua ſufficiant ad motum. Et cum dicitur, quodlibet continuatiuum poſſe eſſe terminatiuum totius motus ſi in eo ſiſtat mobile, negandum eſt; quia eo ipſo, quod indiuiſibile continuat, debet eſſe modus vnionis duarum partium, nempe principium ſequentis, & finis præcedentis, quod non habebit ſi in eo ſiſtat motus, & ideo neceſſe eſt,dum mobile ſiſtit,loco indiuiſibilis continuatiui, quod daretur,ſi continuaretur motus, dari aliud indiuiſibile terminatiuum, quod eſt mutatio inſtantanea ſpecie diſtincta ab aliis,quæ ponuntur in medio motus,ratione diuerſi officij. Vt autem detur hoc indiuiſibile terminatiuum, numquam eſt neceſſarium corrum[illegible]ntinuatiuum, niſi dum diuiditur continuum perman[illegible]um ſiſtit mobile, non ſequitur alia pars motus.[illegible]edens c[illegible]a vnitur:ergo non datur mo[illegible]en[illegible]nti, ſed indiuiſibile [illegible] motus præcedentem, ſed [illegible]us ſuccedens in

Digitized by Google

130 Notandum denique est doctrinam à nobis traditam in hac quæstione de indiuisibilibus in tribus esse diuersam ab his, quæ de eisdem indiuisibilibus diximus in 6.lib.Phys.vbi primo dictum est eadem esse indiuisibilia terminatiua, & continuatiua. Secundo, omne indiuisibile continuatiuum posse esse terminetiuum. Tertiò, omnia produci per partes motus præcedentes, & non per mutationes instantaneas. Nunc verò (re melius considerata) dicimus non esse eadem indiuisibilia continuatiua, & terminatiua totius motus, sed diuersa, atque specie distincta. Secundò, nullum continuatiuum esse posse terminatiuum simpliciter. Tertiò, omnia indiuisibilia motus esse mutationes instantaneas, & nullum indiuisibile termini produci per partes motus, sed per tales mutationes instantaneas produci indiuisibilia termini eiusdem motus; per hæc igitur corrigi debent, quæ eo loco scripta à nobis sunt.

QVÆSTIO IIII.

An intensio semper, & necessariò sit continua?

131 PRius quàm diuersas sententias proponamus, explicanda sunt diuersa indiuisibilia continuatiua necessariò ponenda in motu alterationis, atque in termino per eam producto, qui est qualitas corporea habens partes, vel gradus intensionis, & extensionis, sicut per motum intensionis, & extensionis producibilis est cum expulsione contrarij. Indiuisibilia autem motus, per indiuisibilia termini explicanda, atque intelligenda sunt. Qualitas igitur in subiecto producta habet partes extensionis, & cum sit vna numero extensa per totum subiectum, debet esse continua secundum extensionem, quia vnum numero, & vnum continuum idem sunt. Ideo debet habere continuatiua suæ extensionis, quæ sint indiuisibilia secundum extensionẽ, quia continuatiuum extensionis extensione carere debet. Hæc autem indiuisibilia continuatiua extensionis recipiuntur in indiuisibilibus continuatiuis quantitatis, in qua proximè extenditur qualitas, vt in punctis; sed hæc eadẽ indiuisibilia qualitatis continuantia extensionẽ eius in subiecto, intensionem possunt suscipere, quia sicut ipsamet qualitas extensa potest intendi, hoc est perfici in eisdem partibus subiecti; ita indiuisibilia extensionis eius possunt secundũ gradus intensionis perfici circa eadẽ indiuisibilia quãtitatis, in quibus inhærẽt. Et sicut intensio partium qualitatis successiuæ, atque continuæ, ita intensio eorumdem

indiuisi

indiuiſibilium ad eundē motū continuum pertinens debet eſſe ſucceſſiua, atque continua; ita vt in eodem tempore in quo intenduntur partes extenſionis qualitatis inhærentes in partibus ſubiecti, intendantur indiuiſibilia eius inhærentia in punctis eiuſdem ſubiecti: itaque hæc indiuiſibilia extenſionis habent latitudinem gradualem intenſionis, quam neceſſe eſt eſſe continuam & indiuiſibilem in hoc genere; & ideo propria indiuiſibilia habere, quibus continuetur. Et hæc indiuiſibilia extenſione carent, quia ſunt continuatiua intenſionis rei inextenſæ, hoc eſt illius indiuiſibilis, quod continuat extenſionē partium, carent quoque intenſione, quia ſunt continuatiua intenſionis eiuſdem. Et propterea vocari poſſunt indiuiſibilia omnino, quia partibus omnino carent, hoc eſt tam extenſionis, quam intenſionis; & recipiuntur in eiſdē indiuiſibilibus ſubiecti, vt in punctis, quia circa fidem ſubiectū perficiuntur indiuiſibilia qualitatis, ſicut partes extenſionis eiuſdem qualitatis, quas continuant, perficiuntur circa eaſdem partes ſubiecti. Præter hæc duo genera indiuiſibilium, quæ recipiuntur in indiuiſibilibus ſubiecti, vt in punctis, neceſſe eſt ponere alia, quæ ſint continuatiua intenſionis, quam habēt partes eiuſdem qualitatis extenſæ per partes ſubiecti; cum notum ſit partes caloris vt vnum extenſas per omnes partes ſubiecti, perfici poſſe in eiſdem partibus ſubiecti, ita vt ſint intenſæ vt duo, vt tria, vel vt quatuor. Et de hac 132
intenſione partium qualitatis certum eſt ſucceſſiuè, atque continuè fieri: quare ſua indiuiſibilia habere debet, per quæ continuetur; & eiuſmodi ſunt illa, quæ vocantur gradus intenſionis, vt calorem in his partibus eſſe vt vnum, velut dimidium, aut vt tertiam partem vnius gradus; & ſic de cæteris partibus minoribus eiuſdem gradus, atque etiam de aliis gradibus ſuperioribus cum ſuis partibus, vt de calore vt duo, vt tria, vel vt quatuor. Et hæc dicuntur indiuiſibilia intenſionis continuantia intenſionem partium qualitatis, quas habet in diuerſis partibus ſubiecti, & ideo intenſione carent eadem indiuiſibilia, quia quod intenſionem continuat, intenſione carere debet; cum ſit ſub tali ratione intenſionis indiuiſibile. Sunt tamen diuiſibilia ſecundum extenſionem, quia calor vt vnū per totam manū extenditur, & ſimiliter calor vt duo, & vt tria, atq; etiā vt dimidium, vel vt tertia pars, aut quarta vnius gradus, & ideo ſicut carēt partibus intenſionis, quia eſſe vt vnū, vel vt duo conſiſtit in indiuiſibili, ita habent partes extenſionis; cum idem gradus intenſionis in hoc genere indiuiſibilis ſit extenſus per partes ſubiecti, & propterea vocantur indiuiſibilia intenſionis tantum, per quæ cōtinuatur intenſio partiū qualitatis extēſæ per partes ſubiecti;

ſed diuiſibilia ſecundum extenſionem. Vnde ſequitur in ſubiecto diuiſibili recipi, nempe in eiſdē partibus ſubiecti,per quas extenduntur. Et cum extenſio horum ſit continua per eaſdem partes ſubiecti,indiget ſuis continuatiuis,quæ ſint indiuiſibilia vtroque modo,nempe ſecundum extenſionem, & intenſionem ſimul;& ſint in eiſdem indiuiſibilibus ſubiecti; non tamen ſunt alia diſtincta ab illis,quos poſuimus pro continuatione intenſionis indiuiſibilium extenſionis,vt inferius oſtendemus. Vnde ſequitur tria genera indiuiſibilium eſſe ponenda; & non plura: primum genus eſt indiuiſibilium extenſionis pro continuanda extenſione partium intenſarum qualitatis. Secundum,indiuiſibilium,tam intenſionis,quam extenſionis pro continuanda intenſione indiuiſibilium primi generis.Hæc duo genera indiuiſibilium debent eſſe in ſubiecto indiuiſibili,hoc eſt in indiuiſibilibus ſubiecti. Tertium genus eſt indiuiſibilium intenſionis tantum pro continuanda intenſione partium eiuſdē qualitatis, diuiſibilia vero ſecundum extenſionem, & ideo debent eſſe in ſubiecto diuiſibili,nempe in partibus eiuſdē ſubiecti, in quibus extenduntur. Præter ea vero non eſt alius genus indiuiſibilium multiplicandum,quia non reſtat aliud officium continuandi in intenſione,& extenſione partium, & indiuiſibilium qualitatis, ad quod ſit neceſſarium,vt conſideranti erit manifeſtum.

133 His ſuppoſitis prima opinio recentiorū diſtinguit duplicem intenſionem qualitatis;vnam,quæ conuenit indiuiſibilibus extenſionis exiſtentibus in partibus ſubiecti,& cōtinuantibus extenſionem partiū qualitatis in partibus ſubiecti factā, & aliam, quæ conuenit partibus eiuſdē qualitatis extenſis ad partes ſubiecti,quam ſimpliciter vocamus motū intenſionis:& de intenſione indiuiſibilium dicunt ſemper,& neceſſariò eſſe cōtinuam. De intenſione vero partium diſtinguendum eſſe;nam vel hęc fit ſimul cum extenſione earundem partium qualitatis, vel fit ſine illa:& ſi primo modo fiat,aſſerunt nō eſſe continuā,bene tamen ſi fiat ſine extenſione. Quod probant primo, quia vt motus ſit continuus debet habere cōtinuatiua,quibus pars poſterior continuetur cū priori,& continuatiua hæc debent eſſe indiuiſibilia ſub tali ratione,qua continuant partes,& per ea debent produci indiuiſibilia cōtinuatiua partiū termini,ſicut partes eiuſdē termini producuntur per partes motus: ergo ſicut partes motus producūtur ſucceſſiuè,& ita in tempore,ita indiuiſibilia debent produci ſimul;& ideo in inſtāti,vt ſic in inſtātibus tēporis continuantibus tēpus ſint mutata eſſe mōtus cōtinuantia motū,ſed intenſio partiū qualitatis ſimul facta cū extenſione eā non habet,nec habere poteſt in partibus ſubiecti: ergo non eſt motus

conti

continuus. Probatur minor: quia indiuiſibilia intẽſionis partiũ ſunt diuiſibilia ſecundũ extenſionẽ, vt probatum eſt ſupra: ergo dum intẽſio, & extẽſio partiũ qualitatis ſimul fiũt, ſimul etiam fiũt eadẽ indiuiſibilia intẽſionis, & ſimul ac fiũt, extẽduntur per partes ſubiecti, in quibus recipiũtur tãquã in ſubiectis: hæc autem extenſio indiuiſibiliũ fit ſucceſſiuè, & in tẽpore, cũ fiat per partes ſubiecti extenſas: ergo indiuiſibilia ipſa ſimul facta, & extenſa ſucceſſiuè fient, & non in inſtanti. Ex quibus euidenter ſequitur nihil poſſe fieri in inſtantibus tẽporis menſurãtis intenſionẽ partium qualitatis; & ideo in eiſdẽ inſtantibus nihil eſſe per quod partes eiuſdẽ intenſionis cõtinuẽtur; ſed per omnia inſtãtia tẽporis hanc alterationẽ intenſiuã interrũpi; quare non poſſe eſſe continuã, niſi fiat ſine extenſione: tunc enim indiuiſibilia intenſionis non recipientur in partibus ſubiecti, ſed in indiuiſibilibus eiuſdem, nec habebunt extenſionem ratione cuius ſucceſſiuè fieri debeant.

Secundo probatur, quia hæc indiuiſibilia intenſionis produ- 134
cuntur in partibus ſubiecti cum expulſione contrarij, hoc eſt cum expulſione indiuiſibilis oppoſitæ qualitatis exiſtentis in eiſdem partibus ſubiecti; ſed productio vnius cum expulſione alterius contrarij ab eodem ſubiecto non poteſt fieri in inſtanti, ſed ſucceſſiuè, & in tempore, vt patet in productione eiuſdem qualitatis ſecundum ſuas partes: ergo repugnat hæc indiuiſibilia in inſtantibus produci.

Hæc ſententia duo aſſerit falſa. Primum eſt, quod intenſio qualitatis poſſit fieri ſine extenſione (loquitur enim de intenſione quæ eſt motus Phyſicus, & per quem adquiritur qualitas corporea, nam intenſio ſpiritualis qualitatis non pertinet ad Philoſophũ naturalẽ.) Probatur autẽ hoc eſſe falſum, quia qualitas corporea eſt accidens corporeũ inhærẽs ſubſtantiæ media quantitate, ergo non poteſt naturaliter recipi, niſi in ſubiecto extenſo: ſed intendi eſt perfici in eodem ſubiecto, vel in eadem parte eius: ergo naturaliter repugnat intẽdi ſine extẽſione. Probatur cõſequẽtia, quia perfici in eodẽ ſubiecto, vel in eadẽ parte eius, eſt perfici cũ extẽſione. Secũdo, quia alteratio, per quã producitur qualitas corporea, vel ſumitur pro prima productione eius, per quã mouetur ſubiectũ immediatè ab vna qualitate cõtraria in alterã, vt à frigore in calorem, vel pro ſola intenſione eiuſdẽ qualitatis prius productæ: vt ſi calor vt vnũ prius exiſtẽs in ligno intẽdatur vſq; ad calorẽ vt duo: ſed quocũq; ex his modis fiat, neceſſe eſt extẽſionẽ ſimul reperiri cũ intẽſione: ergo nõ eſt poſſibile naturaliter ſeparari intẽſionẽ ab extenſione. Probatur minor, quia dũ incipit produci, in ſubiecto extẽſo incipit

produci:

produci:ergo ſimul incipit intendi, atque extendi. Probatur conſequentia, quia ſimul incipit intendi in ſubiecto extenſo: ergo ſimul intendi,atque extendi. Quod non minus euidenter probatur in poſteriori modo intenſionis;nam ſi calor vt vnum olim productus in ligno, vel parte eius hoc tempore intendatur,non eſt aliud intendi,quam perfici circa idem lignum, vel eamdem partem eius vſque ad ſecundum gradum;ſed lignum, vel pars eius,circa quam perficitur, eſt extenſa:ergo non poteſt perfici in ea ſine extenſione.Probatur conſequentia,quia intendi in ſubiecto extenſo idem eſt,ac intendi,& extendi ſimul, vt per ſe eſt manifeſtum.

Secundum,quod aſſerit eadem ſententia eſt,intenſionem ſimul cum extenſione factam, non eſſe continuam; bene tamen dum fit ſine illa. Hoc autem probatur falſum,primò ex falſitate primi, nam ſi repugnat naturaliter fieri intenſionem ſine extenſione,vt probauimus; non habet locum talis diſtinctio. Secundo, quia ex eodem ſequitur aduerſus hos authores nunquam eſſe intenſionem continuam: immo naturaliter repugnare,quòd continua ſit.Probatur conſequentia, quia intenſio ſimul facta cum extenſione,non poteſt eſſe continua apud eos: ſed probatum eſt,ſemper & neceſſariò fieri ſimul:ergo conuincuntur concedere,quod ſemper,& neceſſariò ſit diſcontinua.

135 Solum reſtat argumento eorum reſpondere, quod licet magnam habeat apparentiam, ſatis bene ſolui poteſt.Pro ſolutione autem eius explicari debet modus,quo intenditur,& extenditur ſimul qualitas in eodem ſubiecto,vel parte eius hoc modo,dum intenditur qualitas in ſubiecto, hæc omnia fiunt neceſſariò,atque etiam ſimul,hoc eſt in eodem tempore, in quo fit motus intenſionis:producitur quidem gradus aliquis qualitatis circa ſubiectum,vel partem eius habens latitudinem gradualem diuiſibilem in infinitum, & ideo infinitas partes proportionales,graduales,& infinita indiuiſibilia intenſionis, per quæ continuantur.In toto igitur tempore, quo durat intenſio vnius gradus,producitur tota latitudo gradualis eius,& in ſingulis partibus proportionalibus eiuſdem temporis producuntur ſingulæ partes proportionales eius, & in ſingulis partibus aliquotis,ſingulæ etiam partes aliquotę,quamuis non eiuſdem menſuræ, quia motus non ſemper eſt vniformis, ſed velocior aliquando in vna parte temporis, quam in alia, & ideo in minori parte temporis ſolet produci maior pars intenſionis. In eodem etiam tempore, quo producitur vnus gradus intenſionis,producitur in aliqua parte ſubiecti circa quam fit intenſio, quamuis vniformiter difformiter ſecundum maiorem,vel minorem

Digitized by Google

norem approximationem partium eius respectu agentis,vt alibi explicatum est,& hæc est extensio eiusdem qualitatis necessariò simul facta cum intensione,& ideo in eodem tempore.In instantibus verò eiusdem temporis verum est mobile peruenisse ad tantam, vel tantam intensionem eiusdem qualitatis, atque etiam eamdem intensionem ad tantam quantitatem subiecti extensam esse:& cum tãta intensio consistat in indiuisibili, atque etiam tanta extensio, & ad illas sit peruentum in instanti,à quo eodem instanti necesse est incipere productionẽ alterius partis gradualis intensionis, atque etiam extensionem eiusdem partis intensionis ad eamdem partem subiecti,necesse est in eisdem instantibus temporis produci indiuisibilia intensionis in tota illa parte subiecti, in qua verum est productam esse tantam intensionem,quia neque qualitas dicitur tanta secundum intensionem, nisi sit terminata per indiuisibile intensionis,neque motus intensionis tantus, nisi sit terminatus per mutatum esse indiuisibile:necesse est etiam in eisdem instantibus temporis terminatam esse tantam extensionem motus per indiuisibile extensionis eiusdẽ qualitatis productum in indiuisibilibus subiecti,vt in punctis:itaque sicut verum est in eodem tempore extendi qualitatem, atque adeo in partibus eius, in quas est diuisibile:& sicut verum est in instantibus eiusdẽ temporis produci indiuisibilia intensionis,quia verum est ad tantam intensionem peruenire mobile in instanti, & ideo in eodem instanti produci indiuisibile intensionis continuatiuum, ratione cuius verum est, tantam esse intensionem productam; ita in eisdem instantibus verum est productum esse idemmet indiuisibile intensionis in parte illa,in qua fit intensio. In eodem etiam tempore intensionis, & extensionis qualitatis in parte subiecti,verum est illa indiuisibilia extensionis producta in indiuisibilibus subiecti, quibus continuatur extẽsio partium qualitatis, intendi in eisdem indiuisibilibus subiecti. Quod probatur hac ratione. Hæc indiuisibilia continuant extensionem partium qualitatis simul intensarum:ergo necesse est ipsa quoque habere propriam intensionem.Probatur consequentia, 136
quia cum indiuisibilia,siue modi sint partium,quas continuãt, & ideo per se immediatè eis vniantur;siue sint res vnitæ partibus per suos modos,certum est esse continuatiua partium, hoc est vnitiua earum:sed non possunt eas vnire, nisi habeant suo modo eamdem perfectionem, quam habent partes ipsæ,vt indiuisibile caloris non potest esse continuatiuum partium intensionis eiusdem gradus,nisi eamdem cum ipsis habeat intensionem gradualem : ergo necesse est indiuisibilia extensionis

partium

partium intensarum posse habere suo modo intensionem circa idem subiectum indiuisibile,sicut partes,quas continuant, habent eam circa easdem partes subiecti,in quibus extenduntur. Supposito autem, quòd intensibilia sint, necesse est in eodem tempore intendi,quo intenduntur partes quas cõtinuant,cùm constituant eamdem numero qualitatem cum illis tunc intensam, & extensam. Vnde sequitur habere alia indiuisibilia, quibus continuetur intensio propria, quæ vocantur omnino indiuisibilia,hoc est tam secundum intensionem, quàm secundum extensionem. Et hæc etiam produci in instantibus eiusdem temporis.

Ex hac doctrina non est difficile respondere argumentis, & ad primum respondent aliqui intensionem partium qualitatis per motum factam continuari per illa indiuisibilia omnino, quæ ponuntur in indiuisibilibus subiecti pro continuanda intensione indiuisibilium extensionis continuantium extensionem earumdem partium qualitatis. Nam intensio debet continuari per indiuisibilia secundum intensionem; sed hæc indiuisibilia sunt talia secundum intensionem, & ex alia parte sunt indiuisibilia intensionis eorumdem indiuisibilium extensionis,à quibus continuatur extensio earumdem partium qualitatis: ergo apta sunt ad continuandam intensionem earumdem partium. Hæc tamen solutio non potest esse vera, neque sufficiens: Probo primum,quia intensio partium qualitatis,& intensio indiuisibilium eius sunt distinctę realiter:ergo habent partes distinctas realiter,& indiuisibilia continuatiua distincta realiter. Quare non possunt indiuisibilia intensionis indiuisibilis continuatiui continuare intensionem partium:sed sicut distinguũtur partes intensionis à partibus etiam intensionis, necessariò debent distingui realiter continuatiua vnius intensionis à continuatiuis alterius.Probatur antecedens quia partes qualitatis, & indiuisibilia earum sunt in subiectis distinctis realiter,partes quidem in partibus subiecti,& indiuisibilia in indiuisibilibus :ergo distinguuntur realiter :quia indiuisibilia continuantia intensionem partium qualitatis debent esse in partibus subiecti, sed illa indiuisibilia secundum extensionem, & intensionem non sunt in partibus, sed in indiuisibilibus eiusdem subiecti, vt probauimus: ergo non possunt continuare intensionem partium. Probatur antecedens, quia calor vt vnum,atq; etiam vt dimidium, sicque de cæteris, quæ sunt indiuisibilia intensionis partium, extensa sunt per partes subiecti, vt per se est manifestum:ergo in eis debent esse tãquam in subiecto.Quod vero sit insufficiẽs, probo:quia non

assignat

assignat immediatum continuatiuũ intensionis partium qualitatis:ergo nõ erit talis intensio per se immediatè cõtinuatiua, quod est falsum.Probatur antecedẽs,quia illa indiuisibilia omnino per se immediatè continuant intensionem indiuisibilis: ergo non possunt per se immediatè continuare intensionem partium distinctam realiter.

Respondeo igitur argumento ex doctrina tradita ; indiuisi- 137
bilia partium intensionis,vt gradus,dimidius gradus, vel tertia pars,sicque de cæteris,continuare intẽsionem partium. Et cùm dicitur;hæc indiuisibilia recipi in partibus , & in eis extendi, concedendum est:sed negandum,quod ex eo colligitur,nempe in tempore produci,& non in instantibus. Nam licet latitudo gradualis inter quæcumque indiuisibilia producatur in tempore,& in eodem tempore extendatur insubiecto diuisibili,sed in instanti verum est de ea , & qualibet eius parte esse primò productam , quia esse primo productum aliquid in indiuisibili consistit,& simul esse dicitur;& cum habeat esse productũ quælibet pars gradualis intensionis non per solam denominationem extrinsecam,sed per verum,& reale indiuisibile , quod est finis eius,& principiũ partis sequentis,& ideo continuatiuum vtriusque fit,vt in instantibus producantur indiuisibilia continuantia intensionis partium , & cum intensio eadem partis qualitatis fiat in parte subiecti, verum est in eisdem instãtibus, in quibus primo producta est quælibet pars gradualis intensionis productum esse in eadẽ parte subiecti indiuisibile , quod est finis eius,& principium alterius , & consequenter est verum productum esse in eodem instanti in eadem parte subiecti indiuisibile continuatiuum partium intensionis.

Ad secundum respondeo indiuisibilia intensionis contrariarum qualitatum produci quidem per proprias mutationes instantaneas, quæ sunt indiuisibilia continuatiua motus intensionis:corrumpi vero in tempore simul cum partibus suæ qualitatis corruptis per partes motus,& ideo non esse necessariam successionẽ in productione contrariorũ indiuisibilium propter eorum corruptionem,sed simul,& in instantibus produci posse. Vel secundo dici posset indiuisibilia contrariarũ qualitatum, suo modo esse contraria , sed non cum latitudine requisita ad successiuam expulsionem:sed sicut habẽt esse indiuisibile,posse etiam in instanti indiuisibili se corrumpere , vel expellere ab eodem subiecto.Latitudo vero extensionis eorum non impedit simultaneam corruptionẽ,quia sicut in instãtibus producuntur in partibus diuisibilibus subiecti , vt probauimus;sic possunt in eisdẽ instantibus expelli ab oppositis indiuisibilibus in eisdem

instan

instantibus productis circa idem subiectum diuisibile.

138 Sed restat explicandū à quibusnam indiuisibilibus continuetur extensio horum indiuisibilium intensionis partium qualitatis per partes subiecti; cum enim successiuè extendatur quilibet gradus indiuisibilis intensionis per partem subiecti, in qua fit intensio eius, & extensio hæc sit continua, necesse est assignare indiuisibilia, quibus talis extensio continuetur, sicut assignata sunt pro continuatione extensionis partium. Et videtur, quòd per eademmet indiuisibilia extensionis, per quæ continuatur extensio partium qualitatis, continuetur extensio indiuisibilium intensionis earumdem partium. Quod sic probari potest: extensio partium intensarum, & extensio indiuisibilium intensionis earum fit per easdē partes subiecti; ergo per eadem indiuisibilia extensionis in indiuisibilibus subiecti producta pro continuatione extensionis partium intensarum poterit continuari extensio indiuisibilium intensionis earum, & non oportebit quærere alia; præsertim cum continuatiua vtriusque extensionis debeant recipi in eisdem indiuisibilibus subiecti. Hoc tamen non potest esse verum, quod sic probo. Continuatiua extensionis rei indiuisibilis secundum intensionem, aut rei intensæ (vt vno verbo loqui liceat) debent esse indiuisibilia vtroque modo, sicut indiuisibilia continuatiua intensionis indiuisibilium extensionis debent esse vtroque modo indiuisibilia, vt per se est manifestum, & superius explicatum; sed indiuisibilia continuatiua extensionis partium intensarum sunt indiuisibilia intensionis, & ideo res intensæ: ergo extensio earum non potest continuari per indiuisibilia extensionis tantum, & diuisibilia secundum intensionem, sed per indiuisibilia vtroq; modo, vel indiuisibilia omnino. Et ita dicendum est extensionem horum indiuisibilium continuantium intensionem partium, continuari per illa eadem indiuisibilia, quibus continuatur intensio indiuisibilium extensionis, hæc enim sunt omnino indiuisibilia, & in eisdem instantibus temporis producta, quibus continuatur tempus, in quo fit extensio successiua eorum, vt ostendimus, & in eodem instanti, atque, in eisdem indiuisibilibus subiecti producta, & ideo possunt continuare extensionem indiuisibilium partium intensarum; quod non habent indiuisibilia extensionis, quibus continuatur extensio earumdem partium intensarum, quia sunt diuisibilia secundum intensionem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An intensio qualitatis fiat per additionem vnius gradus ad alterum, vel per maiorem radicationem eius in subiecto?

SVppoſito, quod alteratio tam ſecundum extenſionem qua- 139
litatis ad diuerſas partes ſubiecti, quàm ſecundum intenſionem circa eandem partem ſit motus continuus, explicandum eſt, quonam modo qualitas ipſa per eam producatur in ſubiecto; & de extenſione certum eſt fieri per productionem noui gradus, vel partis eiuſdem qualitatis circa diuerſas partes ſubiecti, quia alia pars caloris producitur in manu (dum calefit homo) diſtincta realiter ab ea, quæ producitur in brachio, & pede: ideo certum eſt quod non ſolum fiat extenſio per maiorem radicationem extenſiuam, ſed etiam per additionem noui gradus, aut nouæ partis eiuſdem qualitatis, quæ educitur de potentia partis ſubiecti, ad quam dicitur qualitas extendi. Solum ergo poteſt eſſe quæſtio de intenſione, per quam perficitur qualitas circa eandem partem ſubiecti, an fiat per additionem noui gradus, vel nouæ partis eiuſdem qualitatis, aut ſolum per hoc, quod ille idem gradus, vel pars, quæ prius fuit producta, magis radicetur in eadem parte, quod eſt quærere, an ſicut producitur per extenſionem noua pars, vel gradus qualitatis, hoc eſt noua, & diſtincta entitas realis partialis eiuſdem qualitatis circa nouam partem ſubiecti de cuius potentia educitur, ita in intenſione producatur circa eandem partem noua pars, aut nouus gradus, qui ſit noua entitas realis partialis diſtincta à gradu, vel parte præexiſtenti in eadem parte. Vt dum manus in qua prius fuit productum aliquid caloris ab igne, iterum calefit, per hanc ſecundam calefactionem, quæ dicitur intenſio caloris, producatur in ea noua entitas realis partialis diſtincta à præexiſtenti, & educta de potentia eiuſdem manus, vel ſolum fiat per ſecundam calefactionem, quod eademmet entitas caloris præexiſtens, & non alia noua magis radicetur in eadem manu, hoc eſt, fortius, aut firmius ei inhæreat, quàm antea, quod eſt ſolum fieri nouum modum eiuſdem entitatis, non vero nouam entitatem partialem.

Et prima opinio aſſerit, intenſionem fieri per additionem 140
nouæ partis, & noui gradus qualitatis; ita tamen, vt gradus ſuperueniens non permaneat cum præexiſtente, ſed illum

Para ler um arquivo de texto, você precisa criar um objeto do tipo `FileReader` e passar para o construtor dele o nome do arquivo que você quer ler. Em seguida, você pode chamar o método `read()` do objeto `FileReader` para ler os caracteres do arquivo, um por um. O método `read()` retorna o próximo caractere do arquivo, ou -1 se você já tiver lido todos os caracteres do arquivo. Veja o exemplo abaixo:

```
FileReader leitor = new FileReader("arquivo.txt");
int caractere = leitor.read();
while (caractere != -1) {
    System.out.print((char) caractere);
    caractere = leitor.read();
}
leitor.close();
```

Esse código lê o arquivo "arquivo.txt" e imprime seu conteúdo na tela. Note que o método `read()` retorna um `int`, não um `char`, então você precisa fazer um cast para `char` antes de imprimir o caractere. Também é importante chamar o método `close()` do objeto `FileReader` quando você terminar de ler o arquivo, para liberar os recursos do sistema operacional.

Se você quiser ler o arquivo inteiro de uma vez, em vez de caractere por caractere, você pode usar um `BufferedReader` em conjunto com o `FileReader`. O `BufferedReader` lê o arquivo em blocos e armazena os caracteres em um buffer, o que torna a leitura mais eficiente. Veja o exemplo abaixo:

```
FileReader leitor = new FileReader("arquivo.txt");
BufferedReader buffer = new BufferedReader(leitor);
String linha = buffer.readLine();
while (linha != null) {
    System.out.println(linha);
    linha = buffer.readLine();
}
buffer.close();
```

Esse código lê o arquivo "arquivo.txt" linha por linha e imprime cada linha na tela. O método `readLine()` retorna a próxima linha do arquivo, ou `null` se você já tiver lido todas as linhas do arquivo. Também é importante chamar o método `close()` do objeto `BufferedReader` quando você terminar de ler o arquivo, para liberar os recursos do sistema operacional.

quod tamen eſt contra naturam eius, nam ſi minor quantitas, quam prius habebat viuens, corrumpitur per aduentum maioris, euidenter ſequitur non augeri, vel maius fieri. Probatur conſequentia, quia non poteſt maius fieri, niſi quia quantitati præexiſtenti coniungitur ſuperueniens, & cum ea permanet: non eſt ergo neceſſarium in omni motu corrumpi terminum à quo per terminum ad quem, & ideo nec intenſione, vt contendit Durand.

Probatur tandem, quia ſi in intenſione corrumpitur gradus qualitatis remiſſæ adueniente gradu intenſiori, dabitur actio ſine agente, & effectus ſine cauſa, vel producetur effectus ab agente contrario, quæ ſunt manifeſtè falſa. Probatur conſequentia in reductione aquæ calidæ ad priſtinam frigiditatem hoc modo. Calor aquæ non ſimul, ſed ſucceſſiuè, & paulatim deficit, vt euidenti experientia conſtat; tunc ergo, ſi vera eſt ſententia Durandi, quod tota qualitas remiſſa præexiſtens corrumpitur, ſequitur quod etiam in remiſſione corrumpetur tota qualitas intenſa, & producetur alia remiſſa; ſed in reductione aquæ ad priſtinam frigiditatem non eſt agens, à quo poſſit produci calor remiſſus, vt corrumpatur intenſus: ergo non fiunt intenſio, & remiſſio, vt putauit Durand. Probatur minor, quia recedente igne, non eſt agens naturale, præter aquam, à qua poſſit produci calor remiſſus, ab aqua verò repugnat produci, vel concedendum eſt produci ab agente contrario.

Secunda opinio tenet intenſionem qualitatis fieri, non per 142
productionem alicuius nouæ entitatis pertinentis ad ſubſtantiam eius, ſed ad exiſtentiam, ita vt corrumpatur exiſtentia qualitatis remiſſæ, tanquam imperfecta, & producatur alia exiſtentia perfectior in eodem gradu præexiſtenti omnino immutato ſecundum eſſentiam. Hanc ſententiam citauit, atque impugnauit Durand. vbi ſupra, quam tamen ſequitur Aſtudillo 1. lib. de generatione quæſt. 9. & ratio eius videtur eſſe hæc. Qualitatem intendi eſt perfectius inhærere ſubiecto, ſed inhærentia accidentis non eſt aliud, quàm exiſtentia eius in ſubiecto: ergo intenſio eius eſt perfectior exiſtentia in ſubiecto adueniente autem perfectiori exiſtentia corrumpitur imperfectior, quia repugnat eandem rem ſimul exiſtere perfectè, & imperfectè: ergo intenſio qualitatis non fit ſecundum eſſentiam eius, ſed ſolum ſecundum exiſtentiam perfectiorem corrupta imperfecta, quam habebat prius qualitas remiſſa.

Hæc etiam ſententia non eſt minus falſa, quàm præcedens, quod ſic probo. Siue exiſtentia diſtinguatur realiter ab eſſentia, ſiue ſola ratione, hoc eſt certum, quod eſſentia habet eſſe

reale extra cauſas per illam: ergo repugnat corrumpi exiſtentiam, quin eo ipſo deſinat eſſe realiter extra cauſas eſſentia, quare falſum eſt, quod intenſio fiat per corruptionem exiſtentiæ qualitatis remiſſæ, ſalua eſſentia eiuſdem. Secundo, exiſtentia eſt idem realiter cum eſſentia, vel ſi ab ea diſtinguitur, certum eſt ab eadem emanare tanquam naturalem terminum; ſed repugnat ab eadem eſſentia præſertim inuariata emanare diuerſas exiſtentias, nempe imperfectam, atque perfectam: ergo repugnabit intenſionem fieri per corruptionem exiſtentiæ imperfectioris, & aduentum alterius perfectioris, atque diſtinctæ, inuariata eſſentia, vt aſſerit hæc opinio.

143 Tertia igitur ſententia docet per intenſionem nullum gradum nouum qualitatis, aut nouam partem eius produci, immo nihil prorſus qualitatis, vel entitatis eius, ſed præexiſtentem qualitatem magis radicari in eadem parte ſubiecti, magis autem radicari nihil aliud eſſe, quàm magis educi de potentia eius, & perfectius ab eo participari, itaque per intenſionem nihil nouum adquirit qualitas præexiſtens, aut illa pars ſubiecti, in qua inhærebat, niſi modum maioris radicationis, vel perfectioris participationis. Exempli gratia; ſi calor erat in manu remiſſus, & intendatur ab igne, intendi non eſt nouum aliquem calorem, vel aliquam nouam entitatem eius illi aduenire, ſed ſolum, quod antiquus magis radicatus ſit in eadem manu, magis eductus de potentia eius, fortiuſque, aut firmius ei inhæreat. Et hoc eſt intenſionem non fieri per additionem gradus ad gradum, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto. Ita Henricus quodlib. 5. quæſt. 5. & in ſumma artic. 66. quæſt. 2. Herbeus quodlib. 6. quæſt. 11. Ægidius 1. lib. de generatione quæſt. 19. & omnes Thomiſtæ, Sonzinas 8. lib. Metaph. quæſt. 21. Iauell. quæſt. 6. Flandria. quæſt. 4. Caiet. & Medina 1.2. quæſt. 52. art. 1. & 2. & 2.2. qu. 24. art. 4. & 5. Bañez, & Aragon. 2. 2. q. 14. artic. 4. & 5. Sotus capit. de qualitate in prædicam. & 4. lib. Phyſ. text. 84. & hi omnes aſſerunt eſſe ſententiam D. Thomæ duobus locis citatis, atque etiam in 1. d. 13. q. 1. & de virtutibus q. 1. artic. 11. in quibus negat expreſſe intenſionem fieri per additionem vnius qualitatis, vel vnius gradus ad alterum, & affirmat per ſolam maiorem radicationem in eadem parte ſubiecti fieri.

Probatur teſtimonio Ariſtotelis 4. lib. Phyſ. text. 85. vbi ita ait: *Ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non erat calidum, quando minus erat calidum, &c.* Ex quibus hoc argumentum colligitur. Subiectum, quod prius erat calidum, fit magis calidum nullo facto de nouo calido: ergo

nullo

nullo facto de nouo calore; euidens est consequentia à concreto ad suum abstractum; deinde, si nullo facto de nouo calore, ergo per intensionem nihil caloris noui aduenit præexistenti, quod est intensionem non fieri per additionem alicuius gradus, vel partis eiusdem qualitatis ex mente Aristotelis.

Probatur etiam ratione. Primo, quia si qualitas augetur per 144
additionem gradus, vel talis additio fit ei secundum essentiam, vel solum secundum existentiam, hoc secundum est impossibile, quia cùm existentia sit idem realiter cum essentia, vel si distinguatur realiter, oriatur ab ea, repugnat intendi qualitatem secundum existentiam, quin etiam intendatur secundum essentiam, vt probauimus contra secundam opinionem: ergo primum est necessarium, quod fiat additio qualitati secundum essentiam, sed hoc est impossibile: ergo impossibile est etiam intensionem fieri per additionem. Probatur minor, quia essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, sicut numeri, vt docet Aristoteles 4. Metha. text. 10. & ita sicut non potest fieri additio alicuius vnitatis, quin varietur species numeri, ita nec essentiæ qualitatis aliquid potest addi, quin mutetur, & diuersa fiat: ergo si additio fieret essentiæ qualitatis, essent iam qualitas intensa diuersæ speciei à remissa, quod patet esse falsum.

Secundo, si intensio fit per additionem vnius gradus ad alterum, vel gradus superueniens distinguitur specie à præexistenti vel solo numero, vtrumque est falsum: ergo etiam est falsum, quod intensio fiat per additionem. Probatur minor, quod non differant specie, quia intensio est vnus motus numero, & specie: ergo non potest terminari ad terminos specie diuersos, præterquàm, quod magis, & minus non variat speciem, sed qualitas intensa; & remissa solum differunt secundum magis, & minus in ordine ad subiectum, vt per se est manifestum: ergo non distinguuntur specie: sed nec solo numero quia accidentia, præsertim absoluta, ex quibus est qualitas, distinguuntur numero per subiecta, & ideo non possunt esse duo distincta solo numero in eodem subiecto, sed nouus gradus productus per intensionem est in eadem parte subiecti cum præexistente: ergo non potest distingui ab eo solo numero.

Vltima opinio tenet intensionem fieri per additionem vnius 145
gradus, aut partis ad alterum, ita vt sicut per primam calefactionem, vel per primam partem eius aliquotam fit primus gradus, vel prima entitas caloris, ita per secundam, & tertiam fiat alia pars caloris distincta realiter à prima, & ei vnita in eadem parte subiecti intenditur in ea calor, sicque additur

Digitized by Google

ſemper pars parti, & gradus gradui per totam intenſionem. In hac autem additione graduali fundatur modus maioris radicationis in eadem parte ſubiecti: quem non negat hæc opinio, ſed tanquam neceſſarium ponit: negat tamen eundem modum poſſe acquirere qualitatem per intenſionem, ſine additione nouæ partis gradualis, quæ continuata cum præexiſtente in eadem parte ſubiecti conſtituat eandem numero qualitatem intenſam magiſque perfectam, ita Scotus in 1. diſtinct. 17. quæſt. vltima. Gregor. ibidem quæſtion. 4. artic. 1. Gab. & Okamus quæſt. 6. Antonius Andreas 8. Metaph. quæſt. 6, Venetus in ſumma de generatione capit. 1. Nimphus 8. Metaph. diſput. 11. Toletus 4. libro. Phyſ. quæſt. 12. & eſt iam communis ferè inter iuniores, & videtur mihi vera, ſed nullo modo contraria doctrinæ D. Thomæ.

Et primo probanda eſt veritas eius, ſecundo oſtendendum, quòd non ſit contra D. Thomam Veritas probatur teſtimonio Ariſtotelis eodem loco citato pro tertia opinione, vbi ante illa verba relata habentur hæc: *Vt enim ex frigido fit calidum, & ex calido frigidum, quia eadem quæ erat in potentia, ſic & ex calido magis calidum, &c.* Ex quibus ſic arguo. Subiectum fit calidum ex frigido per eductionem caloris de potentia eius, & fit magis calidum ex minus calido eodem modo per eductionem caloris de potentia eiuſdem ſubiecti, vel eiuſdem partis illius ex mente Ariſtotelis: ergo ſicut prima calefactio, vel prima pars aliquota eius eſt eductio caloris de potentia ſubiecti, ita ſecunda calefactio, vel ſecunda pars aliquota eius, per quam intenditur idem calor, eſt noua eductio caloris de potentia ſubiecti: ſed eductio prima caloris eſt productio caloris: ergo etiam eductio ſecunda: quare ſicut per primam calefactionem producitur calor, ita per ſecundam, quæ eſt intenſio; & ita fit ex mente Ariſtotelis per additionem vnius caloris, vel vnius gradus ad alterum. Et ſi reſpondeatur ſecundam calefactionem eſſe eductionem caloris de potentia ſubiecti, non ſecundum entitatem, ſed ſolum ſecũdum nouum modum intenſionis. Contra hoc ſic arguo. Non datur alius modus producendi formam naturalem ſecundum ſuam entitatem, præter eductionem eius de potentia materiæ, vel ſubiecti, vt patet euidenti inductione in omnibus: ergo idem eſt formã educi de potentia materiæ, & produci ſecundũ entitatem in rerum natura; quare repugnat educi de potentia materiæ, & non produci ſecundum entitatem, ſed ſolum ſecundum modum. Secundo, eductio formę de potentia materię idem eſt ac produci ſecundum entitatem; quia idem eſt ac fieri actu extra cauſas; cum prius eſſet ſolum in potentia earum. Sed

per pri

per primam calefactionem producitur qualitas ſecundum entitatem:quia educitur de potentia ſubiecti ex mente Ariſtotelis:ergo per ſecundam magis producitur ſecundum entitatem, quia magis educitur de potentia ſubiecti,vel materiæ, quod eſt magis produci ſecundum entitatẽ;& hoc nõ poteſt eſſe verum, niſi producatur per intenſionẽ noua entitas eiuſdem qualitatis.

Vt autem rationibus oſtendatur veritas noſtræ ſententiæ, & falſitas oppoſitæ,tria probanda ſunt. Primum,quod per intenſionem addatur qualitati præexiſtenti aliquid reale. Secundum, quod hoc reale additum ſit realiter diſtinctum ab ea. Tertium,quod non ſit ſolus modus, ſed entitas eiuſdem qualitatis:quibus probatis conſtabit intenſionẽ fieri per additionem vnius gradus, vel partis ad alterum. Probatur ergo primum, quia intenſio eſt motus realis,& diſtinctus ſæpe realiter,& numero à prima productione eiuſdem qualitatis,vt patet in calore primo producto ab aliquo igne, & poſt tempus aliquod intenſo ab eodem igne,vel diuerſo;ſed motus realis producit terminum realem:ergo intenſio caloris producit aliquid reale in eadem parte ſubiecti,& hoc reale non habebat ſubiectum,dum erat remiſſe calidũ:ergo intenſio fit per additionẽ alicuius realis.Secũdo,qualitas intẽſa habet plures,& diuerſos effectus reales, quos non habebat dũ erat remiſſa;ergo habet aliquid reale nouũ per intenſionem.Probatur cõſequentia,quia idẽ in quantũ idem ſemper facit idem;ergo ſi eſt omnino idẽ realiter, non poteſt aliquẽ effectũ realem facere,quod prius non faciebat, & ſi nouũ effectum realẽ facit,non poteſt non eſſe variatũ realiter. 146

Probatur ſecundum, quòd hoc reale nouum, quod additur qualitati remiſſæ per intenſionem ſit realiter diſtinctum ab ea, primo,quia illud, quod ſeparatur ab alio realiter, diſtinctum debet eſſe realiter ab eo,& non ſolum per intellectum, ſed illud, quod additur qualitati remiſſæ ſeparatur ab ea realiter, cũ prius eſſet ſine illo,& per remiſſionem illud amittat: ergo diſtinguitur realiter. Probatur maior, quia ſeparatio realis datur ante operationem intellectus; ergo id, quod per eam ſeparatur, diſtinguitur ab eo, à quo ſeparatur ante operationem intellectus, & ideo realiter, nam ſeparata ſunt diſtincta: ergo ſeparata ante operationẽ intellectus debent diſtingui ante operationẽ intellectus,vel dabitur realis ſeparatio ante operationẽ intellectus,per quam nihil reale ſeparetur,quod repugnat.Probatur tertiũ, quod hoc reale diſtinctũ additũ qualitati remiſſæ per intẽſionẽ,nõ ſit ſolus modus maioris radicationis,ſed noua entitas eiuſdẽ qualitatis;primo,quia virtus agendi in qualitate eſt ipſamet entitas qualitatis, & non modus, vel aliquid ſuper- 147

additum entitati,vt virtus calefaciendi in calore non eſt aliud, quàm entitas ipſius caloris:ergo maior virtus agendi eſt maior entitas qualitatis; ſed qualitas intenſa habet maiorem virtutem agendi, quàm remiſſa:cùm producat effectus perfectiores, vt patet in calore intenſo ; ergo habet plus entitatis additum per intenſionem, quare fiet intenſio per additionem nouæ entitatis,& gradus. Secundo,quia magis eſſe radicatam in ſubiecto qualitatem per intenſionem eſt magis , aut fortius , vel firmius ei inhærere : ergo extenſio fit per additionem alicuius realis pertinentis ad inhærentiam qualitatis in ſubiecto; ſed repugnat fieri additionem ex parte inhærentiæ , quin fiat per additionem ex parte naturæ,& entitatis eiuſdem qualitatis:ergo fit per additionem nouæ entitatis.Probatur minor,quia inhærentia actualis accidẽtis promanat naturaliter à natura eius, ſicut ſubſiſtentia ſubſtantiæ ab eius natura:ergo repugnat qualitatem perfectius inhærere ſubiecto,quin ſit perfectior ſecundum naturam, & entitatem. Et conſequenter repugnabit fieri intenſionem per maiorem radicationem in ſubiecto , quin fiat etiam per additionem nouæ entitatis,vel gradus. Tertio,quia ſi qualitas intenſa,& remiſſa ſolum differunt per maiorem radicationem in ſubiecto, ſequitur quòd ſi ſeparentur à ſubiecto per diuinam potentiam, non erunt diſtinctæ vllo modo , quod patet eſſe falſum. Probatur conſequentia , quia ſeparatæ à ſubiecto non poſſunt retinere modum actualis inhæſionis, vel radicationis. Et ſi reſpondeas adhuc eſſe diuerſas , quia intenſa eſt apta perfectius inhærere ſubiecto, vel magis radicari in eo, quam aptitudinem non habet remiſſa. Contra hoc eſt , quod talis aptitudo eſt realis;ergo eſt entitas realis , quare differunt iam in entitate reali , & non in ſolo modo maioris radicationis. Probatur tandem, nam ſi per intenſionem non producitur
148 entitas qualitatis,ſed ſolus modus maioris radicationis,ſequitur numquam produci qualitatem,ſed modum tantum, & ideo qualitatem nihil eſſe præter modum , quod patet eſſe falſum. Ad probandam conſequentiam præſuppono id , quod tota ferè ſchola ſequitur,& inferius probabitur , videlicet non dari minimam intenſionem qualitatis factam per mutationem inſtantaneam, ſed intenſionem eſſe motum ita ſucceſſiuum , ſicut lationem , & alterationem non habentem primum mutatum eſſe , nec primam partem ex parte principij : ſed ante quodlibet mutatum eſſe dari partem motus , & ante quamlibet partem motus dari mutatum eſſe, vt docuit expreſsè Ariſtoteles 6. lib. Phyſic. & nos ibidem oſtendimus. Hoc ſuppoſito, probatur conſequentia hoc modo. Productio qualitatis,& intenſio eius

ſimul

ſimul incipiunt cum ſint idem motus realis : & cum ſit per ſe ſucceſſiuus, ſicut non datur prima pars, aut primum mutatum eſſe productionis, ſic neque intenſionis ; ſed per intenſionem non producitur qualitas ſecundum entitatem,ſed ſolum ſecundum modum maioris radicationis : ergo numquam datur productio eius. Probatur conſequentia,quia non datur productio realis, quæ non ſit realis intenſio ; ſed per realem intenſionem non producitur entitas qualitatis,ſed ſolus modus : ergo numquam producitur entitas qualitatis. Et ſi reſpondeas eumdem eſſe motum realem productionis, & intenſionis, ſed vt productio eſt,terminatur ad qualitatem ſecundum entitatem , vt intenſio verò ad eamdem qualitatem ſub modo maioris radicationis. Contra hoc ſic arguo ; per alterationem , vt productio eſt,producitur entitas qualitatis,ſed alteratio, vt eſt productio, eſt etiam motus per ſe ſucceſſiuus;ergo vt talis habet partes,in quibus producetur entitas qualitatis , & ita ſingulis partibus alterationis correſpondebunt partes qualitatis , nam motus, & terminus eodem modo diuiduntur : ſed poſterior pars perficit priorem , cum producat nouam partem qualitatis ſecundum entitatem circa eamdem partem ſubiecti ſupra priorem productam per priorem partem eiuſdem alterationis:ergo poſterior pars eſt intenſio reſpectu prioris;quare per intenſionem producitur qualitas ſecundum entitatem , & non tantùm ſecundum modum maioris radicationis.

Probata iam veritate noſtræ ſententiæ , reſtat probandum, 149
quod non ſit vllo modo contra D. Thomam, quod probo primo,quia qualitatem intendi per maiorem radicationem in ſubiecto,& non per additionem gradus,vt aſſerit,multis modis exponitur à diſcipulis eius,ſed omnes expoſitiones reducuntur ad duas,& vtraque eſt contra D.Thomam,& in ſe falſa ; ergo non eſt ei attribuenda,ſed intelligendum, quod oppoſitum ſenſerit, nempe intenſionem fieri per productionem nouæ partis entitatiuæ caloris;& reddenda eſt ratio propter quam in modo loquendi id videatur negare. Prima ergo expoſitio eſt,quod dum aſſerit D.Tho.intenſionem fieri per maiorem radicationem in ſubiecto , idem ſit apud ipſum magis radicari qualitatem in ſubiecto,quod firmius,atque tenacius ei inhærere ad ſimilitudinẽ arboris,quæ tunc dicitur magis radicari,quando profundiores radices in terram emittit;profundiores verò radices emittit qualitas intenſa in ſubiecto,& ideo magis in eo radicatur,quia magis complet potentiam eius,magis illud actuat,magíſque illud ſibi ſubiicit:& vt clarius dicatur magis educitur de potentia eius, magíſq; in eo perficitur per informationẽ perfectiorẽ,

tiam, ita vt noua ei proueniat entitas per intensionem, non tamen distincta realiter ab entitate, quam habebat, dum erat remissa, sed sola ratione. Et quia additio vnius ad alterum præsupponit distinctionem realem eorum, ideo negauit D. Thomas intensionem fieri per additionem vnius partis, vel gradus ad alterum. Sed hæc etiam expositio est non minus contraria verbis D. Thomæ, nec minus falsa, quàm præcedens. Probatur, quia D. Thomas probauit qualitatem intendi secundum substantiam, quia qualitas intensa habet maiorem virtutem operandi, per quam producit perfectiores operationes; sed virtus operandi est ipsamet substantia, vel entitas eius; ergo habet maiorem entitatem, & eam habet ante operationem intellectus, quia ante operationem intellectus perfectiores producit operationes, & effectus: ergo distinctam realiter à priori, quam habebat, dum erat remissa. Probatur consequentia, quia ea, quorum vnum est maius altero ante operationem intellectus realiter distinguuntur. Est ergo prædicta expositio contra D. Thomam, & etiam falsa.

Mens igitur D. Thomæ satis clara est; qualitatem non in- 151
tendi per solam radicationem maiorem in subiecto, sed quia noua entitas ei aduenit, & ex eo, quod intenditur secundum entitatem, fit vt intendatur per maiorem radicationem in subiecto, vt docuit expresse idem Doctor sanctus, quia eius esse est inesse subiecto, & entitas eius est esse aliquid subiecti, quare non posset magis radicari in eo, nec magis illud actuare, aut fortius ei inhærere, seu perfectius terminare potentiam eius, magisque illud sibi subiicere, & actuare, perfectiusve informare, nisi plus entitatis per intensionem ei aduenirет. Vnde sequitur non differre Scotũ, & alios (quorum sententiam sequuti sumus) à D. Thoma in re ipsa, sed solum in modo loquendi, quia D. Tho. noluit vti verbo, additionis, nec dicere, quod per additionem vnius entitatis, vel vnius gradus ad alterum fiat intensio, sed solùm dixit fieri per maiorem redicationem in subiecto, cuius rationem reddit 2. 2. q. 24. art. 5. in principio, nam additio (inquit) vnius ad alterum (propriè loquendo) præsupponit distinctionem vtriusque, aut in re existentem, aut saltem præintellectam; & ideo si dicatur intensionem fieri per additionem gradus ad gradum, videretur significari, quod per additionem vnius formæ ad alteram fiat, specie, vel numero ab ea distinctam, quod patet esse falsum. Et hoc quidem peculiare est in intensione formarum, nam in extensione earum satis clarum est non esse distinctam formam, quæ additur, sed solum partialiter; per continuationem vero partium subiecti fieri

vnam,

vnam,& ſimiliter in augmento quantitatis, ſed in intenſione cum fiat circa eamdem partem ſubiecti, difficilius intelligitur continuatio gradus,vel partis aduenientis cum præexiſtenti, & ideo ſi dicatur vnam addi alteri, videtur ſignificari diſtinctio formarum, propriùs autem dicitur magis perfici qualitatem, vel magis radicari in ſubiecto per intẽſionem, quia hoc verbo clarius ſignificatur vnitas formæ,per intenſionem perfectæ, & intenſio proprius dicitur noua eductio formæ, quàm additio. Cæteri vero authores ad rem ſolum attendentes verbo additionis vtuntur ſatis eſſe intelligentes,vt pars vel gradus qualitatis productæ per intenſionem partialiter diſtinguatur ab altero, & per continuationem efficiat cum eo vnam numero formam, licet continuatio ipſa non ita difficile intelligatur. Omnes tamen idem prorſus ſentiunt.

152 Solùm reſtat argumenta aliarum opinionum ſoluere, & ad primum Durandi diſtinguenda eſt maior,quod motus verſatur inter terminos contrarios;nam duplex eſt cõtrarietas, propria, & impropria;illa verſatur inter qualitates contrarias, quæ ab eodem ſubiecto ſe expellunt ſecundum proprias entitates,quia per eas opponuntur,vt calor,& frigus. Contrarietas vero impropria,eſt,quæcumque repugnantia, vel incompoſſibilitas ſecundum aliquam rationem,& hęc ſufficit ad proprium motum ſi ſit poſitiua,& cum latitudine ſucceſſiuè,& non ſimul percurrenda,vt patet in motu locali,& motu augmentationis,in quibus ſufficit talis incompoſſibilitas terminorum,vt mobile non poſſit vnum aſſequi,niſi relinquendo alterum:non enim poteſt corpus ſimul eſſe ſub maiori,& minori quantitate, nec tendere ad adquirendam vnam præſentiam, niſi relinquendo alteram; nec eſt neceſſarium vt termini hoc modo contrarij ſe expellãt, niſi ratione incompoſſibilitatis,quam habent, ita vt ſi incompoſſibiles ſint ſecundum proprias entitates,hoc modo ſe expellant;ſi vero ſolùm ſecundum aliquem modum,ſatis eſt ratione illius, & primo modo ſe habent termini alterationis primæ, quæ verſatur inter qualitates propriè contrarias, atque etiam termini motus localis,& ideo ſecundum proprias entitates ſe expellunt. Termini vero augmentationis, & intenſionis ſe habent ſecundo modo, quia maior, & minor quantitas, atque etiam qualitas intenſa,& remiſſa non opponuntur,nec ſunt incompoſſibiles ſecũdum proprias entitates,vt calor intenſus, & remiſſus, ſed ſolum ſecundum modos intenſionis, & remiſſionis,& eodem modo maior, & minor quantitas, quia remiſſa qualitas vt talis dicit quandam negationem intenſionis, non ita,vt remiſſio ſit pura negatio, ſed quia imperfectus quidam modus

modus est includens negationem perfectionis,quam dicit intensio. Hoc supposito neganda est minor eiusdem argumenti, quod intensa qualitas debeat expellere remissam secundum entitatem eius, sed satis est eam expellere secundum modum remissionis imperfectum, ratione cuius sunt incompossibiles, quod euidenter probatur in augmentatione, quæ verus motus est,& tamen maior quantitas, quæ est terminus ad quem non expellit minorem,quæ est terminus à quo, nisi secundum modum imperfectum minoris, ratione cuius sunt incompossibiles.

Ad secundum concedendum est primum antecedens, quod 153
agens intendens qualitatem in subiecto,aliquid formæ producit nouum,atque distinctum à gradu eiusdem formæ remissæ, & eiusdem speciei,nam secundus gradus caloris eiusdem speciei est cum primo. Sed neganda est consequentia, quod non possint simul permanere in eodem subiecto. Et dum rursus dicitur duas formas absolutas eiusdem speciei non posse simul esse in eodem subiecto, absolutè debet concedi, quia non appellantur duæ formæ eiusdem speciei,nisi totales sint,& distinctæ numero. Primus autem,& secundus gradus caloris ei superueniens per intensionem non sunt duæ formæ absolutè loquendo,quia non sunt totales,& numero distinctæ,sed sunt potius partes eiusdem formæ totalis, quam componunt integraliter per cõtinuationem, sicut pes,& manus non sunt duæ substantiæ absolutè loquendo, sed potius duæ partes eiusdem substantiæ eam integraliter componentes per continuationem Physicam. Vnde sequitur permanere posse primum, & secundum gradum caloris in eadem parte subiecti, quia non distinguũtur numero,nisi partiali & efficiũt eamdẽ numero formam totalem,quamuis multa accidentia totalia,& absoluta eiusdem speciei non possint esse simul in eodem subiecto,non ergo probat argumentum Durandi quod secundus gradus caloris debeat corrumpere primum.

Ad argumẽtum secundæ opinionis distinguenda est minor, quod adueniente perfectiori inhærentia accidentis in subiecto corrumpenda sit imperfecta;nã si intelligatur corrumpendam esse secundum entitatem,falsum est, quia secundum entitates non sunt incompossibiles, sed solum debet corrũpi secundum modum imperfectionis, vt dictum est de entitate, vel essentia qualitatis remissæ.

Testimonium autem Aristotelis adductum pro tertia opinione apparentem quamdam difficultatem habet, si solum inspiciantur verba; si vero contextus loci,nullam. Sensus igitur

verbo

verborum est secundum expositionem D. Thomæ, & aliorum, quod sicut corpus fit calidum ex frigido, non ex eo, quod noua aliqua materia; vel corpus frigidum ei superueniat sed quia calor educitur de potentia eiusdem corporis, in quo prius erat frigus; eodem modo corpus calidum fit magis calidum, nullo alio corpore calido ei adueniente de nouo, sed ex eo solum, quod calor magis educitur de potentia eiusdem corporis, & ideo perfectius participatur ab eodem secundum easdē partes, in quo propriè consistit intensio eiusdem caloris.

154 Ad primum argumentum concedenda est illa pars antecedentis, quod in intensione fit additio secundum essentiam, sed quod essentia non possit suscipere additionem, distinguendum est, quia essentia duo dicit, nempe essentialia prædicata, quæ constituunt rem in genere, & specie, ac prædicamento, vt calorem esse qualitatem passibilem talis speciei, dicit præterea entitatem realem extra causas, in qua fundantur talia prædicata, & ratione prædicatorum essentialium non potest suscipere additionem, quia consistit hoc modo in indiuisibili, nam tot habet prædicata essentialia, & talem differentiam athomam, vt si ei addatur aliud, vel alia differentia, mutetur essentia in aliam, sicut numerus variatur addita vnitate, & ideo in hoc sensu dixit Aristoteles species esse sicut numeros. In hoc etiam sensu non intenditur qualitas, nec fit ei additio secundum essentiam, sed benè secundum entitatem, in qua fundantur prædicata essentialia: quia sicut animali, dum augetur, additur noua substātia, & ideo verum est, quod plus substantiæ habeat, quàm prius: eodem modo additur qualitati per intensionem noua entitas, cui conueniunt eadem prædicata essentialia, vt calori nouus calor, & hoc est intendi qualitatem secundum essentiam; ex quo patet non sequi, quod qualitas intensa sit alterius speciei à remissa, quia licet plus habeat entitatis, eadem tamen essentialia prædicata habet; & ideo eamdem speciem, ac prius.

Ad secundum neganda est maior secundum vtramque partem, videlicet quod gradus adueniens per intensionem distinguatur specie, vel numero à præexistenti, quia nec habet aliam essentiam specificam, nec est alia forma numero distincta ab eo, sed per continuationem fit ex vtroque eadem forma numero, nam vt docet Aristoteles 5. lib. Phys. vnum continuum, & vnum numero idem sunt; solum ergo potest distingui numero partiali à gradu præexistēti, sicut distinguuntur numero partiali diuersæ partes substantiæ, vt manus, & caput; quia sicut ex his integratur eadem numero substantia totalis, ita ex distinctis gradibus caloris tamquam ex partibus integrantibus

compo

componitur eadem forma totalis numerica caloris.

Quid tandem sentiat D.Thomas, non solum diximus, sed probauimus, nihil sentire contrarium, sed idem prorsus, nempe qualitatem non solum intendi per maiorem radicationem in subiecto, sed etiam secundum essentiam, ita vt aliquid essentiæ nouum producatur, & coniungatur qualitati præexistēti, modo tamen loquendi additionis vtendum non esse; sed solum maioris radicationis, ne significetur distinctio formarum eiusdem speciei in eadem parte subiecti.

Seo contra hoc videtur esse id, quod sæpe docet D.Thomas, 155
qualitatem, vel formam separatam à subiecto, non posse intendi, vel remitti. Idque Aristoteles docere videtur in prædicamentis capite de qualitate dicens, qualitatem in concreto suscipere magis, & minus, non in abstracto, vt iustum dicitur magis, vel minus iustum, iustitia vero non. Ex quibus hoc argumentum desumitur. Ea, quæ conueniunt qualitati secundum essentiam, dicuntur de ea in abstracto, vt de albedine, quod sit qualitas talis speciei: quæ vero conueniunt ei, vt inhæret subiecto dicuntur in concreto, vt disgregare visum de albo; si ergo qualitas in abstracto non suscipit intensionem, sed solùm in concreto: ergo non intenditur secundum essentiam, sed solum, vt est in subiecto, & ideo non per additionem gradus ad gradum, sed solum per maiorem radicationē in subiecto ex mente Aristotelis, & D.Thomæ. Huic argumento respondendum est ex doctrina eiusdem D.Thom. 1.2. quæst 53. artic.2. ad 3. vbi ait accidens quocumque modo significatum, hoc est, siue in concreto, siue in abstracto dicere ordinem ad subiectum: diuersa tamen ratione, nam significatum in abstracto dicit ordinem ad subiectum, vt incipientem ab ipsomet accidenti, & terminatum ad subiectum solum sub ratione concreti, sicut cæteræ formæ, etiam substantiales in abstracto, significatæ, & ideo dicimus albedinem esse, qua aliquid est album, sicut dicimus humanitatem esse, qua aliquid est homo. Vnde in definitione accidentis in abstracto significati non ponitur subiectū tamquam prima pars, quæ est genus, sed tamquam secunda, quæ est differentia, quia significatur tamquam terminus habitudinis eius. Significatum vero in concreto dicit quidem eumdem ordinem ad subiectum, sed vt incipientem ab ipso subiecto, & terminatum in idem accidens. Dicimus enim simum esse nasum curuum; vel album esse corpus affectum albedine. Et ideo in definitione concreti ponitur subiectum pro genere, quæ est prima pars definitionis, sicut quoduis aliud concretum ponitur in definitione sui abstracti. Ex quibus

sequitur

ſequitur(ait D. Thomas) quod quæ conueniunt accidenti ratione ſubiecti ſolum ei attribuuntur,vt ſignificato in concreto, non in abſtracto;& talis eſt intenſio , & remiſſio , quæ conueniunt accidenti ſecundum eſſentiam quidem,ſed præciſè, vt eſt aliquid ſubiecti de potentia eius eductum, & hoc modo ſignificatur accidens ſecundum propriam rationem accidentis. In abſtracto vero non tam ſignificatur vt accidens,quàm per modum ſubſtantiæ,& ideo intenditur eius eſſentia , in quantum magis actuat ſubiectum, & magis illud perficit , quod conſtat non poſſe habere,niſi per eductionem nouæ partis , vel gradus de potentia eiuſdem ſubiecti,nam de eſſentia accidentis, vt talis eſt eſſe aliquid ſubiecti,vel ſubſtantiæ. Et hæc eſt ratio propter quam non attribuuntur qualitati intenſio , & remiſſio, vt ſignificatæ in abſtracto,ſed in concreto : quod adeo verum eſt, vt ſi per impoſſibile qualitas eſſet forma ſua natura ſeparata à ſubiecto,non poſſet vllo modo intendi vel remitti; & ratio eſt manifeſta, quia tunc non eſſet accidens,ſed ſubſtantia , cui repugnat ſuſcipere magis & minus. Nihilominus intenſa qualitas ſeparata à ſubiecto per diuinam potentiam retinebit eamdem intenſionem , quam tamen non poteſt naturaliter accipere,niſi in ſubiecto,& per maiorem radicationem in eo , ſupernaturaliter vero poſſet produci à Deo extra ſubiectum cum tota ſua intenſione, per vnicam creationem ſi cum tota ſimul produceretur,vel per plures,ſi diuerſis temporibus , vel inſtantibus producerentur diuerſi gradus eius. Et hæc etiam diſtinctio D. Thomę explicat ſenſum verborum Ariſtotelis,quamuis non ſint ab eo ſcripta ex mente propria , ſed referente ſententiam aliorum,vt legenti fiet per ſe manifeſtum.

QVÆSTIO VI.

An omnes gradus intenſionis eiuſdem qualitatis ſint omnino ſimiles,& eiuſdem perfectionis, vel diuerſæ, aut diſſimiles , atque eſſentialiter ſubordinati?

156 EX quæſtione præcedente habemus, qualitatem producibilem per intenſionem habere plures gradus,vel partes in ſua entitate , ex quibus vnitis per continuationem indiuiſibilium tamquam ex partibus integrantibus componitur vna numero

numero forma habens totam latitudinem gradualem ex eis resultantem, vt calor ignis, quem vocamus vt octo, componitur ex octo gradibus tanquam ex partibus integrantibus suam latitudinem,& aliquotis quidem, seu æqualibus,nam quilibet gradus, & tota ipsa qualitas secundum latitudinem intensionis est diuisibilis in infinitas partes proportionales ad similitudinem quantitatis, quæ in partes æquales finitas suæ extensionis diuiditur, & in infinitas proportionales.

Quo supposito quærit titulus quæstionis, an sicut partes quantitatis, vt lineæ, vel superficiei, non solum sunt eiusdem speciei, sed etiam eiusdem rationis indiuidualis, vt omnes palmi, nec vnus subordinatur alteri, aut illum necessariò præsupponit, sed naturaliter potest ab eo separari, ita se habeant gradus eiusdem caloris intensi, à primo vsque ad octauum,vel aliquo modo sint dissimiles in ratione indiuiduali partiali, & diuersæ perfectionis, naturaliterque subordinati, ita vt secundus sit perfectior indiuidualiter primo, eumque necessariò præsupponat, nec possit produci in subiecto, in quo non præsupponatur ille productus, & secundum hanc subordinationem naturalem omnem eius perfectionem eminenter contineat; sicque de tertio respectu secundi, & primi vsque ad octauum. Quæstio sanè difficilis,& solum inter iuniores interpretes Aristotelis hoc tempore agitata.

Circa quam prima opinio tenet gradus intensionis eiusdem qualitatis à primo vsque ad octauum dissimiles esse modo explicato, ita sentiunt plures. Probant multis argumentis ad impossibile ducentibus, quæ ideo sub hoc vno possunt comprehendi. Si gradus intensionis essent omnino similes nullam habentes subordinationem, sequitur primo intensionem posse procedere in infinitum; ita vt eadem qualitas numero possit habere gradus intensionis actu infinitos. Probatur consequentia, quia si sunt omnino similes, non est difficilius producere secundum, quàm primum, nec tertium, quàm secundum, & sic de cæteris: ergo quodlibet agens quantumcumque remissum poterit producere quemlibet gradum caloris, & ab vnoquoque poterunt produci gradus infiniti, quia postquam produxit vnum, potest producere alterum in infinitum, cum non postulet maiorem virtutem in agente vnus gradus, quàm alter, eo ipso, quod non habet maiorem perfectionem. Secundò sequitur, posse aliquid agere vltra suam perfectionem, quod patet esse falsum. Probatur consequentia, quia calor, vt vnum potest producere aliquid caloris in multis corporibus: ergo potest illos omnes calores producere in eodem, quòd si fiat,

producet calorem vt duo, vt quatuor, & vt octo, qui erit longè intensior, atque perfectior se. Sed probatur iterum consequentia, quia vnus gradus non est perfectior altero: ergo non requiritur maior virtus ad producendum vnum, quàm plures, nec ad producendum eos in vno subiecto, quàm in diuersis, quia non sunt maioris perfectionis in vno, quàm in diuersis, & accidentale prorsus est eis; quod in eodem, vel diuersis producantur: nec etiam est minor capacitas in eodem, quàm in diuersis subiectis ad recipiendum omnes. Et eadem ratione sequitur posse duo calida vt vnum se intendere vsque ad octo, immo posse mutuo se corrumpere, atque conuertere in ignem. Probatur consequentia, quia quodlibet potest producere vnum gradum caloris in altero, sicut potest in quouis alio corpore nullum calorem habente, & sicut potest producere vnum, potest duo, & sic vsque ad octauum, cum possit eos
157 producere in diuersis corporibus. Sequitur tertio qualitatem intensam non posse remitti, immo nec vllo modo corrumpi à contrario. Probatur consequentia, quia cum omnes gradus, quos habet, sint eiusdem omnino rationis, & omninò similes, non est maior ratio ob quam ab vno potius, quàm ab alio incipiat corruptio: ergo nec poterit omnino incipere, nec poterit talis qualitas corrumpi, vel remitti. Et si dicatur incipere ab vltimo gradu producto in tali subiecto, quia dissolutio rei opposita est productioni eius, & ideo ab vltima eius perfectione incipit, vt dissolutio domus à culmine. Non soluitur argumentum, primò, quia nec dissolutio rei postulat ab vltima eius parte incipere, nisi sit aliquis ordo inter partes ipsas, qui cùm non ponatur inter gradus ipsos, non postulabit corruptio qualitatis ab vltimo incipere, potius quàm à primo, sed per accidens omnino erit, quod ab vno, vel ab altero, & ideo à neutro per se incipere poterit. Secundò, quia potest contingere, vt non prius vnus gradus, quàm alter producatur, sed simul, & in instanti omnes, vt videmus in lumine simul producto secundum omnes gradus intensionis, quia illuminatio non est per se successiua, sed instantanea. Tunc ergo non erit maior ratio propter quam ab vltimo potius, quàm à primo incipiat remissio luminis, quare non poterit vmquam incipere. Vltimo sequitur intensionem non esse aliud, quàm coaceruationem plurium entitatum sine ordine, & qualitatem intensam esse vnum per accidens, sicut cumulum lapidum. Probatur consequentia, quia ex intensione nihil aliud resultat, quàm vnum ex multis entitatibus non ordinatis: ergo non est aliud qualitas intensa, quàm cumulus quidam entitatum non ordina

ordinatarum, quod est esse vnum per accidens.

Secunda opinio est communis, quòd gradus qualitatis intensæ sint eiusdem rationis, & omnino similes, nullam habentes subordinationem essentialem, ita vt posteriores necessariò non præsupponant priores, sed solum constituant vnam numero qualitatem intensam, quia in eadem parte subiecti vniuntur per propria indiuisibilia intensionis, quæ sunt modi vnionis, nam vnio hæc est continuatio realis, & ideo sufficiens ad constituendam vnam numero formam; quemadmodum plures gradus eiusdem qualitatis in diuersis partibus eiusdem subiecti producti, & per indiuisibilia continuati efficiunt vnam numero formam extensam per totum subiectum, quia tam in intensione, quam in extensione verum est, quod docuit Aristoteles 5. lib. Phys. vnum continuum, & vnum numero idem esse. Ita sentiunt omnes ferè antiqui, & grauiores Theologi in 1. dist. 17. Albertus Magnus art. 10. Scot. q. 3. D. Bona. in 2. parte distin. art. 1. q. 1. ad 2. Richardus art. 2. q. 2. OKam. q. 6. Gab. & Greg. ibidem Marsi. in 2. q. 1. art. 1. suppositione 8. Nimphus 8. Methaph. disput. 6. & 11. Antonius Andreas 8. Metaph. q. 6. Toletus 1. lib de generat. cap. 3. q. 4. & Conimb. 1. lib. de generatione cap. 4. q. 2. art. 3. ad vltimum, & videtur mihi probabilior, & tenenda.

Quæ primo probanda est ex refutatione oppositæ hoc mo- 158
do. Posterior gradus intensionis sic est dissimilis priori, & sic eo perfectior, vt totam eius perfectionem, & virtutem contineat, non solum eminenter, sed formaliter: ergo superfluit omnino prior, quare adueniente posteriori corrumpi debet, vt Durand. quæstione præcedente à nobis refutatus asserebat, quia natura nihil superfluum permittit. Probatur antecedens, nam prima opinio concedit posteriorem gradum eminenter cõtinere perfectionem prioris, & si non contineret, non esset eo perfectior, nec essentialiter ei subordinatus. Sed ego probo, quod etiam contineat formaliter, nã continere formaliter est continere per modum formæ informantis subiectum, vt patet de anima rationali, ideo continente formaliter gradum naturæ sensitiuæ, quia continet per modum formæ informantis corpus, & talem ei gradum tribuentis formaliter, sed ita continet gradus posterior perfectionem prioris: ergo formaliter. probatur minor, quia continet tanquam forma subiecti, quod constituit perfectius calidum formaliter: ergo continet formaliter. Et confirmo idem argumentum, & declaro simul; nam ideo sufficit vna forma sensitiua in equo, & vna rationalis in homine ad tribuendum corpori omnes gradus essendi priores, atque imper-

fectiores, vt gradum corporis, & vitæ, quia forma posterior continet totam perfectionem prioris, non solum eminenter, sed etiam formaliter; quia per modum formæ informantis materiam, & ideo tribuit corpori gradus, quos ipsa tribueret. Vnde sequitur superfluam esse priorem in præsentia posterioris, & ideo non admittenda. Et hæc est potissima ratio, propter quam non admittitur forma corporeitatis, quam posuit Scotus, nec pluralitas formarum, quam alij ponunt in eodem composito, vt 1. lib. de anima ostendemus. Sed gradus posterior caloris continet eminenter, & formaliter totam perfectionem prioris, quia continet per modum formæ, & eam tribuit subiecto in genere causæ formalis constituendo illud perfectius calidum formaliter, vt probaui: ergo eo adueniente superfluit omninò prior, & corrumpi debet. Et eadem ratione probatur, superfluas esse omnes partes priores cuiuscumque gradus, & corrumpi debere adueniente vltima parte aliquota eiusdem gradus; quia sicut gradus posterior continet totam perfectionem prioris, ita pars posterior eiusdem gradus continet totam perfectionem prioris, & vltima perfectionem omnium.

Secundo probatur falsitas eiusdem sententiæ, quia si gradus posterior continet eminenter virtutem prioris: ergo si produceretur separatus ab illo per diuinam potentiam, totum effectum producere posset, quem producit vterque simul existens in subiecto; sed eandem virtutem habet posterior existens cum priori, ac haberet separatus ab eo: ergo sufficit ad producendum, quidquid producitur ab vtroque, & cum virtus eius sit naturalis, agit in quantum potest: ergo superfluit primus gradus ad agendum adueniente secundo, & ideo corrumpi debet. Et confirmo argumentum, quia si contineret eminenter perfectionem inferioris gradus, & ideo potest similem alium gradum producere, erit causa æquiuoca eius, & non vniuoca, quod est falsum. Probatur consequentia, quia causa æquiuoca differt ab vniuoca in eo, quod illa continet effectum eminenter, hæc vero formaliter. Immo etiam sequitur posteriores gradus differre specie à prioribus, probatur consequentia, quia id quod est calor vt vnum eminenter, specie distinguitur ab eo, quod est calor vt vnum formaliter.

159 Tertio probatur ex intensione, vel augmento charitatis, & gratiæ per sacramenta, in quo difficile potest defendi opposita sententia; duo enim sunt certa in receptione sacramentorum. Primum per dignam receptionem cuiuslibet sacramenti intendi gratiam, & charitatem, si eam prius habebat recipiens, etiam si cum remississima dispositione recipiatur. Secundo sa-

cramenta,

Digitized by Google

cramenta omnia ab adultis recepta conferre gratiam ſecundum menſuram diſpoſitionis, ita vt tanta, & non maior conferatur, quanta eſt diſpoſitio recipientis. Ex quibus ſic arguo, ſi poſterior gradus gratiæ perfectior ſit priori ſecundum entitatem indiuidualem, ſequitur per ſacramentum cum minori diſpoſitione receptum dari maiorem, & perfectiorem gratiam, & per ſacramentum receptum cum æquali dari maiorem, quod eſt contra ſecundum præſuppoſitum. Probatur primum, quia fieri poteſt, vt ille idem, qui recipit primum gradum gratiæ per ſacramentum cum tanta diſpoſitione, iterum recipiat illud cum multo minori, & tamen recipiet ſecundum gradum gratiæ, vel aliquam eius partem, quæ perfectior eſt, & maior ſecundum entitatem primo gradu; quare maiorem, & perfectiorem recipiet; immo ſequitur per hoc ſecundum ſacramentum nullam recipere gratiam contra primum præſuppoſitum. Probo conſequentiam, quia ſacramentum receptum à diuerſis cum eadem diſpoſitione eumdem gradum gratiæ tribuit; ſed ſacramentum receptum ab eo, qui non habet gratiam cum remiſſiſſima diſpoſitione, non conferret niſi primum gradum, qui eſt minor ſecundum entitatem, & perfectionem, quàm ſecundus: ergo in habente iam primum gradum nõ poſſet conferre ſecundum, quia non eſt maioris virtutis in vno, quam in alio. Sed probo ſecundum, quia ſacramentum receptum cum diſpoſitione vt vnum, producit gratiam, vt vnum in eo, qui nullam habebat; & in eo, qui habebat iam primum gradum, producet ſecundum; qui maior eſt, atque perfectior primo: producet ergo maiorem, & perfectiorem gratiam receptum cum eadem diſpoſitione. Probatur tandem in augmento eorumdem habituum per actus meritorios: ad quod probandum ſuppono opinionem magis iam receptam in ſchola, etiam ab autoribus oppoſitæ ſententiæ, videlicet gratiam, & charitatem augeri, vel intendi per actus quantumlibet remiſſos ab eis procedentes. Ex quo ita arguo. Si quis eliciat actum charitatis vt duo, meretur primum, & ſecundum gradum charitatis, & ſi poſtmodum eliciat alium actum longe remiſſiorem, non dabitur illi per eum tertius gradus, neque aliquid eius: ergo per talem actum remiſſum non augebitur in eo charitas, contra præſuppoſitam ſententiam. Antecedens probatur, quia calidum vt vnum non poteſt augere calorem vt vnum exiſtentem in eodem, nec in alio ſubiecto, ſecundum oppoſitam ſententiam, non ſolum, quia iam reperit productum in ſubiecto totum calorem, quem ipſe habet, ſed præcipuè, quia calor vt duo maior eſt, atque perfectior ſecundum entitatem indiuidualem: ergo

actus meritorius vt vnum non poterit mereri tertium gradum charitatis, in eo, qui habet duos. Probatur consequentia, quia tertius gradus maior, & perfectior est duobus primis: ergo non potest dari pro actu meritorio vt vnum. Et si respondeas diuersam esse rationem in agentibus Physicis, & per modum meriti, quia illa operantur secundum modum Physicæ virtutis, quam non possunt excedere, hæc vero non operantur modo Physico, sed morali longe diuerso. Probatur nullum esse discrimen quantum ad hoc, nam etiam quæ operantur per modum meriti producunt perfectiorem effectum, vel imperfectiorem secundum modum, quo mouentur per auxilium diuinæ gratiæ, & secundum modum affectus, & conatus cum quo operantur: ergo actui remisso procedenti ex minori auxilio gratiæ, & elicito cum minori affectu, atque conatu non potest correspondere tam perfectus gradus gratiæ per modum meriti, ac illi actui, qui à maiori auxilio procedit, & cum maiori affectu, atque conatu fit; quare non poterit ei correspondere tertius gradus gratiæ in eo, qui habet primum, & secundum, nec poterit charitatem in eo augere. Probatur consequentia, quia sicut agens naturale non potest agere vltra virtutem suam naturalem, ita agens morale per modum meriti non potest agere vltra suam virtutem moralem.

161 Vt autem veritas nostræ sententiæ propria ratione probetur, meliusque intelligatur, & argumenta oppositæ commodius soluantur, explicanda est differentia inter intensionem, & extensionem in eo consistens, quod per extensionem perficitur eadem forma in diuersis partibus subiecti, ita vt partes extensionis formæ educantur de potentia diuersarum partium subiecti; sed per vnionem continuationis efficiunt vnam numero formam extensiuè perfectam. Per intensionem verò, perficitur forma in eadem parte subiecti, ita vt de potentia eius educantur nouæ partes; vel gradus, atque etiam in eadem vniantur per continuationem suorum indiuisibilium, & per talem vnionem efficiant vnam numero formam magis eductam de potentia subiecti, & ideo perfectius illud informantem, & actuantem potentiam eius, & ex hoc magis in eo radicatam, & habentem perfectiorem modum essendi. Probatur hoc duplici argumento. Primò, quia totam perfectionem, quam habet forma in diuersis subiectis, habet in eodem; sed in diuersis subiectis habet longe maiorem perfectionem indiuidualem, cum in quocumque habeat perfectionem realiter distinctam ratione indiuidualis differentiæ diuersæ: ergo cum has omnes perfectiones simul vnitas, & efficientes vnam habeat in eadem

parte

parte ſubiecti, ſequitur euidenter maiorem perfectionem indiuidualem habere formam intenſam in eodem ſubiecto, quàm diuiſam in diuerſis ſecundum diuerſos gradus. Quod hoc exemplo oſtendi poteſt, nam calor vt vnum productum in duobus ſubiectis habet duplicem differentiam indiuidualem realiter diſtinctam: & cum differentia indiuidualis ſit aliqua perfectio realis, ſaltem modalis, habebit duplicem perfectionem realem: ſi vero in vno tantum ſubiecto eſſet indemmet calor vt vnum, non haberet, niſi vnam differentiam indiuidualem eiuſdem perfectionis, ac eam habebat in ſingulis; ergo minorem perfectionem indiuidualem haberet. At ſi vtérque gradus per intenſionem vniatur in eodem ſubiecto, habet vtramque perfectionem indiuidualem, & per modum vnius, quod eſt perfectiorem modum eſſendi indiuidualem habere, quàm in diuerſis ſubiectis. Secundo, quia virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa, ſed per intenſionem vnitur in eodem ſubiecto eadem virtus, quæ in diuerſis ſubiectis diſperſa foret: ergo fortior eſt forma caloris reſultans ex duobus gradibus vnitis in eodem ſubiecto per intenſionem, quàm eſſet ſi diſperſa foret, hoc eſt diuiſa ſecundum vnum, & alterum gradum in diuerſis ſubiectis: ſed eſſe fortiorem non eſt aliud, quàm eſſe potentiorem ad operandum; & eſſe potentiorem ad operandum repugnat, niſi perfectior ſit, vel perfectiorem modum eſſendi habeat: ergo eadem forma caloris intenſa perfectius eſſe habet in eodem ſubiecto, quàm haberet diuiſa in diuerſis ſecundum diuerſos gradus; ad quod aſſerendum non eſt neceſſarium ponere diuerſam perfectionem indiuidualem, nec ſubordinationem aliquam in eiſdem gradibus.

Et ex hac doctrina colligitur hoc argumentum ad proban- 162
dam veritatem communis ſententiæ. Sicut non ſunt multiplicandæ entitates reales ſine vrgenti neceſſitate, ita nec multiplicari debent perfectiones reales in eiſdem rebus; ſed ſine multiplicatione reali perfectionum indiuidualium inter eoſdem gradus intenſionis ſaluatur propriiſſima intenſio qualitatis diſtincta ab extenſione: & cætera omnia, quæ in intenſa qualitate eſſe debent: ergo non eſt ponenda, ſed dicendum æquales eſſe omnes, & ſecundum ſe non ſubordinatos. Probatur minor, quia perfectio intenſionis conſiſtit in eo, quod qualitas vere ſit magis radicata in ſubiecto, quàm prius, magis actuet potentiam eius per informationem perfectiorem, & tandem maiorem virtutem ad agendum ei tribuat: ſed hæc omnia habet qualitas intenſa per gradus omnino ſimiles,

omnino æqualis perfectionis vnitos in eadem parte ſubiecti, vt probatum eſt : ergo non eſt neceſſaria diſſimilitudo illa, & inæqualitas graduum cum eſſentiali ſubordinatione, quam ponit oppoſita ſententia, nec vllo modo admittenda.

Atque ex eadem etiam doctrina facile ſoluitur argumentum eius, & quia multa afferebat inconuenientia, quæ ex noſtra ſententia ſequuntur, ad ſingula per ſe reſpondendum eſt. Et ad primum negamus, quod ſequatur intenſionem procedere in infinitum, quia non poteſt à quocumque agente remiſſo intendi calor : & cum dicitur non eſſe neceſſariam maiorem virtutem in agente ad producendum ſecundum gradum caloris, quàm primum, diſtinguendum eſt ; nam ad producendum illum in alio ſubiecto, non eſt neceſſaria maior, bene tamen ad producendum in eodem, in quo eſt primus gradus propter perfectiorem modum eſſendi, quem habet vtérque gradus vnitus in eadem parte ſubiecti, iam explicatum. Negandum eſt etiam, quod ſequatur ſecundum inconueniens, videlicet, quod agens poſſit agere vltra perfectionem propriam. Et cum dicitur calidum remiſſum poſſe producere diuerſos gradus caloris in diuerſis ſubiectis : ergo poſſe eos omnes producere in eodem. Conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia, quia vniti in eodem ſubiecto perfectiorem effectum conſtituunt propter perfectiorem modum eſſendi indiuidualem reſultantem ex vnione omnium in eadem parte ſubiecti, vt probatum eſt. Et propter eamdem rationem negandum eſt, quod duo calida vt vnum poſſint ſeſe intendere vſque ad octauum gradum ; licet enim detur capacitas ex parte ſubiecti, ſed deficit virtus ex parte vtriuſque agentis, quia neutrum poteſt intendere calorem alterius, ex eo, quod licet primus, & ſecundus gradus ſint omnino ſimiles, & æquales, ſed ex eis ſimul vnitis in eodem ſubiecto longe perfectior effectus ſecundum rationem indiuidualem reſultat, quam neutrum poteſt attingere, nec vtrumque ſimul, cum virtutem vtriuſque in diuerſis ſub-
163 iectis diuerſam, excedat. Ad tertium inconueniens bene reſpondent Conimbr. vbi ſupra; negando, quod remiſſio qualitatis efficiatur impoſſibilis ex noſtra ſententia: & cum dicitur non eſſe maiorem rationem, ob quam remiſſio incipiat à corruptione vnius gradus, quàm alterius, diſtinguendum eſt, nam comparando gradus ipſos cum cauſa ſecunda naturali, verum eſt, quia ex ſe non determinatur ad ſingulares has actiones & effectus, potius quam ad alios, ſed indifferens eſt ad omnes, & ſolum ad ſpeciem determinata, ſed à cauſa prima determinatur ad talem actionem ſingularem, ad talémque effectum producendum,

cendum,potius quàm ad alterum, vt in 2. lib. Phyſ. agentes de modo concurrendi primæ cauſæ cum ſecundis docuimus, neque hoc eſt pro libito recurrere ad primam cauſam, ſed naturale,ac neceſſarium in quibuſcumque effectibus producendis à cauſis ſecundis naturalibus. Ita ergo in remiſſione caloris contingit,vt à prima cauſa determinetur,ſecunda ad corruptionem huius gradus,potius quàm altetius;& ita incipit, atque procedit ſemper remiſſio,ſicut etiam intenſio,& neutra redditur impoſſibilis. Solutio autem illa de inceptione remiſſionis ab vltimo gradu producto in tali ſubiecto tanquam à culmine totius ædificij inſufficiens eſt, & bene impugnata in argumento. Ad vltimum tandem incommodum, quod inferebatur, videlicet intenſionem, & qualitatem intenſam eſſe vnum per accidens, cum conſtet ex pluribus gradibus non ordinatis,facile ſoluitur hac diſtinctione; nam multis modis contingit reſultare vnum per ſe ex multis, nempe tamquam ex potentia,& actu;quo pacto ex materia, & forma, aut ex genere & differentia reſultat vnum per ſe eſſentiale. Secundo, tamquam ex per ſe ordinatis, vt ex multis vnitatibus reſultat vnus numerus per ſe. Tertio tamquam ex multis partibus integrantibus per continuationem vnitis, etiamſi non ſint vllo modo ſubordinatæ, vt ex multis partibus integrantibus ſubſtantiæ, & quantitatis reſultat vna ſubſtantia per ſe, vt vna aqua, vel ignis, aut vna linea, vel ſuperficies abſque vlla ſubordinatione, & ita reſultat vna qualitas intenſa ex multis partibus gradualibus ſuis indiuiſibilibus vnitis, etiamſi non ſint vllo modo ſubordinati.

QVÆSTIO VII.

An intenſio qualitatum habeat terminos magnitudinis, & paruitatis?

QVæſtio hæc ſolet tractari in 1.aut 6.lib. Phyſ. vbi de ter- 164
minis magnitudinis,& paruitatis rerum naturalium agitur. Ego vero in commentariis Phyſicis eam remiſſi in hunc locum tamquam ſibi proprium. Vt autem ſenſus quæſtionis intelligatur, diſtinguenda eſt duplex qualitas naturalis, & ſupernaturalis; naturalis qualitas ea eſt, quæ conuenit ſubſtantiæ à natura, vt calor igni, & frigiditas aquæ. Supernaturalis vero, quæ non à natura, ſed per infuſionem ab agenti ſupernaturali, vt gratia, & charitas. Et de qualitate naturali

præcipue procedit quæstio, quia hæc sola pertinet ad considerationem Philosophiæ naturalis, quamuis vno verbo dicemus in fine quæstionis, quid de terminis qualitatis supernaturalis sentiendum sit. Qualitas autem naturalis dupliciter consideratur, nempe quoad intensionem, & quoad extensionem. Et primo de intensione eius agendum est, deinde de extensione. Sed tandem qualitas secundum intensionem, duplicem considerationem habet, nam primo consideratur secundum se, deinde vt est dispositio ad formam substantialem introducendam in materia, & contrariam expellendam. Et difficultas prȩcipua quæstionis de qualitate procedit quantum ad intensionem secundum se consideratam, nam vt est dispositio ad formam substantialem facile intelligi potest, quonam modo terminetur. Supponenda est autem distinctio terminorum quantum ad magnitudinem, & paruitatem in intrinsecos, & extrinsecos ex 1. lib. Physicor. vbi copiosè explicati sunt. Intrinsecus terminus magnitudinis vocatur, maximum quod sic, extrinsecus, minimum quod non. Et intrinsecus paruitatis, minimum quod sic; extrinsecus, maximum quod non, & applicandi sunt ad intensionem qualitatum, sicut 1. lib. Physicor. applicati sunt ad extensionem quantitatis. Ex quibus iam patet sensus nostræ quæstionis, qui talis est: an qualitates naturales quoad intensionem habeant terminum magnitudinis intrinsecum, ita vt ad talem gradum intensionis possint peruenire, vt maiorem intensionem habere non possint, vel solum habeant terminum extrinsecum; ita vt aliquem gradum intensionis ita magnum habere non possint, bene tamen quemcumque minorem illo, atque etiam quoad paruitatem habeant terminum intrinsecum ita paruum, qui sit tam minima intensio, qua non possint minorem habere; vel solum habeant terminum extrinsecum, qui sit minima etiam intensio, quam habere non possunt, benè tamen quamcumque maiorem. Loquimur autem de qualitatibus secundum se sumptis, nam de eisdem, vt sunt dispositiones formarum, postmodum dicetur.

Et prima opinio tenet qualitates naturales secundum se sumptas, habere terminum intrinsecum magnitudinis, & paruitatis in sua intensione, ita vt ad talem gradum intensionis possint peruenire, vt vltra illum non possint intendi, etiam per potentiam Dei absolutam, versus paruitatem quoque petunt minimam quamdam intensionem, sub qua primo producantur, ita vt sub minori non possint saltem naturaliter produci. Ita Scotus in 1.d.4.§. *Ad primam quæstionem dico.* Vbi loquitur de

termino

termino magnitudinis, & in 2. d.2. q.9. in ſolutionibus argumentorum,vbi loquitur de termino paruitatis,de quo idem tenent cum eo Conimb.8.lib.Phyſ.com.23. Greg. in 1.d.17. q.1. art.3.Capreol.ibidem.q.2. art.2. Sonzin.8. Methaph. q.21. vbi pro eadem ſententia citat D.Tho. Ægid.1. lib.de gener. q.25. Iandun.6.lib.Phyſ.q.15.Tolet.1.lib.de generat.q.6.Sed diuerſo modo explicatur iſte terminus intrinſecus paruitatis à Toleto & Sonzinate: nam Toletus minimum illum gradum intenſionis non ponit acquiſitum per motum, vel partem eius, ne compellatur ponere primam partem in motu contra expreſſam ſententiam Ariſtotelis 6.lib.Phyſ. vbi ante quodlibet mutatum eſſe motus aſſerit dari partem motus,& ante quamlibet partem motus dari mutatum eſſe & ita motum non habere primam partem, nec primum mutatum eſſe, atque etiam contra rationem continui, quod cum ſit diuiſibile in infinitum, non poteſt habere primam partem, & ita repugnat motum habere primam,cum ſit continuum, & conſequenter repugnabit qualitatem habere primam partem productam per motum. Ideo ponit qualitatem ſecundum minimam illam intenſionem habere modũ eſſendi indiuiſibilem, & produci per mutationem, etiam ſuo modo indiuiſibilem,à qua tanquam à termino à quo incipit motus intenſionis per vltimum non eſſe.Sonzinas vero per motum produci aſſerit, & ideo videtur ponere minimum alterationis,& primum eſſe eius ex parte termini à quo.

Sed probatur hæc opinio quantum ad terminum intrinſecum magnitudinis hoc argumento: Qualitas ſecundum eſſentiam habet terminum intrinſecum magnitudinis: ergo etiam ſecundum intenſionem. Probatur conſequentia, quia intenſio eſt modus conſequens naturam, & eſſentiam qualitatis: ergo habet proportionem cum ea. Antecedens vero euidens eſt,quia qualitas, ſicut res quælibet determinatum habet gradum perfectionis eſſentialis, ſicut determinata prædicata eſſentialia, vltra quæ non poteſt creſcere, nam eo ipſo quòd aliquod prædicatum eſſentiale addatur calori, variabitur eſſentia, atque ſpecies eius. Exemplum huius rei habemus in calore, qui ad intenſionem vt octo peruenire poteſt, & hanc habet in igne, ita vt maiorem habere repugnet:ſicque de cæteris qualitatibus ſecundum proportionem,neceſſariò dicendum erit.

Probatur ſecundo, quantum ad terminum intrinſecum paruitatis ex Ariſtotele 6. lib. Phyſicorum text.69. vbi vniuerſaliter docet cuiuſlibet rei permanentis dari primũ eſſe in inſtanti productum,ſed qualitates non ſolũ ſecundum eſſe, ſed etiam ſecundum intenſionem ſunt res permanentes; cum conſtet 166

calorem,

calorem,& reliquas permanere poſtquam producta ſunt: ergo habent primum eſſe ſuę productionis;in quo verum eſt dicere, nunc primo calor eſt in aqua, & immediate ante non erat, & neceſſe eſt habere aliquam intenſionem, quia non eſt producibilis qualitas in ſubiecto,ſine aliqua perfectione, & ideo nec ſine aliqua intẽſione:ergo datur prima intenſio qualitatis apud Ariſtotelem, qua non eſt alia minor; quare hæc erit minima. Probatur etiam ratione primo, quia dum primo producitur calor in aqua,vbi prius non erat certum eſt expelli frigus per primum non eſſe, ita vt verum ſit dicere, nunc non eſt frigus in aqua,& immediatè ante non erat,non quidem totaliter, ſed ſecũdum aliquam eius partem,quia cum expellatur ſucceſſiuè, euidens eſt in eodem inſtanti adhuc multum frigoris permanere in ea.Si igitur verum eſt nunc, aliquid frigoris expulſum eſſe ab aqua:ergo verum erit in eodem inſtanti aliquid caloris eſſe introductum in ea.Probatur conſequentia, quia non expellitur vnum contrarium,niſi ad introductionem alterius;ſed illud caloris non poteſt introduci,niſi per motum, vel mutationem inſtantaneam:ergo neceſſe eſt dari primum eſſe motus alterationis,vt aſſerit Sonzinas,vel mutationem inſtantaneam præcedentem eumdem motum alterationis, per quam producatur calor minimus ſecundum intenſionem, vt aſſerit Toletus.Secundo,ſi talis intenſio minima ſimul,& primo producta non datur,ſed quælibet intenſio qualitatis eſt diuiſibilis in infinitum,ſequitur nec dari qualitatem ita remiſſam,quin remiſſior alia in infinitum detur. Ex quo etiam infertur remiſſionem procedere in infinitum,& ita nullum terminum,vel finem habere,ſed poſtquam ſemel incipit;eſſe perpetuã verſus finem, quod eſt abſurdum.Probatur hæc vltima conſequentia, nam ſi intenſio caloris verſus paruitatem eſt diuiſibilis in infinitas partes proportionales, ergo diuiſio eius procedit in infinitum, ſed ſicut diuiditur,ſic etiam corrumpitur per remiſſionem per partes non æquales,quia iam daretur vltima, & hæc eſſet maximè remiſſa,vltra quam non daretur alia remiſſior, & conſequenter minima intenſio eiuſdem caloris, vltra quam non daretur minor: ergo fit remiſſio qualitatis per partes proportionales,ſicut eius diuiſio. Vnde ſicut diuiſio eius procedit in infinitum, & ideo nullum terminum habere poteſt, ita remiſſio eius.

167 Secunda opinio duo aſſerit. Primum,qualitates ſecundum intenſionem habere terminum intrinſecum magnitudinis naturaliter,ſed per potentiam Dei abſolutam poſſe intendi in infinitum.Secundum, verſus paruitatem quoque nullum habere

termi

terminum ſuæ intenſionis. Itaque quantum ad terminum magnitudinis conuenit cum Scoto in vno,& differt in alio;cõuenit quidem in eo quod tribuit eis terminum intrinſecum magnitudinis naturaliter ; differt verò ſecundum potentiam Dei abſolutam,quo pacto etiam Scotus concedit eis eumdem terminum intrinſecum. Secunda vero opinio negat hoc modo habere talem terminum , ſed exiſtimat ſignato quocumque termino poſſe vltra illum intendi in infinitum. Quantum ad terminum vero paruitatis omnino contraria eſt Scoto,& alijs. Sed eam ſequuntur Sotus. 2. lib. Phyſ. q. 4. art. 3. concl. 5. Conimb. ibidem. q. 1. Franciſcus Suarius. 2. tomo ſuæ Methaph. diſp. 46. ſect. 4. & moderni ferè omnes, & videtur nobis probabilior, & ſequenda.

Probatur primum, quod de potentia Dei abſoluta non habeant terminum intrinſecum magnitudinis,ſed dato quocumque gradu intenſionis , poſſint habere maiorem in infinitum hac ratione. Dato quocumque gradu intenſionis,non repugnat habere maiorem ex parte diuinæ potentiæ,nec ex parte ipſiuſmet qualitatis, nec ex capacitate ſubiecti : ergo ſemper poteſt creſcere intenſio,quod eſt nullum habere terminum intrinſecum magnitudinis. Antecedens ex parte diuinæ potentiæ euidens eſt: ſed probatur ex parte ipſiuſmet qualitatis, quia intenſio eſt perfectio quædam accidentalis eius , non pertinens ad eſſentialia prædicata,ſed ſolum ad entitatem,in qua fundantur vt ſuperius oſtendimus;ergo quãtumcumque creſcat intenſio, non variantur eſſentialia prædicata eiuſdem qualitatis : quare non repugnat eſſentiæ eius quælibet intenſio quantumcumque magna,ſed maior poterit dari ſemper in infinitum: ex hac parte. Quod vero non repugnet ex parte ſubiecti probatur , quia licet capacitas ſubiecti ſit finita in ordine ad eſſentiam qualitatis,ſicut eſſentia ipſa finita eſt ; nihilominus ſicut eſſentiæ qualitatis finitæ non repugnat maior intenſio in infinitum, quia non variat eſſentiam eius,ita capacitati ſubiecti, ad quam eſſentia qualitatis ordinatur,non repugnat quæcumque intenſio qualitatis finita, quia capacitas ſubiecti proportionatur formæ recipiendæ.

Probatur deinde ſecundum , quòd intenſio qualitatis non 168
habeat terminum intrinſecum paruitatis,ita vt via generationis producatur qualitas ſub minima intenſione, qua non ſit dabilis minor alia,ſed neceſſarium eſſe, vt quacumque intenſione data prius ſit producta ſub minori in infinitum. Primo ex illo principio Ariſtotelis,quod habetur 6. lib. Phyſic. cap. 6. text. 53. & 54. in omni motu propriè ſumpto , nec dari primam

partem,

partem,nec primum mutatum esse,ex parte principij ,sed ante quamlibet partē dari mutatum esse indiuisibile, & ante quodlibet mutatum esse dari partē motus, & ideo nec dari primam partem motus, nec primum mutatum esse, sed solum habere initiatiuum extrinsecum, nempè contrariam qualitatem, à qua moueri incipit corpus. Ex quo ita arguo. Alteratio est propriè motus à contrario in contrarium, per quem fit qualitas, & intensio qualitatis est idem motus, per quem incipit qualitas produci,quia non potest produci de nouo, quin producatur cum aliqua intēsione:ergo non datur prima pars qualitatis producta quoad intensionem. Probatur consequentia, quia partes termini per motum producti correspondent partibus motus,per quas producuntur, & indiuisibilia termini indiuisibilibus motus: sed non datur prima pars motus intensionis,nec primum mutatum esse:ergo nec dabitur prima pars qualitatis quoad intensionem, nec primum indiuisibile eius, sed ante quamlibet intensionem quantumlibet paruam datur minor in infinitum. Secundo probatur, quia motus intensionis realiter est continuus, vt superius probauimus, & qualitas etiam quoad intensionem habet latitudintm continuatam suis proprijs indiuisibilibus; sed repugnat continuo habere minimam partem,cum quælibet pars eius sit diuisibilis in infinitum:ergo repugnat dari minimam intensionem qualitatis, quin sit dabilis alia minor in infinitum. Istæ rationes efficaciter probant aduersus Sonzinatam asserentem minimam illam qualitatem quoad intensionem produci per motum. Sed probatur duabus alijs, quod non sit naturaliter producibilis
169 per alterationem instantaneam. Primò, quia quilibet gradus qualitatis productæ quantumcumque paruæ intensionis diuisibilis est secundum eamdem intensionem, & ideo suam habet latitudinem,non minus, quàm alij gradus maioris intensionis,& præterea habet contrarium sine cuius expulsione non potest produci in subiecto,vt calor non potest produci in aqua sine expulsione frigoris: ergo non potest naturaliter produci in instanti,sed necessariò successiuè, sicut cæteri gradus maioris intensionis. Probatur consequentia, quia propter has duas causas tātum repugnat quemlibet alium gradum eiusdem qualitatis produci in instanti, vel per mutationem instantaneam. Vnde si primus gradus caloris potest produci per alterationem instantaneam naturaliter, quilibet alius gradus eodem modo produci poterit, & ita fiet alteratio in instantibus temporis per mutationes instantaneas, ac per minima, vnde non erit motus continuus,quod ostendimus esse falsum.Sed respon-

der

det Toletus qualitatem habere distinctam productionem ab intensione,ita vt alia sit alteratio, per quam producitur secundum entitatem,vel substantiam,ab ea per quam intenditur ; & ideo per primam alterationem instantaneam præcedentem motum intensionis produci qualitatem simpliciter , & simul, non successiuè in subiecto,& sic producta vocatur minima:diciturque consistere in indiuisibili, quia caret omni intensione, ratione cuius est diuisibilis. Hæc tamen solutio supponit falsum,nempe quòd productio qualitatis in subiecto sit distincta realiter ab omni eius intensione. Quòd vero idem sit motus realis,per quem producitur in subiecto , & per quem producitur cum aliqua intensione;sic ostendo : impossibire est produci qualitatem insubiecto extenso , quin producatur cum aliqua extensione ad partes eius;ergo impossibile est , quod producatur sine aliqua intensione : antecedens euidens est , quia pars subiecti,in qua producitur,extensa, ac diuisibilis est:ergo qualitas in ea producta habet esse extensum , & diuisibile : & ita producta est , vt prius sit producta in medietate illius partis agenti proxima,quàm in alia medietate remota.Consequentia vero sic probatur, agens naturale agit vniformiter deformiter in subiectum extensum, in quo inhæret cõtrarium;ita vt prius, & fortius agat in partem magis sibi propinquam , quam in remotiorem:ergo perfectiorem effectum producit in ea, & consequenter intensiorem,quàm in remotiori , quod verum est de qualibet parte propinquiori in infinitum : ergo repugnat produci qualitatem,quin producatur cum aliqua intensione.

Secundò , quia si minima qualitas producitur per mutatio- 170
nem instantaneam præcedentem motum : ergo falsum erit principium illud ex Aristotele adductum,quòd non detur primum mutatum esse in motu,sed ante quodlibet mutatum esse detur pars motus. Probatur consequentia , quia per illam mutationem instantaneam verum est mutatum esse mobile, & tamen nondum mouetur:ergo datur mutatum esse ante motum: quod repugnat,quia mutatum esse non est aliud, quàm mobile peruenisse ad talem partem, vel gradum termini acquisiti , ad quam non peruenit , nisi per motum:ergo repugnat dari mutatum esse præcedens totũ motũ.Et si dicatur mutatũ esse motus, hoc est indiuisibile terminatiuum , vel continuatiuum partium eius,non posse præcedere totum motum, bene tamen mutatum esse per mutationem instantaneam , & Aristotelem solum loqui de mutato esse motus , non de alio , quare non erit contra doctrinam Aristotelis ponere minimam qualitatem acquisitam per mutationem præcedentem motum

in instan

in inſtanti,quod eſt vltimum non eſſe eiuſdem motus. Contra hoc eſt,quod in cæteris motibus, nempe augmentatione,& latione, neque Ariſtoteles, neque alius vmquam poſuit talem partem minimam termini productam per mutationem inſtantaneam,nec eſt naturaliter poſſibilis, quod ſic probo. Impoſſibile eſt in rebus ad quas per ſe terminatur motus, vllam partem earum ſimul, aut in inſtanti produci, ſed neceſſariò in tempore,& cum ſucceſſione; ergo falſum eſt in alteratione ponere minimam qualitatem ſimul, & in inſtanti productam per actionem inſtantaneam;probatur conſequentia, quia non eſt minus diuiſibilis qualitas acquiſita per alterationem verſus principium,quam verſus medium,& finem:ſed nulla datur pars in medio,& fine acquiſita in inſtanti, aut ſimul; ergo nec dari poteſt in principio. Non eſt etiam minus diuiſibilis qualitas, quàm termini aliorum motuum, ſed per cæteros motus nulla pars termini acquiri poteſt in inſtanti; ergo neque in motu alterationis.Et rãdem probatur,quia aliæ partes eiuſdem qualitatis non poſſunt ſimul,vel in inſtanti produci, quia producuntur in ſubiecto cum reſiſtentia contrarij, ſed eodem modo producitur prima, vt per ſe eſt manifeſtum; cum ſit eiuſdem rationis,& eodem modo habeat contrarium in ſubiecto; ergo non poteſt ſimul,ſed ſucceſſiuè produci,& ideo non poteſt dari prima.

171 Sed contra hoc eſt difficile argumentum,quia qualitas producta per alterationem eſt res permanens, continua quoad intenſionem,& finita:ergo eſt cõtinuum finitum,ſed omne continuum finitum,& permanens habet duo indiuiſibilia extrema quibus terminatur, vt patet de linea terminata duobus extremis punctis: ergo quælibet qualitas intenſa debet habere duo indiuiſibilia intenſionis, quibus finita eius intenſio ſit terminata,videlicet primum,& vltimum:ſed primũ non poteſt produci per partem motus cum præcedat totum motum:ergo producitur per mutationem inſtantaneam præcedentem motum; & non poteſt produci ſeparatum ab omni parte eiuſdem qualitatis;ergo producitur cõiunctum alicui parti:hæc igitur pars erit minima qualitas quoad intenſionem ſimul, & in inſtanti producta per alterationem inſtantaneam præcedentem totum motum intenſionis.Reſpondetur tamen primo negando antecedens, quod qualitas producibilis per motum ſit res omnino permanens, ſed aliquid ſucceſſiui habet ex modo ſuæ productionis, & ideo vocari poteſt ſucceſſiua quantum ad fieri.licet ſit permanens in facto eſſe.Et quia ex modo, quo producitur, debet ſumi modus, quo terminatur intenſió eius,talis modus

termina

Digitized by Google

terminationis ſimilis eſt ei, quem habet motus, per quem fieri nata eſt. Et de motu conſtat non habere terminum intrinſecum verſus principium, ſed extrinſecum tantum, intrinſecum vero verſus finem: ergo eodem modo terminatur qualitas per eum producibilis. Et propterea non habet niſi vnum extremum intrinſecum, & poſitiuum, nempè verſus finem, ex parte vero principij ſolum terminatur negatiuè intenſio eius, quia verum eſt à contrario incepiſſe, & ideo principium habere intenſionem eius, quia primam partem aliquotam habet, licet non primam proportionalem. Secùdo reſpondetur habere quidem primum indiuiſibile intenſionis ex parte principij, non tamen eſſe productum per mutationem inſtantaneam, ſed per primam partem aliquotã motus, cum parte qualitatis aliquota, cuius principium eſt, quod non poteſt eſſe verum de aliquo alio indiuiſibili termini, quia omne aliud indiuiſibile ſuccedit parti, & eſt quaſi eſſe acquiſitum eius; ideo ſupponit partem motus, per quam producitur eadem pars termini, & non poteſt per eam produci, ſed per mutationem inſtantaneam ſubſequentem partem motus, & eam terminantem: primum autem indiuiſibile intenſionis non præſupponit partem intenſionis productam, ſed eſt initium primæ partis aliquotæ, & propterea ſimul cum ea producitur per partem motus, & in parte temporis, non quidem primario, vel adæquatè, ſed quaſi ex conſequenti, & inadæquatè.

Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ, quod probabat qualitates ſecundum ſe habere terminum intrinſecum magnitudinis ſuæ intenſionis; reſpondetur, probare intentum modo naturali loquendo, & hoc modo non eſſe contra nos, qui concedimus modo naturali terminari intrinſicè intenſionem qualitatis, per maximum quod ſic, non tamen probare, quod talem terminum habeat, etiam per potentiam Dei abſolutam, vt videtur intendere Scotus, quia licet conſona ſit naturæ harum qualitatum determinata intenſio, vltra quam non amplius poſſint intendi ab agente naturali, ſed non repugnat eſſentiæ earum maiorem habere poſſe in infinitum, ſicut non repugnat quantitati maiorem ſemper eſſe poſſe in infinitum, ideo per potentiam Dei abſolutam, dato quocumque termino vltra illum poſſunt intendi in infinitum. 172

Ad teſtimonium Ariſtot. pro termino paruitatis intrinſeco adductum reſpondetur, qualitates producibiles per motum eſſe quidem permanentes in ſuo eſſe, ſed aptas fieri ſucceſſiuè per motum, propter latitudinem contrarietatis, quam habent, & propterea non habere primum eſſe dum fiunt, ſed per vltimum

non esse produci ad modum rerum successiuarum. Aristoteles ergo dum asserit res permanentes habere primum esse, solum loquitur de permanentibus in esse, & fieri quales sunt perfectæ substantiæ, nam adhuc de imperfectis, valde probabile est successiuè fieri, vt aqua, vel ignis, & ideo non habere primum esse.

Ad primum argumentum pro eadem minima intensione negandum est antecedens, quod in productione caloris expellatur, vel desinat frigus per primum non esse, sed absque dubio desinit per vltimum sui esse. Quod sic probo; motus calefactionis incipit per vltimum non esse, & nullo modo per primum esse: ergo verum est dicere de calore, qui per eum producitur, nunc non est, & immediatè post erit; sed productio caloris est expulsio frigoris; & ideo esse caloris in subiecto est non esse frigoris in eo: ergo verum erit de frigore, nunc esse in subiecto, & immediatè post non esse, quod est desinere per vltimum esse. Et si dicatur desinere per vltimum esse, non absolutè, sed sub esse tanto, nempe in eodem grada, in quo incipit esse calor, & hoc esse possibile, quia frigus vt tantum, hoc est, sub tali gradu vt vnum, vel vt dimidium habet modum indiuisibilis incipientis, & desinentis simul, & in instanti. Probatur esse falsum hoc argumento. Calor incipit esse immediatè post, & frigus etiam desinit immediatè post: sed immediatè post non dicit instans, nec determinatum tempus, sed tempus indeterminatum; sed in tempore indeterminato repugnat produci calorem, vel frigus sub aliquo gradu determinato, vel indiuisibili, sed solum producitur sub ratione indeterminata, & ideo dicimus absolutè futurum immediatè post, & non cum additione aliqua: ergo absolutè verum est, quod desinat per vltimum sui esse. Quod vero dictum est 6. lib. Phys. res omnes diuisibiles desinere per primum non esse, & non posse desinere per vltimum esse, intelligi debet dum res ad cuius inceptionem desinunt, incipit per primum sui esse; tunc enim necessarium est, sed non est minus necessarium easdem res desinere per vltimum esse, si res aliæ, ad cuius inceptionem desinunt, incipiant per vltimum non esse, vt consideranti est manifestum.

173 Ad secundum, neganda est consequentia, quòd remissio qualitatis procedat in infinitum, quamuis diuisio eius secundum intensionem procedat in infinitum: & ratio differentiæ est, quia diuisio fit per solas partes proportionales, & ideo nullum prorsus terminum habet, nec habere potest remissio cum fit motus, non fit per solas partes proportionales, sed etiam per æquales, in quibus illæ continentur, ita vt per partem motus æqualem

infinitas

infinitas proportionales habentem,& partem temporis finitam menſuratam producatur etiam pars æqualis intenſionis habens infinitas proportionales, & cum partes aliquotæ, ſeu æquales motus,& qualitatis productæ,atque etiam temporis ſint finitæ, & nihilominus quælibet contineat proportionales actu infinitas, tota intenſio finita ſimpliciter eſt, ſicut motus finitus eſt ſimpliciter; ideo tempore etiam finito abſoluitur, & in infinitum non procedit, ſicut de motu locali probat Ariſtoteles aduerſus Zenonem 6.& 8.lib. Phyſicorum, quod non procedat in infinitum,ſed tempore finito abſoluatur,quia non procedit per ſolas partes proportionales, ſed etiam per æquales, in quibus infinitæ proportionales includuntur, facientes nihilominus partes aliquotas actu finitas,& totum motum actu finitum,per quem omnes partes aliquotæ ſpatij actu finitæ, & totum ſpatium actu finitum tempore etiam finito pertranſit mobile.

Quomodo terminentur qualitates quoad intenſionem, vt ſunt diſpoſitiones formarum ſubſtantialium.

EXplicatum eſt iam quomodo terminentur qualitates ſecundum ſe conſideratæ, quantum ad intenſionem. Sequitur autem ordine debito explicandum, quomodo terminetur intenſio earum,vt ſunt diſpoſitiones formarum ſubſtantialium, in quo minor eſt difficultas. Et ideo breuiter explicanda eſt. Primo quidem quantum ad terminum magnitudinis, quem dicimus habere intrinſecum, ita vt ad tantam poſſint peruenire intenſionem, vt maiorem habere naturaliter repugnet, vt ignis petit intenſionem caloris vt octo, ita vt maiorem non poſſit habere naturaliter, ſiccitatem verò fortè vt ſex, vel quid ſimile; & hos gradus habent pro terminis intrinſecis magnitudinis ſuæ intenſionis, & eadem eſt ratio de cæteris qualitatibus ſecundum proportionem in ordine ad formas ſubſtantiales, cuius diſpoſitiones ſunt, & hoc eſt verum de diſpoſitionibus ſimultaneis. De termino vero paruitatis via generationis, quæ conſideratio pertinet ad diſpoſitiones præcedentes introductionem formæ, diuerſo modo loquendum eſt ſecundum diuerſas opiniones de ſubiecto accidentium: nam qui tenent accidentia eſſe in ſola materia tanquam in ſubiecto inhæſionis, & propterea eadem manere poſſe in genito, quæ erant in corrupto, dicent diſpoſitiones, habere terminum intrinſecum paruitatis, ita vt talis gradus intenſionis requiratur ad introductionem talis formæ, & expulſionem oppoſitæ, vt cum minori non poſſit vna introduci, nec expelli altera, vt ad 174

introductionem formæ ignis, & expulsionem formæ ligni ex parte materiæ requiri calorem vt sex; ita vt cum minori introduci non possit vna, nec expelli altera. Qui vero putant subiectum accidentium esse compositum, & propterea non posse vlla accidentia eadem numero quæ erant in genito manere in corrupto, non possunt concedere dispositionibus terminum intrinsecum paruitatis suæ intensionis, quia non potest esse verum cum hac opinione, quod talis gradus caloris requiratur ad introductionem formæ ignis, & expulsionem oppositæ, ita vt cum minori non possit vna introduci, & expelli altera, quia talis gradus caloris debet esse in ligno tanquam in subiecto; nam si in igne sit, non expelletur ab eo forma ligni, nec introduceтur forma ignis; in ligno autem esse non potest, quia quamdiu est in ligno, non potest esse expulsa forma eiusdem ligni, nec introducta forma ignis; vnde sequitur intensionem disputationum non posse cum hac opinione habere terminum paruitatis intrinsecum, sed extrinsecum tantum, ita vt verum sit, cum tali gradu caloris non posse permanere formam ligni, sed expulsam esse, & introductam formam ignis, cum quacumque tamen minori non esse expulsam illam, nec introductam hanc, sed expelli in fieri, hoc est, toto tempore, quo dispositiones non attingunt illum gradum agere causam efficientem ad expulsionem vnius, & introductionem alterius; vno igitur, vel alio modo loquendum est de termino paruitatis secundum diuersas opiniones de subiecto accidentium. Itaque vniuersaliter verum est, intensionem qualitatum, vt sunt dispositiones formarum substantialium, terminari ad certum gradum, tam versus magnitudinem, quàm versus paruitatem; sed versus magnitudinem termino intrinseco, qui dicitur *maximum quod sic*; versus paruitatem vero termino etiam intrinseco, qui dicitur *minimum quod sic*; vel saltem extrinseco, qui vocatur *maximum quod non*. Probatur vtrumque hoc argumento. Quælibet forma substantialis habet perfectionem determinatam, non solum secundum speciem, sed etiam secundum differentiam indiuidualem: ergo petit pro suo esse, atque introductione in materia determinatum gradum dispositionis, quantum ad intensionem. Probatur consequentia, quia inter formam substantialem, & dispositiones ad eam requisitas debet esse proportio, præcipuè secundum gradum intensionis, à quo sumitur determinata perfectio qualitatis, vt est dispositio ad formam.

De ter

De termino intensionis qualitatum supernaturalium.

QValitates supernaturales vocantur gratia, & charitas, ac 171
cæteræ virtutes, quæ cum eis infunduntur nobis à Deo, vt ab agente supernaturali, & intenduntur duobus modis; videlicet ex opere operato, hoc est ex virtute sacramentorum, si dignè recipiantur, vel per nostros proprios actus bonos in gratia, & charitate factos; & quamuis ad Theologiam propriè pertineat agere de intensione harum qualitatum, sicut de qualitatibus ipsis, vt tamen completa sit disputatio dè terminis qualitatum quantum ad intensionem, breuissimè agendum est de terminis intensionis earum; habent enim suos gradus, vel graduales partes intensionis qualitates istæ proportionales, & aliquotas, in quas diuidi possunt in infinitum, sicut qualitates naturales, & corporeas; sed differunt ab his, quia non sunt dispositiones ad formas substantiales, sed solum sunt supernaturales quædam participationes diuini esse supernaturalis, per quas anima nostra maximè perficitur. Et de termino paruitatis earum nullum video dubitantem, sed omnes tenent non esse eis concedendum intrinsecum, ita vt tam minima detur gratia, vel charitas in anima, vt minor, vel minus intensa dari non possit, sed data quacumque, potest dari alia minus intensa in infinitum; quod absolutè verum est de his qualitatibus secundum se sumptis: sed quia per sacramenta infunduntur animæ secundum mensuram dispositionis, contingit aliquando, vt nulla sit dispositio in anima, vt in pueris baptizatis ante vsum rationis,& tunc datur eis minima gratia determinata per diuinam voluntatem:dicitur autem minima,non absolutè,& secundum se,quia secundum se minor esse potest, sed accidentaliter, & ex suppositione in ordine ad subiectum nullam habens dispositionem. Solum potest esse dubium de termino magnitudinis earum quantum ad intensionem, an intrinsecus sit; ita vt ad talem gradum intensionis peruenire possint, vltra quem non possint intendi, vel dato quocumque gradu maiorem habere possint in infinitum.

Et prima opinio tenet,quod qualitates istæ secundum pro- 172
priam naturam habent terminum intrinsecum suæ intensionis versus magnitudinem, ita vt ad talem gradum peruenire possint, vltra quem repugnat intendi etiam per potentiam Dei absolutam,& talem gradum summum habere dicunt gratiam habitualem Christi, quæ si posset intendi, posset etiam dari alia maior, & melior, quod est absurdum. Ita Scotus in 3. distinct

13. quæſt.4. §. *Ad primam quæſtionem dico.* Quem ſequuntur Durand. ibidem, & Caiet.3.parte,q.7.art.12.

Probatur primò,quia ſi accipiamus gratiam vt vnum, & intendatur quantum poſſibile eſt per potentiam Dei abſolutam; certum eſt non poſſe amplius intendi, vel ergo habebit tunc determinatum gradum intenſionis, & talis gradus erit *maximum quod ſic* intenſionis eius,cum non poſſit amplius intendi: vel non habebit determinatum gradum intenſionis; ſed intenſionem actu infinitam,quod eſt impoſſibile,cum infinita intenſio,ſit infinita perfectio repugnans creaturæ.Secundo,ſi gratia, & charitas non habent terminum intrinſecum ſuæ intenſionis, ſed dato quocunque gradu poſſunt maiorem intenſionem in infinitum ſuſcipere,ſequitur poſſe eſſe actu infinitas ſecundum intenſionem. Probatur conſequentia,quia totam intenſionem, quam poſſunt habere ſucceſſiuè,poteſt Deus per abſolutam potentiam ſimul eis tribuere;ſed intenſio earum poteſt ſucceſſiuè eſſe maior in infinitum: ergo poſſunt ſimul habere à Deo actu infinitam.conſequens autem probatur falſum,quia gratia actu infinita ſecundum intenſionem non poteſt recipi in anima, cum capacitas eius omnibus modis ſit finita: ergo neceſſe eſt gratiam,& charitatem habere terminum intrinſecum ſuæ intenſionis verſus magnitudinem,quem ſi non habeant, poterit gratia cuiuſlibet hominis in hac vita exiſtentis maiorē habere intenſionem,quam gratia cuiuſcunque beati,contra illud Matthæi.11.vbi de Ioanne Baptiſta,qui habuit perfectiſſimam gratiam,dicitur: *Qui autem minor eſt in regno cælorum,maior eſt illo.*

177 Secunda opinio affirmat has qualitates ſupernaturales nullum habere terminum intrinſecum magnitudinis in ſua intenſione, ſed dato quocumque gradu intenſionis quantumcumque maximo poſſe adhuc intendi in infinitum. Ita D.Thomas de gratia,& charitate 12.q.24.artic.7.& hæc eſt probabilior,& tenenda. Probatur efficaciter ratione D. Thomæ ibidem hoc modo. Intenſio alicuius formæ ſolum ex triplici capite poteſt eſſe finita, nempe ex parte ipſius formæ, quæ ita petit determinatum gradum intenſionis, vt non poſſit illum excedere, quin varietur eſſentia eius,& in aliam ſpeciem conuertatur:vel ex parte agentis, cuius virtus ad intendendam talem formam limitata eſt, ita vt vltra certum gradum non poſſit eam intendere: vel ex parte ſubiecti in quo recipitur talis forma, cuius capacitas finita eſt, & ideo non poteſt recipere formam, niſi cum determinato gradu intenſionis. Sed ex nullo capite habent qualitates iſtæ terminum intrinſecum magnitudinis:ergo non eſt eis concedendus. Probatur minor,nā qualitates iſtæ

ſuper

ſupernaturales ſunt immediatæ quædam participationes diuini amoris ſupernaturalis, per quem diligitur anima à Deo in ordine ad beatitudinem; ſed participatio iſta nullum habet ex ſe terminum, niſi quem ei præfigit Deus ipſe eam diligens: ergo non habet ex ſe terminum intrinſecum ſuę intenſionis. Virtus etiam Dei agentis ſupernaturalis, à quo infunduntur gratia, & charitas in anima, de ſe eſt infinita, vt conſtat; & tandem capacitas ſubiecti, quod eſt anima, non diminuitur, ſed augetur per has qualitates, ita vt quo plus intenſionis earum recipit, plus etiam recipere poſſit, quia quo plus recipit, eo fit obiectū maioris dilectionis, per quā gratia & charitas eius intendi debet; ergo nulla ex parte poſtulat terminum intrinſecum.

Ad primum argumentum Scoti negandum eſt, quod ſuppo- 168
nit, nempe gratiam vt vnum poſſe intendi à Deo quantum poſſibile eſt, quia tota intenſio, quam poteſt ſuſcipere, non eſt determinata, ſed infinita in potentia, ita vt data quacumque poſſit ſemper habere maiorem, id autem, quod non habet actualem terminum vltra quem procedere non poſſit, licèt habeat eſſe finitum, ſed non determinatum ad talem gradum, quod vero non habet eſſe ſic determinatum, non poteſt totum ſimul produci extra cauſas, quia quidquid producitur extra cauſas, ſub certo gradu perfectionis produci debet. Exemplum eſſe poteſt diuiſio continui, quæ ſemper eſt actu finita, ſed infinita in potentia, nullum habens terminum, vltra quem procedere non poſſit: & tamen non ſequitur quod omnes diuiſiones poſſibiles continui poſſit Deus ſimul facere: ſic ergo dicendum eſt, intenſionem qualitatum ſupernaturalium eſſe actu finitam, ſed infinitam in potentia, & ideo repugnat totam ſimul produci à Deo, vel intendi qualitatem, quantum poſſibile eſt.

Ad ſecundum, neganda eſt conſequentia, quod intenſio harum qualitatum poſſit eſſe actu infinita. Et dum dicitur poſſe Deum ſimul facere quæcumque facit ſucceſſiuè, negandum quoque eſt, etiam in rebus permanentibus, nam ſi perfectio earum actuali termino careat, vltra quem non poſſit creſcere, impoſſibile eſt totam eius perfectionem actu produci extra cauſas, quia quod non habet eſſe actuale determinatum non eſt actu producibile totum extra cauſas, vt probat diuiſio continui. Et quod additur in eodem argumento, nempe capacitatem animæ omnibus modis eſſe finitam, negamus, quia licet ſit actu finita, ita vt non poſſit recipere gratiam actu infinitam, ſed quidquid gratiæ actu recipit, finitum eſſe debeat, eſt tamen infinita in potentia, ita vt ſemper poſſit

Digitized by Google

intensionem gratiam recipere. Ex quo euidenter sequitur, gratiam, quam recipere potest, non habere terminum intrinsecum magnitudinis quoad intensionem, sed extrinsecum tantùm, & terminus iste non est alius, quàm gratia actu infinita, quam recipere non potest (sed nec possibilis est) bene tamen quamlibet finitam sine termino. Et quod tandem additur, ex hoc sequi gratiam hominis in hac vita existentis, posse esse æqualem, immo maiorem gratia cuiuscumque beati, distinguendum est: nam secundum intensionem, æqualis, & maior esse potest per potentiam Dei absolutam, sed secundum eam perfectionem, quam habet gratia cuiuslibet beati ex dignitate, & qualitate actus beatitudinis, semper est maior quàcumque gratia viatoris; in quo sensu intelliguntur verba Scripturæ allata.

179 De gratia tandem Christi Domini eodem fere modo respondet D. Thomas 3. p. q. 7. artic. 12. dupliciter sumi posse, nempe secundum intensionē, aut secundum dignitatem, quam habet ex tali persona, hoc est, ex vnione naturæ humanæ ad Verbum, quam sequitur, atque etiam ex aliis effectibus ex eadem vnione prouenientibus. Et si sumatur secundum intensionem præcise, concedendum est, posse Deum de potentia absoluta facere aliam gratiam intensiorem in infinitum, & ideo maiorem, & meliorem secundum hanc considerationem, quàm sit gratia Christi; repugnat tamen fieri aliquid maius, & melius eadem gratia secundo modo considerata, etiam per potentiam Dei absolutam, quia nec possibile est, sequi maiorem, aut excellentiorem vnionem, nec reperiri in persona digniori, aut in altiorem finem ordinari. Et adhuc secundum intensionem considerata gratia Christi dicitur summa, in hoc sensu, quia non potest dari maior secundum potentiam ordinariam, quamuis non sit summa. Reliqua vero, quæ ad has qualitates pertinent, Theologis relinquenda sunt.

De terminis qualitatum naturalium quoad extensionem.

180 EOdem prorsus modo loquendum est de qualitatibus naturalibus quoad extensionem, ac loquuti sumus de intensione earū, & ita dicendum primo, nō habere terminum intrinsecum magnitudinis; sed ad quascunque partes subiecti posse se extendere in infinitum, ita vt si dari potest corpus actu infinitum, ad totum illud posse se extendere qualitatem. De termino etiam paruitatis intrinseco via generationis, dicendum est, qualitatibus non conuenire, etiam vt sunt dispositiones formarum

Digitized by Google

ſubſtantialium, nam licet ſubſtantiæ concedatur determinata quantitas, ſub qua generari poteſt,& non ſub minori, adhuc in tali minimo non haberet minimam extenſionem calor,vel frifrigus,vt diſpoſitiones ſunt ; ſed prius in medietate eius proximiori agenti introduceretur, & prius in medietate illius medietatis in infinitum, ita vt nulla detur tam parua extenſio eius, quin data ſit prius minor in infinitum. Solum ergo conceditur eis terminus extrinſecus extenſionis, qui videtur eſſe punctum : nam data qualibet quantitate, ad quam extendantur,prius extenduntur ad minorem. Et eiſdem rationibus,quibus probatum eſt, non habere terminos intrinſecos magnitudinis, & paruitatis, quoad intenſionem, probandum eſt, nec eos habere quoad extenſionem, non ſunt tamen eadem argumenta repetenda, ſed applicanda, quod facili negotio fieri poteſt.

QVÆSTIO VIII.

De ſubiecto alterationis, & aliorum accidentium corporeæ ſubſtantiæ,an ſit ſola materia, vel compoſitum?

INter alias differentias, quas Ariſtoteles aſſignauit inter ge- 181
nerationem, & corruptionem ex vna parte, & alterationem ex alia,vna fuit ex parte ſubiecti,quia per generationem ſolum mutatur materia à priuatione vnius formæ ad eamdem formam ; per alterationem vero mutatur compoſitum ſecundum diuerſas paſſiones, quæ ei poſſunt accidere, hoc eſt,ſecundum diuerſas qualitates. Propterea ſicut de ſubiecto generationis ſuo loco dubitatum eſt,an ſit materia,vel compoſitum,ad quod terminatur,ita de alteratione dubitamus modo,an ſit compoſitum,vel ſola materia. Et cum idem debeat eſſe ſubiectũ motus, & termini, quia ſubiectum mouetur propter terminum adquirendum,& terminus in quem tendit alteratio,ſint qualitates,de his eſt eadem quæſtio, an ſint in materia prima vel compoſito. Et tandem cum qualitates corporeæ ad quas terminatur Phyſica alteratio (de qua ſola agit Ariſtoteles, & cum eo nos) inhæreant ſubſtantiæ media quantitate ſicut cætera accidentia corporea in eodem ſubiecto,in quo fuerit quantitas,erunt qualitates iſtæ cum ſuis alterationibus,per quas producuntur, atq; etiam cum cæteris corporeis accidentibus. Propterea procedit quæſtio de quantitate primo, & conſequenter de qualitatibus,

cæteriſque accidentibus corporeis, quæ duplicia ſunt;quædam incompleta,vel quaſi partialia,quæ ex propria natura parti , & non toti conueniunt, vt relationes partium inter ſeſe,& ad totum;atq; etiam generatio,& corruptio ſubſtantialis,& his ſimilia,de quorum ſubiecto conſtat , quod non ſit compoſitum,ſed partes ipſæ,nempe forma,vel materia:quare de his nõ procedit quæſtio,ſed de aliis,quæ conueniunt quidẽ cõpoſito,atq; etiam materiæ,vt quantitas,& reliqua accidentia corporea,de quibus merito dubitatur , an in hac, vel potius in illo ſint tanquam in proprio ſubiecto.Sed adhuc ſubiectum duplex eſſe poteſt,inhæſionis, & denominationis , vt in ſimitate conſtat , cuius ſubiectum inhæſionis eſt naſus , denominationis vero totus homo, qui denominatur ſimus, à ſimitate exiſtente in ſolo naſo : non ergo inquirimus de ſubiecto denominationis , ſed inhæſionis tantum. Quod adhuc eſt duplex, proximum,& remotum;proximum eſt,cui proximè inhærent accidentia,remotum, cui inhærent ratione proximi. Procedit autem quæſtio de ſubiecto inhæſionis proximo non remoto.

282 Et prima opinio aſſerit non eſſe compoſitum,ſed materiam: ita Auerroes in lib.de ſubſtantia orbis,& 1.lib.Phyſ. comm.63. quibus locis docet in materia prima eſſe quaſdam dimenſiones interminatas illi coæuas , hoc eſt à principio , quo creata eſt,ei inhærentes,& numquam ab ea ſeparabiles , ſed ingenerabiles,atque incorruptibiles.Per dimenſiones autẽ interminatas intelligit quantitatem , quæ quantum eſt ex parte ipſius materiæ,in qua inhæret,nec certam aliquam raritatem, vel denſitatem,nec certum terminum ſuę magnitudinis,aut paruitatis,nec aliquam determinatam figuram poſtulat , quamuis à parte rei determinatam ſemper figuram habeat , atque etiam aliquem terminum magnitudinis, aut paruitatis ſecundum exigentiam formæ ſubſtantialis. Quantitatem igitur interminatam aſſerit eſſe in nuda materia tamquam in proprio ſubiecto , & ſemper cum ea perſeuerare eamdem numero in omnibus generationibus,& corruptionibus:& cum cętera accidentia corporea inhæreant ſubiecto mediante quantitate,in eadem materia eſſe. Ita etiam ſentiunt Simplicius.1. lib.Phyſ. text.69. Philop.1.lib. de generat.text.33.& 40.Ammonius in Prædicamẽto quantitatis. Gregor.in 2.d.11.q.2.artic.1.Aureol.apud Capreol.d.13.q.1.in argum.contra.3.concl.Marſilius.1. lib.de generat.q.7. Venetus in ſumma de gen.capit.54.Ægidius 7.Metaph.q.4.Nimphus.8. Meth. diſp.4. Zimara theorem. 46. & à quibuſdam citatur pro hac ſententia D.Tho. in 4. d.11. q.1.art.2. quæſtiuncula 4.Sed ſolum eam refert ad propoſitum illius quæſtionis,nõ ſequitur.

Sed

Digitized by Go

Sed tribus modis intelligitur hæc ſententia à recentioribus, qui eam ſequuntur. Multi enim ſolam, & nudam materiam aſſerunt eſſe ſubiectum proximum quantitatis, & omnium accidentium materialium; ita vt ipſa per ſe, & ſine adminiculo formæ ſufficiens ſit ad recipienda hæc omnia accidentia, & formam ad id non eſſe vllo modo neceſſariam, quamuis non poſſit eſſe materia in rerum natura ſine illa naturaliter: & ita ad recipienda accidentia ſolum ſe habeat quaſi comitanter: vnde cum non dependeat receptio accidentium in materia ex vnione formæ cum ea, nec etiam deſinunt eſſe in materia per ſeparationem formarum, ſed eadem numero, quæ erant in corrupto, permanent in genito. Alij vero materiam quidem ſubiectum inhæſionis omnium accidentium eſſe concedunt, non tamen nudam, ſed prius vnitam formæ, ita vt non poſſit ea naturaliter recipere ſine forma: ſed non ideo dicunt formam eſſe aliquo modo ſubiectum eorum etiam partiale, nam officium ſubiecti ſola materia exercet; ſed quia exiſtentia actualis materiæ, per quam eſt in rerum natura, ex ſe eſt imperfectiſſima, ſicut materia ipſa: & propterea non poteſt materia per illam exiſtere naturaliter, niſi vnita, & quaſi fulcita per formam; nec etiam poteſt ſuſtentare naturaliter accidentia, niſi informata, quia per informationem quaſi perficitur, atque fulcitur exiſtentia eius, vt poſſit eſſe ſubiectum eorum: conſequenter aſſerunt ſeparata forma in corruptione compoſiti deſinere accidentia omnia, quæ erant in materia, nec permanere eadem numero in re genita, quæ erant in corrupta. Ita Conimb. 1. lib. de generat. cap. 4. quæſt. 4. artic. 1. & alij.

Alij denique cum primis, & ſecundis conueniunt in eo, 183
quod ſola materia ſit ſubiectum accidentium, ſed dependenter à forma id habere docent, non tamen vt à cauſa formali extrinſeca, vt ſecundi, ſed tamquam ab efficienti, à qua procedit in hoc genere quantitas, & conſequenter cætera accidentia, ita vt à prima forma, quam materia habuit, proceſſerint tamquam ab efficienti, à formis vero ſuccedentibus tamquam à conſeruante in genere cauſæ efficientis: quia non repugnat eumdem numero effectum conſeruari à Deo per diuerſas cauſas ſecundas ſibi ſuccedentes. Et quod de quantitate dicitur, de cæteris accidentibus, in quibus conueniunt corpora genita cum corruptis intelligunt; de his vero, in quibus diſſimilia ſunt, aſſerunt, de nouo procedere à noua forma. Et ideo nec omnia accidentia rei, quæ corrumpitur, permanere eãdẽ numero in re genita, nec omnia eſſe numero diuerſa, ſed quãtitatẽ cum his, in quibus ſimilia sũt, permanere

eamdem

eamdem numero : cætera vero , in quibus differunt corrumpi cum ſubſtantia , & alia numero diuerſa procedere à forma geniti,quia licet ſimilia poſſint à diuerſis conſeruari ,eadem numero,ſed diuerſa non poſſunt, niſi à diuerſis efficientibus procedere.

Probant autem , quod materia ſit ſubiectum accidentium, in quo omnes iſti authores conueniunt teſtimonijs Ariſtot.1. lib.de Gener.c.4.tex.24.& lib.2.tex.27.vbi ait,quod dum vnum elementum tranſmutatur in aliud, non corrumpuntur omnia accidentia,ſed permanent in genito illa omnia, in quibus aſſimilantur,vt quando ex aëre generatur aqua , permanent in aqua genita tranſparentia,& humiditas aëris;cum non ſit à quo corrumpantur.Sed non poſſunt permanere eadem accidentia,ſi ſint in compoſito,tãquam in ſubiecto ; cum non maneat idem compoſitum:ergo ſi eadem permanent,erunt in materia eadem numero permanente:& 2.lib.de generat.tex. 6. aſſerit diſpoſitiones præcedentes pro introductione alicuius formæ cum alterationibus,per quas producuntur,verſari circa materiam:ſentit ergo eſſe in ea tamquam in ſubiecto ; circa quod operatur agens.

Probatur etiam innumeris penè argumentis ab eiſdem , ex quibus hæc videntur mihi ſeligenda , quæ maioris momenti ſunt. Primũ, quia vt aliquid ſuſtentet aliud tãquam ſubiectum eius,hoc ſolum requiritur , & ſufficit , quod habeat entitatem realem extra cauſas,cum actuali exiſtentia , & ſubſiſtentia , ſed hæc habet materia ex ſe,& non à forma , vel compoſita , vt in 1.lib.Phyſ.probauimus : ergo ſufficiens eſt ex ſe ad ſuſtentanda accidentia. Quod ex formis ſubſtantialibus materialibus confirmari poteſt,quas materia ſuſtentat,tamquam proprium ſubiectum earum,in quo inhærent,& à quo dependẽt,non minus, quam accidentales, & hoc ratione propriæ exiſtentiæ , & ſubſiſtentiæ,ſine quibus non poſſet eas ſuſtentare , quia quod uon exiſtit,nec ſubſiſtit in ſe , & ex ſe , non poteſt alia ſuſtentare: ergo materia ſufficiens eſt,atque idoneum ſubiectum omnium accidentium.

184 Secundo, probant compoſitum non poſſe eſſe ſubiectum accidentium in homine,in quo vnica eſt forma ſubſtantialis , & hæc ſpiritualis, vt probabitur 1.lib.de anima. Quo ſuppoſito ita arguunt;quantitas non poteſt eſſe in toto homine tãquam in ſubiecto,in quo inhæreat, nec poteſt eſſe in anima:ergo eſt in ſola materia.Antecedẽs quantum ad animã euidens eſt,nam cum ſit ſpiritualis,atque indiuiſibilis , non eſt capax quantitatis,nec accidentium materialium. Sed probatur de compoſito,

quia

quia repugnat accidens immediatè vnire compoſito per inhæſionem,quin immediatè etiã attingat ſua vnione materiam, & formam per modum vnius, nam ex his vnitis conſtat compoſitum, & ſecundum probabiliorem ſententiam non eſt alia entitas realis, præter materiam formam, & vnionem: ſed repugnat quantitatem, & accidentia corporea attingere animam rationalem,aut ei vllo modo inhærere: ergo non minus repugnabit inhærere compoſito cuius ipſa eſt forma.

Tertium,quia agens naturale, atque corporeum non poteſt agere,niſi in ſubiecto quanto, atque extenſo: ſed agens à quo procedit generatio ſubſtantialis,agit circa materiã,tamquam circa proprium ſubiectum generationis:ergo generationi preſupponitur materia quanta, & extenſa,non ſolũ toto tempore alterationum præcedentium,ſed in inſtanti generationis.Probatur conſequentia,quia in illo inſtanti agens naturale expellit à materia vnam formam, & introducit alteram: ergo agit circa illam. Et præterea in illo inſtanti materia eſt ſubiectum generationis,quæ eſt actio extenſa, atque diuiſibilis, & ideo non poteſt recipi,niſi in ſubiecto diuiſibili: in illo autem inſtanti non habet materia quantitatem præcedentis compoſiti, quod iam non exiſtit,nec proinde accidentia eius, ſi in eo ſubiectantur, ſed nec poteſt præcedere in materia quantitas compoſiti tunc geniti, quia generatio eſt via ad illud ergo prior natura via executionis introductione formæ ſubſtantialis, & ideo prior etiam quantitate ab eadem forma procedente. Ex quibus ſequitur materiam ſecum afferre quantitatẽ, tamquam ſibi coæuam,& proprium eius ſubiectum eſſe, aliorumque accidentium materialium.

Quartum, agens naturale non introducit formam, niſi in 185
materia iam determinata ad illam, potius quàm ad aliam per diſpoſitiones præcedentes;ſed nõ poteſt eſſe materia diſpoſita, nec determinata in inſtanti generationis, in quo introducitur forma,ſi accidentia non ſint in ea tamquam in ſubiecto, ſed in compoſito:ergo ita ſentiendum eſt.Probatur minor, quia licet toto tempore alterationis præcedentis intelligi poſſit materia diſponi receptis diſpoſitionibus in compoſito corrumpendo; ſed in inſtanti generationis hoc iam non eſt:ergo non permanent diſpoſitiones præcedentes; ſed nuda inteiligitur materia omni forma ſubſtantiali,& accidẽtali:nuda autem materia non poteſt eſſe diſpoſita,nec magis ad hanc,quam ad illam formam determinata,ſed indifferens ad omnes. Quod manifeſtum eſt in generatione animalis, ad quam requiritur materia organizata;cum anima ſit actus corporis Phyſici,& organici:eſſe autẽ

organi

organizata in inſtanti generationis repugnat, cum ſit nuda, & organizatio non ſit intelligibilis ſine quantitate, & accidentibus corporeis: ergo nec poterit introduci ab agente naturali vna potius forma, quam altera propter defectum determinationis, immo neq; vlla poterit introduci propter defectum diſpoſitionum. Et ſi dicatur primo ſufficere diſpoſitiones immediatè præcedentes, quæ licet iam non ſint, ſed ratione illarum, aut quia eas proximo tempore habuit in ſe materia, quaſi figillata manet pro tali forma, potius quàm alia recipiẽda, quod eſt, diſpoſitam ſimul, & determinatam eſſe. Cõtra hoc eſt, quod habuiſſe diſpoſitiones tempore proximo, nihil reale intrinſecum eſt in materia in inſtanti generationis, ſed ſola denominatio extrinſeca, ratione cuius, nec diſpoſita, nec determinata: tunc erit materia, quia diſpoſitio, & determinatio non fit, niſi per aliquid reale intrinſecum in re diſpoſita, ac determinata: ergo eſſe actu diſpoſitam, & determinatam non poteſt intelligi, niſi per aliquid reale, & intrinſecum actuale in ea: quare non ſufficit denominatio extrinſeca ex præcedentibus diſpoſitionibus adquiſita. Si vero dicatur ſecundo, diſpoſitam eſſe materiam, atque organizatam in inſtanti generationis per diſpoſitiones, quas ſecum affert in eodem inſtanti forma introducta, quæ licet ab ea procedant in genere cauſæ efficientis, & in hoc genere ſint poſteriores, ſed in genere cauſæ materialis, vt præparant materiam pro introductione eiuſdem formæ præcedere poſſunt ordine naturæ. Contra hoc eſt, quod effectus in nullo genere cauſæ poteſt eſſe prior ſua cauſa efficiente, à qua recipit eſſe, & quam proinde ſupponit iam exiſtentem in rerum natura: ergo cum diſpoſitiones iſtæ ſint effectus eiuſdem formæ, à qua procedunt, neceſſe eſt eam præſupponant exiſtentem in rerum natura, atque adeo informantem materiã, quia nihil intelligitur agere, niſi intelligatur exiſtere.

186 Probatur tandem multis experientijs, nam in generatione hominis videmus eo mortuo remanere eamdem quantitatem, figuram, organizationem, calorem, & eaſdem cicatrices, ſi quas habuit viuus: ergo hæc, & reliqua accidentia non poterant eſſe in toto compoſito iam corrupto, ſed in ſola materia eadem permanente. Sed reſpondent non permanere eadem numero, ſed ſpecie; videri autem eadem numero propter maximam ſimilitudinem, & talia iudicari non quidem ab intellectu, ſed à ſenſu, qui plane decipitur, & corrigi debet ab intellectu, ſicut decipitur, atq; corrigitur cum iudicat ſolem, vel ſtellam longe minorem eſſe tota terra. Hæc tamen ſolutio aliquid valeret, ſi eſſet vrgens aliqua ratio probans prædicta accidentia non

eſſe

eſſe eadem numero,ſed alia diſtincta, ac de nouo producta;ſed non ſolum nulla datur talis ratio, ſed potius dantur valde vrgentes, quibus probatur non poſſe eſſe alia numero diſtincta: ergo iudicio ſenſuum ſtandum eſt; cum ſit rationi conſonum, & nullo modo corrigi debent.Probatur minor, quia ſi illa accidentia,quæ ſunt in cadauere poſt mortem hominis, ſunt diſtincta numero ab his, quæ erant in eodem homine viuo, neceſſe eſt aſſignare aliquam cauſam determinatam,& particularem à qua producantur:conſtat vero nullam dari, quia ſiue naturali morte ab aliqua interna cauſa,& naturali, ſiue violenta, à cauſa extrinſeca intereat homo, nulla talis cauſa datur, quæ poſſit producere nouam quantitatem,nouam figuram, nouum calorem,& cicatricem, quia plura ex his non ſunt neceſſaria pro forma cadaueris, ſed impertinenter omnino ſe habent ad quamlibet generationem nouam.Recurſus autem ad vniuerſales cauſas,vel ad primam,à quibus producantur, nullum habet fundamentum,quia nullus effectus fieri ſolitus à cauſis particularibus,fit à ſolis vniuerſalibus, vel à prima, niſi vrgente neceſſitate,& deficiente cauſa particulari,in propoſito vero nulla vrget neceſſitas, vt per ſe eſt manifeſtum;ergo nec talis recurſus admitti debet.Et ſi dicatur vrgentem rationem eſſe, quod accidentia ſubiectantur in compoſito,& ideo non poſſunt permanere eadem numero,ſed alia diſtincta debere fieri, nec dari cauſam particularem, à qua fiant, manifeſta petitio principij eſt;cum ſupponatur id,quod probandum eſt, & pro ratione afferatur id,de quo eſt tota controuerſia.

Secunda opinio aſſerit,quantitatem,& cætera accidẽtia cor- 187
porea eſſe in compoſito tamquam in proprio adæquato, atque immediato ſubiecto inhæſionis, ad materiam vero quadam tantum ratione in adæquata comparari.Ita D.Thomas expreſſe multis ſuæ doctrinæ locis, ſed præſertim quæſtione vnica de ſpiritualibus creaturis artic. 3.ad 18.& 1. p. q. 76. artic. 6.Albertus Magnus in ſumma de homine par.2.quæſtione an nutritio fiat ex ſimili,art.1. Duran.in 1.d.8.q.4. Capreol.in 2. d.13,q.1. concl.2.& 3.& d 8.q.1. concluſ. 6. Caietan. in opuſ. de ente,& eſſentia,cap.7.q. 16. Sonzin.8. Methaph. q.7. & 15. Ferrar.4.contra gent.capit.81.q. 2.& 3.Soto 1. libro Phyſ.q.7. & videtur nobis,ſi non facilior, probabilior tamen, & magis conformis doctrinæ,& principijs Ariſtotelis.

Probari poſſet hoc ſecundum multis teſtimonijs Ariſtotelis, ſed præclara ſunt hæc.Cap.de ſubſtantia in prædicamẽtis. Poſtquam probauit tam prædicata ſubſtantialia,quàm accidentalia realiter eſſe in primis ſubſtantijs, quæ ſunt ſubſtantiæ ſingu-

lares,

lares, & realiter de illis prædicari, & ideo esse fundamentum omnium prædicatorum, vt homo, animal, viuens, corpus, & substantia, album, aut nigrum de Petro, & Ioanne subdit, *Non ergo existentibus primis substantijs impossibile est aliquid aliorum esse.* Nomine autem aliorum, non sola vniuersalia, & substantialia prædicata intelligit, sed etiam accidentia, quibus expressè docet substare primas substantias, ergo sentit his destructis per corruptionem non remanere accidentia, & consequenter in eis esse tamquam in subiectis, & non in materia quæ permanet. Testimonium hoc præcipuè probat aduersus eos, qui dicunt materiam sufficiens subiectum quantitatis, & aliorum accidentium esse, ita vt in ratione subiecti non dependeat à forma, vel composito, & ideo corrupto composito eadem numero accidentia permanere. Sed respondent primo, non loqui Aristotelem de primis substantiis in particulari, sed vniuersaliter de omnibus, ita vt sensus sit, destructis omnibus primis substantiis, & non genitis de nouo aliis nullum accidens earum permanere. Sed hæc solutio valdè aliena est à verbis, & sensu Aristotelis: à verbis quidem, quia exemplum ponit in substantiis particularibus, vt in quodam homine, & quodam animali: à mente verò, quia Aristoteles non existimauit possibilem corruptionem substantiæ, cui non succedat generatio: ergo nec potuit in hoc sensu loqui. Ideo secundò respondẽt loqui Aristotelem de corruptione primarum substantiarum secundum totam suam entitatem, ita vt non solum forma desinat esse, sed etiam materia, sic autem desinentibus primis substantiis impossibile est remanere accidentia. Hæc tamen solutio non minus est contra mentem Aristotelis, quàm præcedens, quod sic probo. Aristoteles non cognouit desitionem substantiæ secundum totam entitatem, quia hæc est anihilatio: ergo non potuit de ea loqui. Præterea de materia docuit expresse 1. lib. Phys. esse incorruptibilem; ergo non putauit possibile, quod prima substantia corrumperetur ex parte materiæ. Et si dixeris loquutum esse ex suppositione cuiusdam impossibilis; probatur esse falsum, quia loquitur expresse de primis substantiis, quæ verè corrumpuntur, & asserit eis corruptis, vt passim contingit, nihil permanere, hoc est, nullum prædicatum substantiale, nec accidentale realiter permanere. Sentit ergo proprium subiectum accidentium esse compositum, & non materiam.

188 Et in hoc 1. lib. de generat. cap. 4. tex. 23. asserit generationem substantialem differre ab alteratione ex parte subiecti, quia subiectum alterationis est compositum manens sub vtroque termino, hoc est, sub vno, & alio contrario accidenti, inter quæ versatur

verſatur alteratio; vt ſubiectum calefactionis eſt aqua, vel lignum, quia manet modo ſub frigore, quod eſt terminus à quo, deinde ſub calore, qui eſt terminus ad quem, & ſolum ſuſcipit mutationem ſecundum diuerſas paſſiones, hoc eſt, ſecundum diuerſa accidentia, quæ in ſe recipiens patitur: ſubiectum vero generationis ſubſtantialis eſt materia prima: ergo ſentit alterationem, & cætera accidentia corporea eſſe in compoſito tanquam in proprio ſubiecto. Verba eius ſunt. *Alteratio quidem eſt, quando manente ſubiecto ſenſibili exiſtente tranſmutatur in eius paſſionibus, aut contrariis exiſtentibus.* Sed reſpondent ſubiectum alterationis eſſe compoſitum, non ratione totius, ſed ratione partis, nempe materiæ. Hæc tamen ſolutio non poteſt eſſe ad mentem Ariſtotelis, qui propriiſſime loquitur de ſubiecto inhæſionis, totum vero ratione partis non eſt ſubiectum inhæſionis, ſed ſolum denominationis, vt in ſimitate conſtat, cuius ſubiectum eſt homo ratione naſi, non eſt tamen ſubiectum inhæſionis homo ratione totius, quia ſimitas non inhæret in toto homine, ſed in ſola parte: dicitur tamen ſubiectum denominationis, quia per inhærentiam accidentis in vna illa parte, in qua ſola aptum eſt, inhærere, denominatur totum ab illo. Si ergo compoſitum non ratione totius, ſed ratione ſolius partis eſt ſubiectum alterationis: ergo non eſt ſubiectum inheſionis eius, ſed ſolum denominationis. Quod vero Ariſtoteles de ſubiecto inhæſionis loquatur, euidens eſt, cum dicat, compoſitum tranſmutari per alterationem in propriis paſſionibus: ergo ſentit in ſe recipere alterationem ipſam, quia nihil tranſmutatur, niſi quod tranſmutationem in ſe recipit. Sed clarius hoc idem conſtat ex 5. lib. Phyſ. cap. 1. text. 3. vbi explicans Ariſtoteles, quod ſit primum, & proprium ſubiectum motus ſimul cum terminis à quo, & ad quem, ita ait: *Alterum enim eſt, quod primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt lignum, & calidum, & frigidum: horum autem aliud quidem, quod, aliud vero in quod, aliud autem ex quo, motus manifeſtum eſt, quod in ligno eſt, &c.* Et text. 11. eiuſdem libri ſic etiam loquitur de ſubiecto motus. *Primum enim dupliciter contingit motus eſſe motum, aut vt ſubiecti, vt homo mouetur, quia ex albo in nigrum mutatur, &c.*

Sed probatur ratione, quod materia non poſſit eſſe primum, & àdæquatum ſubiectum motus, ſed compoſitum, materia vero ad ſummum inadæquatum, & remotum. Primo, quia illud eſt ſubiectum proprium, & adæquatum accidentis, quod propriè, & adæquatè ſuſcipit in ſe effectum formalem eius, vt ſubiectum proprium, & adæquatum albedinis, quod formaliter, 189

& adæquatè est album ; sed compositum susçipit in se primo,& adæquatè effectum formalem motus;materia verò,non nisi inadæquatè,& quasi remotè:ergo compositum,& non materia est primum,& adæquatum subiectum motus. Probatur minor,quia formalis effectus motus est moueri , sicut albedinis esse album: sed quod primo,& adæquatè mouetur quocumque genere motus est compositum ; materia verò siue nuda accipiatur,siue informata forma inadæquatè tantum sicut pars,& ratione totius compositi ; ergo hoc; & non illa est subiectum primum, & adæquatum motus , & ex consequenti cuiuscumque accidentis producti per motum,quia idem est subiectũ motus, & termini.

Secundo probatur eadem sententia ex potentiis , & actibus vitalibus , vt ex sensibus externis , & actibus eorum , quæ cum sint accidentia corporea ; ponuntur in materia prima tanquam in proprio , & adæquato subiecto ab opinione opposita. Quod verò sint potius in composito , tenet expresse Aristotel. 1. lib. de Anima textu 66. vbi in hoc ait distingui in homine potentias sensitiuas , tam cognoscitiuas , quam appetitiuas ex vna parte , ab intellectu ex altera ; quod intellectus non est potentia organica , hoc est , in organo corporeo inhærens ; sed spiritualis inhærens immediatè in anima rationali : appetitus autem sensitiuus , & sensus , quorum cognitionem sequitur , sunt potentiæ organicæ , non inhærentes immediatè in anima , sed in organo corporeo , hoc est , in quadam parte determinata corporis , vt visus in oculo ; vnde actus earum (inquit) non sunt actus animæ immediatè , sed totius coniuncti , nempe organi compositi ex corpore , & anima , siue ex materia , & forma ; in quo residet potentia sensitiua, vt videre , & audire sunt actus oculorum , & aurium ; siue potentiæ auditiuæ intra aures ipsas, vt in suo proprio organo residentis ; ita vt à potentia ipsa sensitiua in illa parte residente eliciantur , & in eadem permaneant. Ex quibus hæc tria argumenta colliguntur. Primum est: potentiæ sensitiuæ immediatè sunt totius coniuncti , aut compositi ex corpore , & anima : nam ideo vocantur potentiæ organicæ : ergo immediatè inhærent in eo , & actus earum procedit ab eodem tanquam à principio proximo, operante virtute potentiæ,& recipiuntur etiam in eo : ergo sunt in toto coniuncto tanquam in proximo subiecto , vt potentia visiua , & actus videndi in oculo, & non in sola materia prima, vt asserit opposita sententia. Secundum , actiones immanentes hoc differunt a transeuntibus, quod istæ procedunt ab agente, & in eo non recipiuntur , sed transeunt ad passum ab eodem agente diuersum , & in illo tanquam in proprio subiecto inhærent , vt

calefactio

calefactio procedit ab igne tanquam ab agente, & transit ad aquam, in qua tanquam in subiecto recipitur: immanentes vero procedunt ab agente, & non transeunt ad passum distinctum, sed in eodem agente manent tanquam in proprio subiecto, sed actiones sensitiuæ sunt immanentes, vt Aristoteles, & vniuersa schola fatetur: ergo recipiuntur in eodem principio actiuo, à quo immediatè procedunt, vt visio in oculo: sed principium à quo proximè eliciuntur, est compositum ex organo, & potentia in eo residente, & non materia prima secundum se nullã habens actiuitatem respectu harum actionum; nec etiam materia prima vt informata anima, quia neque hoc modo sumpta elicit actum videndi, nec per potentiam sensitiuam; sed principium est totum coniunctum ex materia, & forma; vt docuit expresse Aristoteles, quod patet realiter esse distinctum à materia, etiam vt informata forma: ergo recipiuntur in eodem composito tanquam in proprio subiecto, & non in materia.

His argumentis ex eadem radice præcedentibus, respondere conantur aduersarij distinguendo actionem transeuntem hoc modo. Actio transiens duplex est, vna quæ procedit ab agente, & transit ad passum, non solum ab eo distinctum realiter, sed extra illud existens, quo pacto calefactio procedit ab igne, & transit ad aquam, quæ est res alia extra ignem, & hæc est actio simpliciter transiens, quia nullo modo permanet in agente, sed extra illud transit. Alia est actio ab agente procedens, & transiens ad passum, quod licet sit res alia distincta ab eodem agente, sed non est extra illud: quia pars eius est intra ipsum clausa, & hæc est immanens simpliciter, quia intra agens ipsum permanet; transiens vero secundum quid, quia ad passum transit distinctum ab agente, quamuis intra ipsum manens, & tales sunt sensationes, quæ à potentia sensitiua, vel organo per ipsam sentiente eliciuntur, & recipiuntur in materia, ex qua componitur idem organum, & propterea immanentes dicuntur simpliciter, quia in materia organi inhærentes permanere dicuntur intra idem agens, sicut eadem materia intra ipsum est, quamuis ex eo, quod est distincta realiter ab eo, sicut pars actu, secundum quid possint transeuntes vocari, quia ad aliud transeunt quodammodo extra ipsum propter distinctionẽ realem. Quod vero Arist. asserit has actiones, sicut potentias, à quibus eliciuntur, esse totius coniuncti, hac distinctione explicari debet, nempe esse totius coniuncti, vt principij operantis, à quo procedunt, non tamen vt subiecti recipientis, sed solius materiæ: quod vero vocantur immanentes, verum est 190

absolutè loquendo, sed ex eo non probatur, quod in eodem organo adæquatè recipiantur, sed satis est in materia eius recipi, quæ aliquid eius est, & intra ipsum permanet, & consequenter sensationes ipsæ, quamquam ad aliud etiam transeant quodammodo extra organum existens propter distinctionem realem eiusdem materiæ ab eodem organo.

Hæc tamen solutio, nec vera est, nec argumento satisfacere potest, quod probo primo à simili, nam si aqua calefiat ab igne secundum vnam partem tantum, & postquam sic est calefacta, remoueatur ab ea ignis, tunc tota ipsa aqua secundum omnes partes eius per modum vnius agentis agunt in solam materiam illius partis, per frigiditatem summam, quam habent producendo in eam frigiditatem amissam, & expellendo calorem ab igne receptum, & omnes fatentur talem alterationem infrigidationis esse actionem transeuntem, quia passum est distinctum realiter ab agente, licet in eo includatur tanquam pars in toto. Actiones etiam, quibus anima rationalis per vnam potentiam aliquo modo agit in aliam, dicuntur ab omnibus transeuntes, vt dum per voluntatem mouet intellectum, vel è conuerso, & tamen materia illius partis aquæ, in qua recipitur infrigidatio, includitur in aqua ipsa tanquam aliquid eius, atque etiam potentia illa, in qua recipitur motio procedens ab anima per aliã, includitur in anima ipsa tanquam aliquid eius: ergo licet materia organi in qua recipitur sensatio, includatur in eodem organo tanquam pars eius: satis est esse realiter ab eo distinctam, vt sensatio eadem sit actio transiens, quia distinctio realis agentis, & passi, vel identitas vtriusque est, quæ facit actionem esse immanentem vel transeuntem.

Secundo probatur, quia actio immanens, vt nomen ipsum probat, est illa, quæ manet in principio agente, sed si sensationes recipiantur in materia organi, & non in eodem organo operante per potentiam, non est verum vllo modo, quod maneant in principio agente: ergo nec erit vllo modo verum, quod sint immanentes. Probatur minor, quia materia non est vllo modo principium actiuum sensationis, cum non possit esse principium actiuum alicuius operationis, etiam radicale, vt in 1. lib. Phys. ostendimus, nam id quod est pura potentia, non potest esse principium actiuum radicale actus, & ideo nec potest esse formale per potentiam in se receptam, quia principium formale per potentiam, debet esse radicale per propriam entitatem, à qua ipsamet potentia procedat, vt in quibuscumque agentibus est manifestum; hæc vero ab imperfectione materiæ aliena sunt.

Probatur

Probatur tandem ex parte omnium, quæ concurrunt ad sen- 191
sationes, & primo ex parte speciei impressæ, quia species est virtus obiecti, per quam vnitur potentiæ tanquam virtuti actiuæ, vt eam constituat sufficienter in actu primo ad eliciendam talem sensationem; ergo non inhæret in materia tanquam in proximo subiecto, sed organo agenti per potentiam. Probatur consequentia; quia materia non est principium actiuum sensationis per potentiam, sed organum, vt ipsimet aduersarij fatentur. Et si fortè respondeant vniri quidem organo operanti per potentiam tanquam principio actiuo ad operandum ex eo, quod inhæret materiæ eius, probatur hoc non esse verum, nec sufficiens, quia species ita debet vniri organo operanti per potentiam, vt constituat vnum integrum, & totale principium actiuum operationis cum ea; sed non potest sic vniri per solam adhærentiam cum eo, & inhærentiam in materia: ergo falsum id est, atque insufficiens. Probatur minor; quia species debet vniri principio sentienti tanquam actus determinans potentiam, & constituens eam sufficienter in actu primo tanquam repræsentans obiectum: ergo per realem, & veram vnionem, nam per solam adhæsionem non potest efficere vnum principium vitalis cognitionis, sed tanquam forma extrinseca se habebit, necesse est ergo ei vniri tanquam formam intrinsecam, vt sic à principio intrinseco completo procedat vitalis operatio, vt forma autem intrinseca non vnitur, nisi per veram, & realem inhæsionem, quare organo debet inhærere species per se immediatè, & non sufficit, vt inhæreat materiæ. Secundo, probatur ex parte speciei expressæ, nam siue sensatio dicat veram actionem realem de prædicamento actionis formaliter, vel præsuppositiuè, vel nullo modo; sed solum speciem expressam immediatè per se dependentem à potentia, hoc est, sine vlla actione media secundum diuersos modos opinandi, omnes tamen modi conueniunt in eo, quod tanquam rationem intrinsecam dicat vnionem formalem eiusdem speciei expressæ cum potentia, in qua formalis ratio cognitionis posita est. Sed ex hoc sequitur efficaciter non posse recipi eandem speciem expressam adæquatè in materia, sed in organo: ergo in eo debet inhærere tanquam in subiecto. Probatur minor, quia potentia non sentit, neque cognoscit per se, neque materia per ipsam, sed principium adæquatum sentiens, atque cognoscens est organum per eandem potentiam: huic ergo debet vniri formaliter species expressa, vt vitalis vnio sit cognitio obiecti, quod patet non posse fieri, nisi per realem inhærentiam in eo. Probatur tandem ex parte potentiæ sensitiuæ,

& ipſiuſmet actus ſentiendi,hoc eſt, actionis realis ſentiendi, ſi hæc interuenit in ſenſatione, quia repugnat accidens recipi in aliquo tanquam in ſubiecto inhæſionis, quin ei tribuat proprium effectum formalem; ſed materia non eſt capax effectus formalis potentiæ ſenſitiuæ,neque actionis ſentiendi: ergo repugnat,quod in ea recipiantur accidentia hæc tanquam in ſubiecto adæquato. Minorem ſic probo, effectus formalis potentiæ ſenſitiuæ eſt conſtituere ſubiectum formaliter potens ſentire,atque cognoſcere ſenſibile obiectum, quod eſt eſſe formaliter potens elicere ſenſationem, vt principium actiuum eius. Et effectus formalis ſenſationis eſt conſtituere ſubiectum vt actu, & formaliter ſentiens, ſed materia non eſt formaliter potens elicere ſenſationem,vt principium actiuum eius,nec etiam formaliter ſentiens, ſed vtrumque effectum formalem recipit adæquatè organum quod eſt compoſitum: ergo compoſito, & non materiæ inſunt hæc accidentia tanquã ſubiecto adæquato.

192 Propterea recentiores alij his argumentis conuicti fatentur potentias, & actus vitales, atque etiam ſpecies ſenſibiles impreſſas,& expreſſas non recipi in materia tanquam in ſubiecto, ſed in compoſito, nec priorem ſententiam defendi poſſe de his accidentibus, ſed de cæteris imperfectioribus. Sed hic modus dicendi(mea quidem ſententia)probabilis non eſt,quia deſtruit imprimis vnicum fundamentum eiuſdem ſententiæ,quod omnes patroni eius præſupponunt,& vi innituntur,nempe quantitatem eſſe coæuam materiæ,& prorſus inſeparabilem ab ea,qua media omnia accidentia corporea inhærent eidem materiæ tanquam adæquato ſubiecto, in eaque permanent deſtructis formis ſubſtantialibus, atque compoſitis; vnde ſequitur vel nullum medium admittendum eſſe de his,vel illis accidentibus corporeis, vel fundamentum ab omnibus admiſſum deſtrui, cum eodem modo ſe habeat in omnibus; ideo modus iſte medium ponens omni authoritate caret;& cum probabile ſit,quod pluribus,vel ſapientibus appareat, vt docet expreſsè Ariſtoteles, ſequitur nullam probabilitatem habere.

Sed probatur ratione eſſe apertè falſum argumentum ad hominem,præſuppoſito illo principio,quod cum cæteris omnibus admittunt recentiores iſtæ: videlicet omnia accidentia corporea inhærere ſubſtantiæ media quantitate,ex quo ſic arguo.Potentiæ vitales cum ſuis actibus, atque ſpeciebus non inhærent materiæ,tanquam ſubiecto adæquato,ſed compoſito: ergo cætera omnia accidentia corporea inhærent etiam compoſito, & nullum inhærebit materiæ, quod eſt contra ipſos. Probatur conſequentia,quia accidentia hæc corporea ſunt:ergo inhærent

compoſito

compoſito media quantitate; ex quo euidenter colligitur eam-
dem ipſam quantitatem inhærere etiam eidem compoſito, &
proinde cætera omnia accidentia corporea. Probatur hæc vl-
tima conſequentia, quia omnia debent inhærere media quan-
titate: ergo eidem omnino ſubiecto, cui inhæret quantitas,
quod eſt compoſitum. Nec poteſt ſolui argumentum, ſi dicatur
probare quidem de omnibus aliis accidentibus, quæ ſunt in
animalibus, vt de quantitate, & cæteris ea media inhærentibus,
non tamen de eadem quantitate, & cæteris inhærentibus in
reliquis corporibus non ſentientibus; nam hoc aperte falſum
eſt, quia quantitas, & reliqua accidentia corporea, quæ ſunt in
animalibus, præter vitales potentias, actus atque ſpecies ſunt
eiuſdem prorſus naturæ, & rationis, vt quantitas corporis ſen-
ſibilis, & inſenſibilis eiuſdem naturæ ſunt, & ſimiliter prima
qualitates, atque ſecundæ; ergo omnes poſtulant idem ſubie-
ctum. Quare ſi ea, quæ ſunt in animalibus, poſtulant pro ſubie-
cto compoſitum; euidenter ſequitur, quod ea quæ ſunt in cæte-
ris corporibus inſenſibilibus, idem compoſitum poſtulent, & in
materia eſſe repugnet.

Probatur tandem ex augmentatione viuentium, de qua duo
docet Ariſtoteles. Primo, quod ſit verè, & propriè motus ter-
minatus per ſe ad quantitatem. 5. lib. Phyſic. Sed terminus mo- 193
tus debet produci per motum cum motus ſit via, & fieri ter-
mini, ergo per motum augmentationis producitur quantitas:
quod non poteſt eſſe verum, ſi quantitas ſit in materia prima
tamquam in ſubiecto, nam ſi ita ſit, neceſſe eſt quantitatem
cibi, vel alimenti permanere in carne, in quam conuertitur ali-
mentum, & viri viuenti cum ipſamet carne per mutationem
producta; cum eadem quantitas maneat in genito, & in cor-
rupto iuxta hanc opinionem; ſed non poteſt viuens ſimul ad-
quirere duplicem quantitatem: ergo præter hanc, quam affert
ſecum materia alimenti, non poteſt produci alia per motum
augmentationis contra expreſſam ſententiam Ariſtotelis. Re-
ſpondent tamen pro oppoſita ſententia iuniores, augmenta-
tionem eſſe propriè motum terminatum ad quantitatem,
non de nouo productam, ſed reſultantem ex vnione quan-
titatis alimenti cum quantitate viuentis; nec Ariſtotelem
vmquam dixiſſe, quod per augmentationem producatur
quantitas. Itaque exiſtimant motum augmentationis habere
pro termino producto vnionem vnius quantitatis ad alteram,
& conſequenter maiorem quantitatem ex vnione reſultantem;
ſicut generatio hominis habet pro termino producto modum
vnionis animæ cum corpore, & ideo totum hominem ex

materia,& forma vnitis conſtantem:hunc autem modum vnionis dupliciter ponunt diuerſi; nam quidam præter indiuiſibilia, quibus continuantur partes determinatæ, aut aliquotæ quantitatis, qualia ſunt puncta in linea,ponunt modum alium diuiſibilem coextenſum partibus, quo vniuntur partes indeterminatæ quantitatis; & hunc modum vnionis dicunt produci per augmentationem, per quem vnitur quantitas alimenti quantitati viuentis corporis, & per additionem eiuſdem quantitatis alimenti augeri corpus viuens.Hæc tamen ſententia non ſolum eſt falſa, ſed expreſſe contra Ariſtotelem, qui vbicumque de quantitate, vel continue loquitur, nullum aliud continuatiuum ponit præter indiuiſibile, quod vocat terminum communem, quo medio vniuntur, & continuantur partes. Quod vero ſit falſa, probatur primo, quia eodem modo continuantur partes proportionales, vel indeterminatæ,ac determinatæ, vel aliquotæ: cum ſint omnes eiuſdem rationis: ergo ſi iſtæ vniuntur, vel continuantur per modos vnionis indiuiſibiles, eiſdem vniri debent partes proportionales, vel indeterminatæ, & non debet mulplicari alius modus diuiſibilis. Secundo, quia talis modus diuiſibilis eſt: ergo habebit partes, & vnitas quidem per alios modos vnionis indiuiſibiles, & diuerſos ab indiuiſibilibus, quibus vniuntur partes quantitatis, quia partes iſtæ diuerſæ rationis ſunt à partibus modi: ergo diuerſis indiuiſibilibus vniri debent, quæ inaudita ſunt in ſchola, & ſuperflua, & ideo admitti non debent. Alij vero dicunt per augmentationem produci indiuiſibile quantitatis, quo vnitur quantitas alimenti quantitati viuentis, & fit vna numero cum ea; & ideo per eam ſic vnitam viuens augetur. Sed hæc etiam ſententia contra Ariſtotelem eſt,qui numquam ſomniauit per motum augmentationis produci indiuiſibile tantum, ſed formam habentem latitudinem, ratione cuius poteſt per ſe terminare motum; eſt etiam falſa, quia indiuiſibile quantitatis non poteſt produci per ſe motu ſucceſſiuo, cum careat latitudine: nec etiam motu continuo, quia per diuerſas partes motus continui debent produci diuerſi termini partiales, & continui; ſed vnum indiuiſibile non poteſt eſſe continuum alteri, nec immediatum; ergo nec poteſt eſſe terminus motus ſucceſſiui, & continui. Et eodem modo impugnantur alij modi dicendi recentiorum de productione indiuiſibilium per motum augmentationis, quos non refero, quia non habent fundamentum in doctrina Ariſtotelis, nec in vera Philoſophia, ſed in ſola imaginatione eorum.

Sed

Digitized by Google

Sed probatur iam contra Aristotelem, & rationem esse, 194
quod per augmentationem non producatur quantitas. Contra Aristotelem quidem ex 1.lib.de generatione,cap.5.text.41. vbi loquens de alimento, ex quo fiunt nutritio, & augmentatio, ita ait: *Secundum igitur quod potentia compositum ex vtroque est, vt quanta caro, sic quidem auget: etenim quantum oportet generari, & carnem; secundum autem, quod solum caro est,nutrit, &c.* Quibus verbis docet primo alimentum, nempe sanguinem esse materiam nutritionis,& augmentationis in quantum in potentia est caro quanta, & compositum ex vtroque, nempe ex carne,& quantitate, sed diuersa ratione, nam vt caro in potentia est materia nutritionis, & vt in potentia quantum est materia augmentationis,sed fit caro actu per nutritionem:ergo fit etiam actu quantum per augmentationem. Probatur consequentia, quia vtrumque ait Aristoteles esse in potentia ante nutritionem,& augmentationem.Sed fieri actu carnem per nutritionem, est produci carnem per eamdem nutritionem:ergo fieri actu quantũ per augmentationem, cum ante illam esset quantum in potentia, est produci quantitatem per augmentationem. Secundo,docet eisdem verbis carnem quantam per nutritionem, & augmentationem factam, vel etiam non factam,compositum quoddam esse ex carne,& quantitate: ergo sentit vnum compositum resultare ex vtroque,non potest autem vnum compositum resultare ex duobus,nisi inter se vnitis: ergo sentit quantitatem vniri carni;carnem vero non esse solam materiam, sed compositum substantiale ex corpore, & anima euidentissimum est:ergo ex mente Aristotelis quantitas vnitur composito, & non potest vniri ei, nisi vt forma subiecto per realem inhærentiam, sicut nec albedo vnitur corpori, nisi vt subiecto ad compositionem albi: ergo quantitas ex mente Aristotelis vnitur composito immediatè, cum quo componit totum quoddam accidentale,non vero materiæ, nisi remotè, & inadæquate. Quod vero sit contra rationem probo, quia ex ea sequitur primo, per motum augmentationis solum per se produci punctum indiuisibile, quo vniuntur duæ quantitates; quod est contra rationem motus, & indiuisibilis, quia motus habet diuisibilitatem à termino, quam non potest habere à puncto indiuisibili: & indiuisibile cum sit continuatiuum, vel terminatiuum partium, non est per se producibile per motum,vt euidenter patet in cæteris motibus: sed ad summum potest consequenter produci cum parte termini, quam continuat,vel terminat. Secundo sequitur, quod si per motum 195
augmentationis non producitur quantitas, sed præexistens in

materia alimenti vnitur quantitati viuentis per continuationem, & fit vna numero, augmentatio viuentis, ſolum ſit quædam iuxta poſitio vnius quantitatis ad alteram, ſicut augmentatio ignis per iuxta poſitionem lignorum, vel vnius aquæ ad alteram, quod tamen eſt falſum, & contra omnes Philoſophos, qui in his rebus non viuentibus impropriiſſimam augmentationem ponunt, per iuxta poſitionem, propriam vero in ſolis viuentibus. Sed reſpondent adhuc ſaluari propriam augmentationem in viuentibus, quia non fit per quamcunque iuxta poſitionem, ſed per intus ſumptionem, & ſecundum omnes partes viuentis, per quas diſtribuitur alimentum iuxta exigentiam cuiuſlibet partis. At in non viuentibus non fit iuxta poſitio ſecundum omnes partes, ſed ſecundum aliquas tantum, quia non per intus ſumptionem; & ideo pura quædam iuxta poſitio eſt, non propria augmentatio. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit argumento: nam quod iuxta poſitio fiat vno, vel alio modo, aut per omnes partes, conditiones ſunt extrinſecæ reſpectu augmentationis, in quibus non conſiſtit propria ratio eius, ſed ſolum in ordine ad proprium terminum, quæ eſt maior quantitas producta per potentiam vitalem conuertentem plus alimenti in ſubſtantiam viuentis, quam deperditum fuerat, vel quàm prius habebat viuens, in quo propriè, & ab intrinſeco diſtinguitur augmentum viuentis, ab improprio non viuentium. Quod probatur hoc argumento. Si nutritio viuentis non eſſet productio partialis ſubſtantiæ per virtutem potentiæ vitalis, ſed ſolum vnio ſubſtantiæ iã productæ etiam viuentis, impropriiſſima eſſet, etiamſi fieret per omnes partes viuentis, quia non eſſet operatio vitalis; nam ad vniendam vnam ſubſtantiam alteri per continuationem non eſt neceſſaria potentia vitalis, vel certe non ſpecialis, vt patet in vnione alicuius partis abſciſſæ corpori viuenti: ergo multo minus erit propria augmentatio, ſi non ſit productio quantitatis. Probatur conſequentia, quia nec ad vniendam vnam quantitatem alteri per continuationem etiam ſecundum omnes partes eſt neceſſaria virtus vitalis, vt patet in igne, cui ſi iuxta ponantur ligna per omnes partes; non erit minus impropria augmentatio eius, ac eſt modo. Veritas ergo huius rei eſt, quod primo, & per ſe in eo conſiſtit propria augmentatio, quod producatur maior quantitas virtute potentiæ vitalis, ad quam conditionẽ conſequuntur aliæ, ſicut augmentatio conſiſtit in eo, quod producatur partialis ſubſtantia viuens tali modo: & ex hoc probatur efficaciter non dari propriam augmentationem, quam in viuentibus poſuit vbiq; Ariſtoteles; poſita quãtitate in materia

prima

prima tamquam in ſubiecto, quia non poteſt dari productio maioris quantitatis per potentiam vitalem.

Vt autem hæc noſtra ſententia melius intelligatur, & argu- 166
menta oppoſitæ commodius ſoluantur, notandum eſt illud, quod Ariſtoteles docet 1. lib. de anima cap. 1. text. 2. ſubſtantiam quæ eſt primum ex decem prædicamentis, tripliciter ſumi; primo pro materia, quæ ſecundum ſe non eſt hoc aliquid, hoc eſt, non eſt ſubſtantia completa ſingularis, quia in ſua eſſentia nihil habet actus, ſed eſt pura potentia apta recipere formam. Secundò ſumitur ſubſtantia pro forma, quæ etiam non eſt hoc aliquid, ſed incompletum quid, nempe actus ſubſtantialis, ex quo ſimul cum materia fit completa ſubſtantia diſtincta realiter ab vtraque. Et pro hac accipitur tertio modo, atque propriiſſimo ſubſtantia, quæ cum habeat eſſe à forma ſubſtantiali, habet etiam plures gradus eſſendi magis, vel minus perfectos ſecundum diuerſos etiam gradus perfectionis, quos habet forma: & gradus iſti ſubſtantiæ non ſunt realiter diſtincti, ſed ratione formali fundata in eminenti perfectione formæ ſubſtantialis. Gratia exempli. Petrus, vel Ioannes eſt ſubſtantia quædam completa compoſita ex materia, & forma, quæ eſt anima rationalis, à qua habet hos omnes gradus eſſendi, nempe ſubſtantialem, corpus, viuens, animal, & hominem. Et quemlibet gradum eſſendi ſequuntur quædam proprietates, vel actidentia, vt gradum ſubſtantię eſſe ſuſceptiuam accidentium, vel ea poſſe ſuſtentare, gradum corporis, trina dimenſio quantitatiua, quæ etiam in prædicamento quantitatis appellatur corpus: vnde corpus de prædicamento quantitatis eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeæ, quia eo ipſo quod ſubſtantia corpus ſubſtantiale eſt, immediatè eſt ſuſceptiuum corporis quantitatis, per quod extenditur; gradum viuentis ſequitur proprietas generandi ſibi ſimile; gradum vero animalis poſſe ſentire; & gradum hominis eſſe riſibilem, & admiratiuum. Hæc autem accidentia ſequuntur hos gradus eſſendi ſubſtantiæ ratione formæ, vel ratione materiæ: ratione materiæ ſequitur gradum corporis, quantitas: riſibilitas vero gradum rationalitatis ratione formæ: & quia nec forma, vel anima, nec materia eſt homo, ſed pars hominis, ita nec eſt riſibilis; ſed riſibilitas conuenit ſoli homini, & ideo in eo ſolum inhæret tamquam in proprio ſubiecto; & etiam, quia corpus quantitatis conuenit corpori ſubſtantiali; & nec materia eſt corpus ſubſtantiale, nec forma, ſed ſunt partes eius, ideo corpus quantitatis non conuenit materiæ, nec formæ, ſed ſubſtantiæ ex eis compoſitæ, & ab eis realiter diſtinctæ, & ideo nec inhæret materiæ

tamquam

tamquam proprio ſubiecto, nec formæ, ſed ſubſtantiæ ex eis compoſitæ,quia hæc ſola eſt,quæ proximè,& adæquatè ſuſcipit effectum formalem eius,nempe extenſam eſſe, ac diuiſibilem in partes extenſas.

197 Ad teſtimonia Ariſtotelis pro eadem ſententia adducta reſpondeo, in primo loqui de eiſdem accidentibus ſecundum ſpeciem,quæ non corrumpuntur per ſe, quia non corrumpuntur à contrario,nam dum generatur aqua ex aëre; nullum habet contrarium à quo corrumpatur humiditas eius, nec diaphaneitas,aut tranſparentia; nam ſimilia potius ſunt in aqua, ſed corrumpuntur per accidens ad corruptionem ſubiecti,nempe aëris, vt ſæpe accidit in alijs generationibus. Nec ſecundum teſtimonium habet vllam difficultatem,quia verum eſt alterationes præcedentes generationem verſari circa materiam, non tamquam circa ſubiectum adæquatum,ſed in adæquatum,quia eſt pars ligni, vel aquæ circa quam verſantur tamquam circa proximum,& adæquatum ſubiectum.

Ad primum argumentum neganda eſt maior, quod ad ſuſtentandum aliud,requiratur,& ſufficiat entitas realis cum exiſtentia,& ſubſiſtentia:licet enim hæc requirantur, non tamen ſufficiunt,ſed requiritur amplius quod tale exiſtens, & ſubſiſtens ſit idoneum receptiuū eius:& quia materia eſt idoneum receptiuum formæ ſubſtantialis,tamquam ſubſtantialis potentia,ex qua educitur,vel cui vnitur,ideo proximè ſuſtentat formas ſubſtantiales,& proximum eſt earum ſubiectum, non eſt tamen idoneum ſuſceptiuum quantitatis, & aliorum accidentium, quia quantitas,vt probauimus, proximè oritur à ſubſtantia corporea compoſita ex materia, & forma, tamquam propria paſſio naturalis eius,cum ſit proximum ſuſceptiuum trinæ dimenſionis,& ideo habet ſe ad illam tamquam ad proprium,& immediatum ſubiectum,ſicut cæteræ propriæ paſſiones ſe habent ad res,vel eſſentias,à quibus emanant. Ad materiam vero habet ſe tamquam ad radicem,& quaſi remotum, & inadæquatum ſubiectum.

Pro ſolutione ſecundi notandum eſt,primo,quantitatem, vt probauimus,ſequi naturam corporis ſubſtantialis, vel ſubſtantiæ corporeæ:vnde non conuenit homini,vel leoni, vt homo, & leo ſunt,ſed vt corpora,homo autem,vt eſt corpus ſubſtantiale,componitur ex materia organizata,& anima rationali, vt eſt forma corporis.Sed iſtæ partes duobus modis ſumuntur,aut ſecundum ſe,vel omnes ſimul,vt vnitæ modo vnionis ſubſtantiali. Et primo modo conſtat non componere totum, ſed ſecundo modo ita componunt, vt totū non ſit alia entitas realis

diſtincta

diſtincta ab eiſdē, vt vnitis, bene tamen à quolibet, atque etiam ab omnibus ſecundum ſe acceptis. Secundo, notandum vnum accidens completum vnum primum ſubiectum poſtulare cui primo inhæreat, & cum quantitas inhęrens homini, vt corpus eſt, ſit vnum accidens completum, vnum poſtulat ſubiectum, ita vt in multis inhærere primo repugnet; & hoc ſubiectum, cui primo inhæret, eſt compoſitum ex materia, & forma corporis, & conſequenter inhæret eiſdem partibus, vt copulatim, & vnitæ accipiuntur, vel vt conſtituentes compoſitum omnibus quidem non tamen ſingulis, etiam vt copulatim ſumptis, & vnitis; quia ſingulæ etiam, vt vnitæ alijs diſtinctā entitatem realem continent ab omnibus vt vnitis, & cōſequenter à compoſito, quod idem eſt realiter cum omnibus ſic acceptis, non tamen cum ſingulis etiam ſic acceptis. Et hoc quidem compoſitum, atque etiam omnes partes, vt ſimul vnitæ ipſum conſtituentes recipiunt effectum formalem quantitatis, per quem fiunt extenſæ, ac diuiſibiles in partes integrantes eodem modo ex eis compoſitis; ſed quælibet harum partium etiam vt vnita alijs, non participat eumdem effectum quantitatis, niſi capax eius ſit, vel eo modo, quo capax eius eſt materia quidem tamquam, primum, licet inadæquatum ſubiectum: ex quo etiam primo tamquam ex radice educuntur omnes formæ: forma vero, ſi materialis ſit, non tamquam ſubiectum, ſed tamquam aliquid receptum in materia extenſa, quia quantitas non eſt accidens conſequens formam, ſed materiam: ideo non poteſt recipi in forma tamquam in ſubiecto etiam partiali. Si vero non ſit materialis, ſed ſpiritualis, atq; indiuiſibilis, nullo modo recipiet effectum formalem quantitatis, neque id neceſſarium eſt. Quod notiſſimis exemplis probatur ab authoribus primæ opinionis neceſſariò concedendis; nam ipſi docent quantitatem primo recipi in materia, & per eam primo extendi materiam, & ratione materiæ formas ſubſtantiales in eadem materia extenſa receptas, atque etiam extendi compoſitum, etiam ſi ſit corpus humanum; nihilominus negāt animam rationalem, etiam ſi recipiatur in materia extenſa, & ſit pars corporis humani extenſi, extendi, quia non eſt capax extenſionis: ergo non mirum eſt, ſi extenſo compoſito, tamquam proprio ſubiecto quantitatis, non extendatur anima, quæ pars eius eſt, quia partes compoſiti non participant effectum formalem in eo receptum, niſi ſint capaces, vel ſecūdum capacitatem earum. Quod alio exemplo non minus euidenti probatur, nam verum eſt compoſitum ex materia, & anima rationali non eſſe aliam entitatem realem diſtinctā ab eiſdem partibus, vt ſimul ſumptis

& vnitis

& vnitis : nec eſt minus verum idem compoſitum eſſe ſubſtantiam corpoream,vel corpus vt quod.Et tandem verum eſt eaſ-
199 dem partes,vt ſimul ſumptas,& vnitas realiter , & vt quod,eſſe corpus,& ſubſtãtiam corpoream.Et ex hoc non ſequitur, quod anima rationalis realiter ſit ſubſtantia corporea , vel corpus, etiam vt quod partiale,ſicut verum eſt de materia. Et tota ratio huius exempli,& aliorum eſt,quia ea,quæ conueniunt realiter compoſito, atque etiam partibus copulatim ſumptis , & vnitis,non conueniunt etiam realiter ſingulis partibus, niſi eo modo quo concurrunt ad conſtitutionem eiuſdem compoſiti; & quia materia concurrit tamquam primum , & radicale recipiens omnes formas , ita conueniet ei,quod ſit corpus , vel ſubſtantia corporea, vt quod partiale ita etiam conuenit ei eſſe extenſum , quod eſſe primo recipit compoſitum à quantitate, formis vero materialibus conuenit alio modo longe diuerſo, nam quia de potentia materiæ vt primo recipienti educuntur, conuenit eis eſſe ſubſtantiam corpoream , vel corpus , non vt quod,etiam partiale,ſed ſolum vt quo ; hoc eſt vt rationi formali tribuenti eſſe materiæ , & cùm ea tamquam quo formali concurrenti ad conſtitutionem totius:extenſio vero tamquam quod eis conuenit , non vt ſubiectis etiam partialibus quantitatis , ſed tamquam habentibus partes ſubſtantiales integrantes,quarum ratione capaces ſunt extenſionis per receptionem in materia extenſa. Animæ denique rationali non conuenit eſſe corpus,vel corporea ſubſtantia,tamquam quod etiam partiale,ſed ſolum,vt quo;quia verum eſt conſtituere corpus , vel corpoream ſubſtantiam, tamquam formam eius;& ideo verum eſt etiam eſſe corpoream ſubſtantiam vt quo , quod non eſt aliud,quàm eſſe formam corporis, vel id, quo aliud eſt formaliter corpus,vel corporea ſubſtantia. Extenſio vero non poteſt ei conuenire tamquam ſubiecto,etiam partiali;cum hoc etiam repugnet formis materialibus , ſed nec vt receptæ in materia extenſa,quia cum non educatur de potentia materiæ , nec ab ea dependeat , materialis non eſt , ſed ſpiritualis ; ideo non habet partes ſubſtantiales integrantes , quarum ratione coextendatur materiæ,ſed cum prorſus ſit indiuiſibilis, recipitur in ea abſque participatione extenſionis propter eius incapacitatem:ſolum ergo poteſt dici extenſa vt quo,hoc eſt , vt principium formale tribuens materiæ gradum corporis,quem ſequitur tamquam propria paſſio quantitas,& extenſio.

200 Ex quibus ad formam argumenti neganda eſt minor , quod non poſſit quantitas recipi in homine , in quantum eſt corpus ſubſtantiale. Et cum dicitur quantitatem receptam in homine

neceſ

neceſſariò attingere vnionem animæ cum materia, diſtinguendum eſt, nam primo, & per ſe non attingit vnionem ſicut neq; formam, etiam materialem, ſed quaſi ſecundariò, in quantum modus ipſe vnionis educitur de potentia materiæ, & in ea recipitur eo modo, quo de formis eductis de potentia materiæ dictum eſt. Vnde negandum eſt conſequens, quod ex eo infertur, nempe debere etiam attingere animam, quia licet attingat omnes partes copulatim ſumptas, & vnitas, non ſequitur attingere quamlibet, etiam vt vnitam alijs, nam cõpoſitum eadem entitas eſt cum omnibus partibus, vt copulatim ſumptis, & vnitis, non tamen cum qualibet, etiam vt vnita alijs, ſed à qualibet etiam vt vnita diſtinguitur realiter, vt ſatis notum eſt ſecundum communem ſententiam de diſtinctione totius à partibus: ideo ſicut nulla earum, nec ſecundum ſe ſumpta, nec vt vnita alijs realiter eſt compoſitum, ita nec realiter recipit neceſſariò effectum formalem, quem tribuit quantitas compoſito. Quod exemplo ſigni vniuerſalis copulatim ſumpti in materia Summiſtarum facile oſtendi poteſt, nam omnes Apoſtoli copulatim ſumpti ſunt duodecim, & tamen non ſequitur, quemlibet, vel aliquem etiam, vt copulatim ſumptum cum alijs eſſe duodecim.

Ad tertium diſtinguenda eſt maior, quod agens naturale non poſſit agere, niſi circa materiam extenſam: nam duo ſunt genera actionum, quæ agens exercet circa materiam. Primum eſt alterationum, per quas introducit diſpoſitiones pro expulſione vnius formæ, & introductione alterius; & actiones iſtæ, cum ſint veri motus, & habeant pro termino qualitates corporeas inhærentes ſubiecto media quantitate, in eodem compoſito recipiuntur cum eiſdem qualitatibus, quia vniuerſaliter verum eſt, in eodem ſubiecto recipi motum, & terminum; actiones ergo iſtæ non verſantur circa materiam, tamquam circa ſubiectum proximum, & adæquatum, ſed remotum, & inadæquatum: circa compoſitum vero corrumpendum tamquam circa proximum, & adæquatum, & vtrumque extenſum eſt, extenſione quantitatiua compoſitum quidem primo, tamquam proximum, & adæquatum ſubiectum quantitatis: materia vero tamquã remotum, & inadæquatum. Secundum genus actionum eſt, earum, per quæ non producuntur accidentia, ſed forma ſubſtantialis educitur de potentia materiæ, & vnitur formæ, fitque ex vtraque compoſitum; & talis eſt generatio, quam propterea merito vocant actionem ſubſtantialem: quæ cum habeat pro termino formali ſubſtantialem formã vnitã materiæ, in eadẽ materia recipitur cũ ea, nõ quidẽ, vt actu quãta, vel

extenſa.

extenſa,ſed vt ſubiecto diſpoſito toto tempore proximè præcedenti per quantitatem præcedentis compoſiti;cæteraque accidentia per præcedentes alterationes circa illud producta. Itaque materia prima,circa quam verſatur generatio ſubſtantialis,tamquam circa proprium,& adæquatum ſubiectum,ſemper eſt quanta,& extenſa, quantitate præcedentis compoſiti, vel ſequentis; non tamen recipit in ſe actionem media quantitate,vel eius ratione,ſed ratione ſui, atque immediatè, ſicut ratione ſui, & immediatè recipit ſubſtantialem formam ad quam ordinatur per ſe,& immediatè eadē generatio tamquam ad terminum formalem: commitanter ergo tantum ſe habet quantitas ad receptionem ſubſtantialis formæ, non tamquam ratio recipiendi. Quod vero dicitur generationem eſſe accidēs extenſum,etiam eſt diſtinguendum,nam ſi intelligatur ita eſſe extenſum,vt media quantitate recipiatur in ſubiecto, ſicut cætera accidentia materialia, atque extenſa, falſum eſt;cum immediatè,& per ſe recipiatur in materia, ſicut recipitur forma. Si vero intelligatur eſſe extenſam,quaſi à poſteriori, ita vt per quantitatem conſequentem compoſitum in eodem inſtanti generationis,coextendatur materię,ſicut coextenduntur formę materiales eductæ de potentia eiuſdem materiæ per eamdem generationem, verum eſt:habet enim generatio ſicut formæ iſtæ ſuas partes integrantes entitatiuas, per quas capax eſt extenſionis materiæ ratione quantitatis compoſiti, ſicut formæ prædictæ. Ex quibus patet argumentum non probare, quod quantitas, & cætera accidentia ſint in materia tamquam in proprio ſubiecto.

201 Ad quartum reſpondetur conceſſa maiori, quod non poteſt agens naturale introducere ſuam formam, niſi in materia diſpoſita,& determinata pro tali forma; ſed neganda eſt minor, quod nec ſit diſpoſita, nec determinata per diſpoſitiones, quas habuit compoſitum corrumpendum tempore præcedente inſtans generationis,nam licet illæ non maneant in initāti generationis,ſatis eſt immediatè præceſſiſſe; cum verum ſit virtute earum expulſam eſſe formam præcedentem, & introductam ſequentem; quod ſic oſtendo:inſtans generationis eſt primum nō eſſe alterationis,& diſpoſitionum,quas per eamdem alterationem induxit agens, eſt etiam primum non eſſe formæ ſubſtantialis,quæ corrumpitur,ergo virtute earum expellitur forma,etiamſi non exiſtant in inſtanti generationis: euidens eſt conſequentia, quia ſi Deus ſuſpenderet conſecutionem nouæ formæ,& vellet conſeruare materiam ſine vlla forma, non minus ſequeretur naturaliter expulſio formæ, quā modo ſequitur per intro

per introductionẽ nouæ:ergo ſequitur ſufficienter fuiſſe expulſam virtute earum. Sed probatur antecedens, quia vel cum diſpoſitionibus præcedentibus tempore immediato poteſt naturaliter permanere in materia forma corrumpenda in inſtanti terminatiuo alterationis, vel nõ poteſt:ſi poteſt,ergo illud inſtans non erit primum non eſſe eius in materia, quod patet eſſe falſum, cum ſupponamus contrarium, ſuſpendente Deo conſecutionem alterius,& volente conſeruare materiam ſine forma; ſi vero non poteſt permanere in eodem inſtanti terminatiuo alterationis, ſed neceſſariò eſt expulſa, ſequitur naturaliter eſſe expulſam virtute diſpoſitionum præcedentium,quia non eſt aliud medium, per quod potuerit expelli ab agente, vt per ſe eſt manifeſtum. Ex quo infertur primo virtute etiam diſpoſitionum præcedentium modo introduci nouam formam. Probatur conſequentia, quia expulſionem vnius formæ, ſequitur naturaliter introductio alterius. Secundo infertur virtute earundem diſpoſitionum ſequi introductionem talis formæ determinatæ, vt ignis,exempli gratia,ſi diſpoſitiones ſint calor,ſiccitas, & raritas. Probatur conſequentia, quia impoſſibile eſt naturaliter, quod expulſionem formæ ligni à materia virtute talium diſpoſitionum ſequatur alia forma,niſi ignis,nam tales diſpoſitiones eam expellentes dicunt determinatum ordinem ad eam tanquam ad finem, in quem ab agente naturali ordinantur, & repugnat cuicumque alteri formæ. Tertio ſequitur materiam ſic 202
diſpoſitam per tales diſpoſitiones præcedentes ſufficienter eſſe determinatam ad talem formã in ſpecie, & ad talem etiam in indiuiduo: primum iam probatum eſt, quia ſi expulſionem talis formæ per tales alterationes, & diſpoſitiones non poteſt ſequi,niſi forma ignis, determinata erit materia ad eandem, & non aliam ſuſcipiendam virtute talium diſpoſitionum.Sed probatur etiam ſecundum, quia mediis talibus diſpoſitionibus, & alterationibus præcedentibus à tali agente, à tali proximo, & tali tempore, ex quibus ſequitur in tali inſtanti terminatiuo eius expulſio talis formæ, determinatur idem agens naturale proximum à primo ad talem formam introducendam; cum ex ſe eſſet indifferens ad quamcumque aliam ſuæ ſpeciei, & conſequenter manet materia ex parte ſua ordinata, ac determinata ad talem formam, & non aliam ſuſcipiendam. Hic autem ordo, & hæc determinatio ſolum fundatur in ordine naturalis conſecutionis, quem habent formæ inter ſeſe reſpectu eiuſdem materiæ diſpoſitæ talibus diſpoſitionibus, atque etiam in ordine naturali,quem habent diſpoſitiones ipſę,ex eo,quo procedunt à tali agente,& diſpoſitiuè expellunt à materia formam,

quam habet, ad formam introducendam ab eodem agente eiusdem speciei cum ipso tanquam ad finem ad quem ordinantur ab eodem agente. Quod vero naturalis hæc ordinatio sit relatio realis intrinseca in materia fundata in actione, per quam producuntur dispositiones, vel sola denominatio extrinseca ab eisdem dispositionibus, nihil refert, quia sine relatione reali potest stare naturalis consecutio formarum, & dispositionum in materia, vt patet in anima, & cadauere, atque etiam in forma vini, & aceti, nam vt docet Aristoteles acetum non potest fieri, nisi ex vino: & quod sigillatio appelletur in materia talis determinatio, vel non quæstio est de solo nomine, de qua nihil curandum est, dummodo res significata fundamentum habeat in natura rerum. Ex quibus intelligitur, materiam sufficienter esse dispositam in instanti generationis per dispositiones præcedentes, licet in ea non permaneant: satis est enim virtute earum expelli formam oppositam, & introduci nouam, vt dicatur disposita, ac determinata, vt probatum est: permanentia vero, vel præsentia earum non solum non iuuat introductionem nouæ, sed impedit modum vnionis substantialis eius cum materia, quia si illis mediis permanentibus in eadem materia vniatur forma, accidentalis erit vnio secundum modum cum mediis accidentibus prius vnitis eidem materiæ fiat, quod non est admittendum, vt ergo substantialis sit, non solum secundum rem, sed etiam secundum modum necesse est, nudæ materiæ vniatur forma, hoc est, nullo accidenti medio actu in ea existente, & prius natura ei vnito. Quod vero dicimus virtute dispositionum præcedentiũ expelli vnam formam, & introduci alteram, non ita intelligimus, vt tales dispositiones aliquid agant, in instanti, in quo non sunt, quia nec dum sunt, dicuntur aliquid efficere, sed solum in genere causæ materialis disponere materiam pro recipienda noua forma. Virtute igitur earum dispositam esse materiam, & formam antiquam expulsam, id tantum esse dicimus, quod est, per immediatam præcessionem earum in materia virtute talis agentis, & in tali tempore illo instanti terminato, nec posse formam antiquam permanere, nec aliam ab ea, quæ sequitur, introduci, quia talis est ordo præcedentiæ, & consecutionis inter formas, & dispositiones à tali agente procedentes, & in tali materia inductas, à natura constitutus, vt post dispositiones has, & hanc formam non possit alia sequi in materia.

203 Ad vltimum, in quo afferuntur experientiæ, de quantitate, organizatione, figura, cicatrice, & calore permanentibus in cadauere, negandum est antecedens, quod permaneant eadem numero,

numero,sed permanent solum eadem specie,valde tamen similia,& propter maximam similitudinem iudicant sensus esse eadem numero, quemadmodum contingeret, si vidente aliquo ouum quoddam,supponatur eo inscio loco illius alterum valde simile in eodem loco, vel distantia, ac situ, certum est iudicare esse idem numero, iudicio quidem sensus falso. Quod absque dubio contingit,quia identitas,vel diuersitas numerica non est proprium sensibile,sed commune,sicut numerus.Circa sensibile autem commune,etiam debitè approximatum falli possunt sensus externi: cum non sit proprium obiectum eorum,à quo specificantur: quare corrigi debent ab intellectu, vel intellectus ipse sequens ductum sensuum corrigi debet à seipso iudicante potius secundum naturas rerum,quàm secundum ea,quæ apparent sensibus. Ita ergo dicendum est in proposito,sensus decipi, vel intellectum sequentem ductum eorum, & iudicantem esse eadem accidentia numero in cadauere, quæ erant in corpore viuo,& rationem deceptionis esse maximam similitudinem eorum. Decipi vero satis probabiliter existimamus,propter rationes,quibus confirmata est nostra sententia,quibus fit valde probabilis, & ferè expressa in doctrina Aristotelis. Circa causam vero, à qua producuntur diuersa numero accidentia, non est maior difficultas, quam circa causam, à qua producitur forma cadaueris,nam plures ex eis sunt dispositiones eiusdem formæ, causam vero cadaueris non minus tenetur assignare opposita sententia, quàm nostra. Ad educendam igitur formã cadaueris de potentia materiæ in instanti corruptionis viuentis corporis, & productionem totius compositi, quod vocamus cadauer, omnes ferè concedunt concurrere vniuersales causas,vt Deum, & corpora cælestia. Tota autem difficultas est, an præter cau- 204
sas vniuersales habeat aliquam particularem per se concurrentem cum illis, vel à solis vniuersalibus educatur illa, & fiat hoc. Et quidam ex authoribus oppositæ opinionis, qui tenent eadem numero accidentia, quæ fuerunt in genito, permanere incorrupto, asserunt ab eisdem dispositionibus, à quibus expellitur, anima tanquam ab instrumentis vniuersalium causarum educi formam cadaueris, & generari cadauer: ita sentiunt Conimb.lib.1.de generatione cap.4.quæst.12.artic.2.& quæst. 18. artic. 3. Sed hæc sententia innititur duobus valdè incertis. Primum est, quod eadem numero accidentia permaneant in genito, & in corrupto. Secundum, quod dispositiones præcedentes in materia,non solum dispositiuè, & quasi materialiter, sed efficienter cõcurrant ad eductionem,& introductionem sequentis formę,vt calor,qui producitur in ligno ad productiõ

ignis ex eo. Et hoc ſecundum, non ſolum eſt incertum,ſed expreſſe contra D.Thomam, & communem ſententiam,vt inferius oſtendetur. Ideo alij dicunt,non ab his diſpoſitionibus,ſed à cauſa particulari eas conſeruante inſtrumentaliter produci: hanc autem cauſam imprimis eſſe corpora intrinſeca ambientia,vt aërem, vel aquam iuxta temperamentum corporis:deinde partes quaſdam non viuentes admixtas viuentibus, vt ſunt humores,& ſpiritus vitales, & animales,& plura alia, quæ omnia cum non viuant, nec informentur anima, permanent mortuo corpore, & concurrere poſſunt ad eductionem formæ cadaueris,tanquam ſimilem animę,cui pro materia,& inſtrumentis deſeruiebant. Sed hæc ſententia non videtur habere fundamentum in vera Philoſophia:quod ſic probo.Spiritus vitales,& animales ſunt propria inſtrumenta animæ in ordine ad vitales operationes, humores vero ſunt quaſi partes ſecundariæ eiuſdem viuentis ordinatæ à natura ad nutritionem, nempe, vt in partes viuentes conuertantur, vt patet de ſanguine,atque etiam ad conſeruationem vitæ, vt patet de eodem ſanguine,& cæteris humoribus:ergo per ſe ordinãtur omnes ad vitam,& conſeruationem eius;ſed forma cadaueris eſt incompoſſibilis in materia cum anima,& quodammodo ei oppoſita,à qua expellitur,atque etiam quaſi terminus corruptionis vitæ:ergo repugnat ſpiritus vitales, & animales, ſanguinem, & alios humores ordinari per ſe ad eductionem formæ cadaueris,& eſſe inſtrumenta per quæ effectiuè educatur, iam enim agerent ad corruptionem corporis viuentis.Dicendum igitur eſt de forma cadaueris idem prorſus, quod de formis animalium imperfectorum, quæ fiunt ex putrefactione terræ, naturali quidem conſecutione educi de potentia materiæ,in qua tales diſpoſitiones præceſſerunt,nempe talis organizatio, talis figura, tale temperamentum, & aliæ; nec dari cauſam efficientem particularem, à qua producatur, ſed à ſolis vniuerſalibus,& prima eas determinante ad tales effectus cum eiſque concurrente produci.

205 Quod probatur primo ex refutatione aliarum opinionum, à quibus nulla aſſignatur idonea cauſa particularis. Secundo experientia,quia repentinæ mortis iugulati nulla datur veriſimilis cauſa particularis interna, nulla alteratio humorum, vel membrorum, à qua produci poſſit diſpoſitio congrua, & per ſe ordinata ad eductionem formæ cadaueris, ſed reſpectu cauſarum particularium efficientium omnino per accidens ſequitur: ſolum ergo poteſt eſſe talis conſecutio per ſe ex ordinatione,& concurſu naturæ vniuerſalis, hoc eſt, vniuerſalium cauſarum, ad quas per ſe pertinet eductio formæ iuxta exigentiam materiæ ſic

riæ sic dispositæ, in qua talis forma præcessit; ita vt quemadmodum forma aceti non potest introduci in alia materia, ab ea, in qua præcessit forma viui; sic in materia in quá fuit anima, quæ est actus corporis Physici, & organici, non potest sequi naturaliter, nisi alia quodammodo similis secundum organizationem, quam necesse est vitæ quodammodo opponi. Et tota ratio huius est, quia sicut corpus mixtum compositum ex elementis, ita dissolutio, vel corruptio eius tendit in elementa, sed quia elementa sunt corpora homogenea, & ideo ex hac parte quasi per extremum dissimilia corpori organico, & non potest naturaliter aliquid transire de extremo, ad extremum, nisi per media minus dissimilia, propterea prouidit natura de his formis, quodammodo similibus; & mediis, vt per eas transiret materia ad elementa dissimilia: & ex his formis naturali necessitate materiæ eductis, & introductis à causis vniuersalibus; & prima, sequuntur aliæ etiam similes dispositiones, nempe similis organizatio, figura, atque etiam quantitas accommodata præcedenti, quam habuit corpus viuum, quorum accidentium iam forma ipsa cadaueris educta, & introducta causa efficiens est particularis, qua media vniuersales producunt similia accidentia; eadem etiam ratione sequitur similis cicatrix ei, quæ præfuit in organizatione corporis viui radicata, & similis etiam calor aliquando propter nimiam radicationem eius in corpore viuo.

Ex his, quæ dicta sunt à nobis in tota hac quæstione colligitur, quod præter incompleta accidentia, quæ soli materiæ, vel soli formæ conueniunt, quales sunt generatio, relationes partium, vel similia, nullum accidens permanet idem numero in re genita, ex his, quæ fuerunt incorrupta.

QVÆSTIO IX.

An omnia accidentia proximè inhæreant substantiæ, vel quædam non nisi mediis aliis?

PRima opinio asserit nullum accidens recipi immediatè in substantia, sed quodcumque ei inhærere media potentia receptiua, quæ sit accidens eiusdem prædicamenti cum ipsomet accidenti recepto, vt qualitas recipitur in substantia media potentia, quæ sit qualitas, & quantitas media potentia de genere quantitatis. Ita Sonzinas 12. lib. Metaph. quæst. 16. conclusione 2. & Iauellus quæst. 8. Probat testimonio Aristotelis, & 106

D.Thomæ: nam Aristoteles 12. lib. Metaph. text. 26. asseruit, *Eadem esse principia omnium generum*, quæ verba exponit Comment. non de identitate vniuoca, sed analogica, ita vt sicut substantia habet tria principia, Physica nempe materiam, formam, & priuationem, sic quodlibet prædicamentum accidentis habeat hæc eadem principia eis proportionata. Et adducit exemplum Aristoteles, nam principium albi (inquit) tanquam forma est albedo, tanquam priuatio, nigredo, tanquam subiectum, vel materia, superficies, in qua recipitur. Ex quibus verbis sic expositis, hoc argumentum colligunt. In quocumque prædicamento est propria potentia receptiua formæ illius prædicamenti: ergo omnis forma accidentalis recipitur in substantia media tali potentia sui generis; quare nullum accidens recipitur immediatè in substantia. Et D. Thomas 1. parte, quæstione 77. artic. 1. ex eisdem verbis Aristotelis videtur colligere hoc principium vniuersale à multis post ipsum receptum. *Potentia & actus sunt in eodem genere*, sic enim ait: *Cum potentia, & actus diuidant ens, & quodlibet genus entis, oportet, quod ad idem genus referantur potentia, & actus: & ideo si actus non est in genere substantiæ potentia, quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiæ, &c.* Probatur etiam ratione, quia potentia specificatur ab actu: ergo si actus est accidentalis, potentia etiam ad illum ordinata debet esse accidentalis: ergo omnis potentia substantiæ ad recipiendum formam accidentalem erit accidentalis, & ideo media tali potentia eam recipiet, & non immediatè per se. Secundo, quia si substantia per se immediatè recipit formam accidentalem: ergo per se immediatè est capax talis formæ, & potens eam recipere; quod est per se immediatè habere potentiam passiuam ad eam recipiendam. De illa ergo potentia passiua inquiro, an sit substantialis, vel accidentalis: non potest esse substantialis, quia potentia substantialis ordinatur per se ad actum substantialem, & non ad accidentia, nam res superioris ordinis, qualis est substantia, non potest per se ordinari ad rem inferioris ordinis, qualis est accidens: erit igitur accidentalis potentia, qua media recipiet quodcumque accidens, & nullum immediatè per se.

207 Hæc tamen sententia falsa est. Probatur primo ex natura substantiæ, quæ in duobus consistit; primum est, vt ei debeatur subsistentia per se, & independens ab alio; secundo, vt per hanc subsistentiam per se possit substare omnibus; ideo de prima substantia in se, & per se substante asseruit Aristoteles in primo prædicamento; primo, per se, principaliter, & maximè

substare

ſubſtare, quia ratione ſui ſubſtat, non ſolum accidentibus, ſed ſecundis ſubſtantiis, hoc eſt, vniuerſalibus prædicatis ſubſtantialibus: ſed ſubſtare idem eſt, ac ſuſtentare tamquam ſubiectum cætera: ergo ſubſtantia ſua propria virtute, & ſine adminiculo alicuius accidentis poteſt eſſe ſubiectum accidentis. Probatur conſequentia, quia eſſe ſubiectum non eſt aliud, quàm ſuſtentare id quod in ſe recipit. Secundo probatur argumento ducente ad impoſſibile; nam ſi ſubſtantia non poteſt ſuſtentare accidens, niſi media potentia, quæ ſit accidens eiuſdem prædicamenti, vt aſſerit hæc ſententia, ſequitur euidenter dari proceſſum in infinitum. Probatur conſequentia; nam potentia illa accidentalis per quam ſuſtentat quantitatem, eſt accidens eiuſdem prædicamenti quantitatis: ergo vel immediatè inhæret ſubſtantiæ, vel media alia potentia, quæ ſit accidens; ſi primum admittatur, iam conceditur, ſubſtantiam immediatè ſuſtentare aliquod accidens contra eamdem opinionem; ſi vero ſecundum, de illa ſecunda potentia per quam recipitur prima in ſubſtantia eadem eſt quæſtio, an immediatè recipiatur, vel per aliam potentiam accidentalem; & ſic dabitur proceſſus in infinitum, vel concedendum erit aliquod accidens immediatè recipi in ſubſtantia tamquam in ſubiecto. Tertio, quia non ſolum debet admitti proceſſus infinitus, ſed adhuc eo admiſſo, probatur non minus euidenter, quod aliquod accidens recipiatur immediatè in ſubſtantia, nam admiſſo proceſſu infinito, de tota illa collectione infinita accidentium verum eſt, quod ſit in alio tamquam in ſubiecto: nam omnia, & ſingula ſunt accidentia; ſed illud aliud in quo debet eſſe tamquam in ſubiecto, non eſt accidens; cum ſit extra totam illam collectionem infinitam accidentium: ergo eſt ſubſtantia, cui inhæret tota eadem collectio accidentium, vel aliquod ſaltem eorum.

Noſtra igitur ſententia eſt, quod non omne accidens reci- 208
piatur in ſubſtantia medio alio accidenti ſui, vel alterius prædicamenti, ſed aliquod ſit immediatè in ea receptum; hoc eſt, nulla media potentia, quæ ſit accidens reale diſtinctum ab ea ex natura rei. Ita Caiet. 1. p. q. 54. art. 3. Pater Suarius. 1. tom. ſuæ Metaph. diſp. 14. ſect. 5. num. 8. & 9. & omnes recentiores. Probatur ex Ariſtotele cap. 5. anteprædicamentorum, & pluribus aliis ſuæ doctrinæ locis, in quibus diuidit ens reale in ſubſtantiam & accidens: ſed membra huius diuiſionis debent eſſe immediatè oppoſita, & conſequenter immediatè comparari inter ſeſe; ſed ratio intrinſeca accidentis eſt eſſe in alio tamquam in ſubiecto ſaltem ſecundum aptitudinem: ergo neceſſe eſt aliquod ſaltem accidens à toto (vt aiunt) genere, vel vniuerſaliter

immediatè comparari ad ſubſtantiam,tamquam ad ſubiectum, & immediatè ei inhærere. Probatur etiam teſtimonio D.Tho. 1. part. quæſt. 77. art. 1. ad 5. vbi ita ait: *Si accidens accipiatur ſecundum quod diuiditur contra ſubſtantiam: ſic nihil poteſt eſſe medium inter ſubſtantiam, & accidens; quia diuiduntur ſecundum affirmationem, & negationem, ſcilicet ſecundum eſſe in ſubiecto, & non eſſe in ubiecto, &c.* Ex quibus colligit potentias animæ, vt intellectus, & voluntas, cum ſint accidentia in ſecunda ſpecie qualitatis, non eſſe realiter ſubſtantiam animæ, ſed immediatè ei inhærere,tamquam ſubiecto:ſentit ergo aliquod accidens immediatè inhærere in ſubſtantia ſine vlla media potentia,quæ ſit accidens.

Probatur deinde ratione,ex natura accidentis,nam accidens eſt extra rationem, & entitatem ſubſtantiæ, & conceditur ei à natura pro perfectione, & ornatu proprij eſſe, & vt per illud poſſit præſtare plura, quæ per ſe immediatè non poteſt, vt operationes, & alia: ergo neceſſariò debet concedi in ipſamet eſſentia, & in ipſomet eſſe ſubſtantiæ capacitas naturalis reſpectu talis ornatus,alioqui non eſſet ei naturalis, nec naturaliter reciperetur in ea. Hæc autem capacitas, per quam recipitur, eſt potentia paſſiua recipiendi: ergo non poteſt eſſe res diſtincta ab ipſamet ſubſtantia, nec requiritur ad recipienda omnia accidentia aptitudo, vel potentia receptiua in ſubſtantia, quæ ſit accidens reale diſtinctum ex natura rei ab ea, ſed realiter per ſeipſam immediatè recipiet aliquod accidens. Secundo probatur,nam ſubſtantia Angeli eſſentialiter eſt intellectiua,& anima noſtra eſſentialiter eſt rationalis: ergo vtraque ſubſtantia per ſe immediatè capax eſt potentiæ ad intelligendum,& ratiocinandum;ſed hæc potentia,vt alibi oſtenderur,eſt accidens, ſuperadditum ſubſtantiæ creatæ ad operandum in ſecunda ſpecie qualitatis: ergo immediatè,& per ſe illud recipit ſubſtantia Angeli,& animæ rationalis.

209 Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondeo, ita eſſe quod eadem ſunt principia omnium entium, vel omnium prædicamentorum ſecundum proportionem, ita vt res quæcumque tria illa principia habeat ſuo modo, ſubſtantia quidem verè, & propriè habet tria principia in fieri,nempe materiam,formam & priuationem; accidentia vero ſolum per ſimilitudinem;nam quodlibet dum fit, habet aliquid,quod ſe habet tamquam materia,quod eſt ſubiectum, & aliquid, quod ſe habet tamquam priuatio in ſubiecto, videlicet carentiam ſui, vel formam oppoſitam includentem quandam rationem priuationis eius; ſed non eſt neceſſarium, quod hæc tria principia ſint eiuſdem generis,

Digitized by Google

generis, vel prædicamenti ſecundum entitatem; ſed hoc ſolum habet verum in ſubſtantia, in qua reperiuntur propriè; in cæteris vero prædicamentis ſecundum aliquam ſaltem denominationem; ita vt ſubiectum, quod ſe habet vt materia, ſit tale in potentia qualis eſt forma ipſa accidentalis in actu, quamuis ſecundum propriam entitatem ſit alterius prædicamenti; vt album habet pro forma albedinem, pro priuatione nigredinem, ſed pro materia ſubſtantiam, quæ licet alterius ſit prædicamenti ſecundum entitatem, in potentia tamen eſt alba, quia poteſt recipere albedinem, & ideo vt talis reducitur ad idem prædicamentum qualitatis, in quo ſunt forma, & priuatio. Quare non ſequitur ex verbis Ariſtotelis ſic explicatis, quod ſubſtantia recipiat albedinem, vt ſubiectum eius per aliam potentiam receptiuam, quæ ſit accidens ex natura rei ab ea diſtinctum, ſed per propriam entitatem eam recipit; quæ tamen entitas, per quandam denominationem accidentalem dicitur pertinere ad idem prædicamentum qualitatis. Vnde ſequitur male intellexiſſe verba Ariſtotelis authores primæ opinionis exiſtimantes, quodlibet prædicamentum habere principia propria eiuſdem entitatis, ita vt ſi ſit qualitas habeat præter formam, & priuationem, potentiam receptiuam, quæ ſecundum ſuam entitatem ſit qualitas, hoc enim non eſt ex mente Ariſtotelis, nec in doctrina eius poteſt ſuſtineri; ſed verba eius in prædicto ſenſu debent intelligi.

Aliud verò axioma, quod ex eodem teſtimonio videtur colligere D. Tho. nempe actum, & potentiam eſſe eiuſdem generis, non eſt ita intelligendum, vt eiuſdem prædicamenti eſſe debeant ſecundum entitatem, ſed ſaltem ſecundum eamdem denominationem, quia licet potentia ſit alterius prædicamenti ſecundum entitatem, ſuſcipit tamen denominationem formæ, ita vt corpus ſubſtantiale ſit album, in potentia, in quantum poteſt habere formam albedinis ipſum actu, & formaliter denominantem album. Et hoc idem videtur eſſe, quod Scotus aſſeruit in 2. d. 26. q. 1. potentiam eſſe eiuſdē generis cum actu, non quidem actiuam, aut paſſiuam, ſed obiectiuam, in quantum ab intellectu apprehenditur habere formam, vel actum in eſſe poſſibili, vt corpus in quantum apprehenditur poſſe habere albedinem dicitur pertinere ad prędicamentum qualitatis, & ſpeciem albedinis, & ex hoc dicitur habere potentiam obiectiuam reſpectu talis actus, vel formæ, non vero potentiam paſſiuam realem, quæ ſit accidens de prædicamento qualitas. Nam ſi de potētia paſſiua, aut actiua reali eiuſdē prædicāmēti intelligatur idem axioma, apertè falſum erit: cum potentia quælibet actiua 210

realis, & accidentalis sit in secunda specie qualitatis, & actus eius in prædicamento actionis, vt patet de grauitate, risibilitate, & cæteris. Et si in substantia corporea daretur potentia passiua realis, quæ esset reale accidens, in prædicamento qualitatis deberet collocari: vbi collocantur omnes potentiæ naturales ad agendum, vel recipiendum, & tamen actus eius, qui est quantitas, est in alio prædicamento.

211 Ad primum argumentum distinguendum est antecedens, quod potentia specificetur ab actu, nam de his, quæ per se ordinantur ad actum, verum est, & in hoc sensu prolatum ab Aristot. 2. lib. de Anima, cap. 4. de his vero, quæ non per se, sed per accidens ordinantur ad aliquem actum, non potest esse verum, quia quæ sunt per accidens, non conferunt speciem; entitas vero substantiæ habet quidem capacitatem, & potentiam recipiendi accidentia, non tamen per se ordinatam ad illa, quia substantia cum sit per se, & essentialiter independens à quocumque accidenti, & etiam quodcumque accidens sit extra essentialem, & completã rationem eius, non ordinatur per se ad ea recipienda, sed per accidens: quare nec potentia passiua eius accipit speciẽ ab actu, seu forma accidentali recepta. Et propterea docuimus, & probauimus in ante prædicamentis ex mente Aristotelis, & D. Thomæ, ex potentia substãtiæ ad recipiendum accidens, & ex ipso accidenti recepto non fieri vnum per se, sed per accidens, & ideo excludendũ à prædicamento, quia talis potentia nõ est per se ordinata ad actũ accidentalẽ, quia repugnat rẽ vnius prędicameti per se ordinari ad rẽ alterius prædicameti.

Ad secundum concedendum est primum enthimema, nempe substantiam per se immediatè recipere formam accidentalem, & per se immediatè esse capacem recipiendi illam, & cum deinde inquiritur, an capacitas hæc, seu potentia passiua sit substantialis, vel accidentalis; respondeo realiter, & entitatiuè esse substantialem, quia non distinguitur ex natura rei à substantia, nec est aliquid reale ei superadditum, sed solum dicitur potentia, vel capacitas eadem entitas substantiæ denominatione quadam accidentali, in quantum per accidens, hoc est, propter quemdam ornatum, quem ab accidentibus nata est suscipere, ad illa ordinatur quadam ordinatione accidentali; cum tamen non sit realiter accidens, sed substantia, vt dictum est. Negandum est igitur, quod sit potentia substantialis, hoc est, ordinata ad substantialem actum, sed solum potest dici entitatiuè substantialis, quia entitas substantialis est, denominatiuè vero accidentalis potentia vocatur ab actu, vel forma accidentali, quam per accidens suscepit, vt expositum est.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

An omnia accidentia inhæreant immediatè in subſtantia, vel quædam, non niſi medijs alijs?

PRima opinio tenet accidentia eſſe in duplici differentia, 212
nam quædam ſunt congenita ſubſtantiæ, qualia ſunt, quæ per naturalem emanationem ex ea procedunt in eodem inſtanti, in quo fit, vel generatur: nam ex hoc dicuntur congenita, vt proprietates, & potentiæ naturales ad aliquem actum eliciendum ordinatæ à natura; nam intellectus naturaliter procedit ab anima in inſtanti, quo creatur à Deo, & riſibilitas ab homine in inſtanti, in quo generatur. Alia ſunt, quæ per motum, vel mutationem, aut actionem, vel paſſionem acquiruntur, & tales ſunt omnes actus potentiarum, vt ſenſationes, intellectiones, immo & motus ipſi, & mutationes. Et accidentia primi ordinis (ait) immediatè recipi in ſubſtantia; alia vero non niſi media potentia reali, & accidentali. Ita Caienus vbi ſupra; cuius rationem videtur poſuiſſe 1. p. q. 77. art. 1. nam accidentia congenita ſubſtantiæ eſſentialiter ſunt potentiæ, quia ad hoc principaliter ordinantur, vt aliquos actus eliciant, atque in ſe recipiant, vt intellectus intellectiones, & ſenſus ſenſationes: dicuntur autem actus ſubſtantiæ, non propriè, ſed ſolùm ſecundum communem rationem accidentis, reliqua vero accidentia propriè dicuntur actus. Vnde ſequitur propriè poſtulare potentias, in quibus immediatè recipiantur; potentias vero ipſas non poſtulare alias potentias, in quibus recipiantur; ſed abſque vlla media potentia receptiua inhærere in ſubſtantia; cum ipſæ ſint ſecundum proprias rationes eſſentiales potentiæ, & ſolum quadam ratione communi, & impropria dicantur actus.

Hæc tamen ſententia Caietani inſufficiens eſt, quia licet verum ſit, accidentia congenita inhærere in ſubſtantia abſque aliqua media potentia receptiua, quæ ſit accidens reale, non eſt tamen vniuerſaliter verum de aliis, quæ poſſunt acquiri per actionem, & paſſionem, quod indigeant potentia reali accidentali, in qua recipiantur, & qua media inhæreant ſubſtantiæ, nam quantitas imprimis vtrumque habet, nempe congenitam eſſe ſubſtantiæ corporeæ, & etiam acquiri per motum augmentationis, & amitti per diminutionem, & tamen non indiget potentia receptiua accidentali, ſed ſine illa, atq; per ſe immediatè inhæret ſubſtantiæ: & relationes identitatis, & diuerſitatis non ſunt neceſſariò congenitę ſubſtantiæ, ſed acquiri poſſunt,

possunt,& amitti per actionem,& passionem, saltem secundariò,& quasi per accidens, & nihilominus inhærent substantiæ sine aliqua potentia accidentali receptiua, sed immediatè per se. Idemque de simplici præsentia ostendi potest, quæ videtur immediatè conuenire substãtiæ,& tamen posse acquiri,& amitti per motum:alia ergo regula sufficiens assignanda est, vt in particulari intelligi possit, quæ accidentia immediatè per se inhæreant substantiæ, & quæ non nisi media potentia reali receptiua,quæ regula à nemine,quem viderim,præscribitur.

213 Nostra igitur sententia est,sufficientem regulam ex effectu formali, quem accidentia tribuunt substantiæ, desumendam esse:erit autem talis.Omnia illa accidentia, quæ tribuunt proprium effectum formalem substantiæ absque vllo medio inhærent ei, & absque vlla potentia receptiua reali accidentali præ upposita in ea.Ratio huius regulæ manifesta est, quia vniuersaliter verum est accidens tribuere subiecto suum effectum formalem (loquimur enim de solis intrinsecis) media actuali inhærentia in eo; vt albedo constituit corpus formaliter album media inhærentia, sicque de cæteris; ergo eo modo, quo tribuit effectum formalem substantiæ, ei inhærebit, si per se immediatè,eodem modo ei inhærebit, si vero medio alio,non immediatè,sed illo medio dicetur inhærere. Potest etiam probari inductione in quibuscumque: nam quantitas per se immediatè facit substantiam extensam extensione mollis, quia euidens est nullo indigere ad eam extendendam, & ideo absq; vlla potentia receptiua reali,& accidentali:sed per se immediatè ei inhæret. Relatio etiam identitatis specificæ per se immediatè constituit substantiam relatiuam,& ideo absque vllo medio ei inhæret;intellectus etiam,& voluntas idem habent,sicq; de cæteris ostendi potest.Cętera vero accidentia, quæ non per se immediatè, sed medio alio tribuunt suos effectus formales substantiæ,non dicentur ei inhærere per se immediate,sed media potentia receptiua reali accidentali. Sed circa hanc partem eiusdem regulę quædam distinctio notanda est:nam dupliciter contingit accidens tribuere suum effectum formalem substantiæ medio alio,nempe tamquam subiecto, vel solum tamquam conditione sine qua non. Et quotiescumque tribuitur medio alio,vt subiecto, non potest immediatè per se inhęrere, sed media potentia receptiua reali accidentali. Si vero ad tribuendum effectũ formalẽ non indigeat alio medio;vt subiecto, sed vt cõditione tantũ,semper inhęrebit per se immediatè. Quãdo vero vno modo & quando alio effectũ tribuat:ex eo intelligetur,quod si eidem medio tribuat proprium effectum inhærebit

substan-

Digitized by Google

ſubſtantiæ eo medio vt ſubiecto,& ideo non immediatè per ſe, ſed media potentia reali accidentali. Si vero non tribuat medio effectum formalem, non inhærebit eo medio tamquam ſubiecto,ſed ſolum vt conditione:& ex conſequenti immediatè per ſe inhærebit ſubſtantiæ, & non media potentia reali accidentali:exemplis fiet res manifeſta. Albedo inhæret ſubſtantiæ media ſuperficie tribuens ei proprium effectum formalem, ideo inhæret illi media ſuperficie vt ſubiecto,& non per ſe immediatè ; riſibilitas inhæret homini media quantitate, cum ſit accidens extenſum , ſed non tribuit quantitati proprium effectum formalem,nec enim verum eſt quantitatem eſſe riſibilem,& ideo non inhæret media quantitate,vt ſubiecto , ſed vt conditione:quare non tollit , quin inhæreat per ſe immediatè ſubſtantiæ hominis , & abſque vlla media potentia receptiua reali accidentali:& ſic de cæteris accidentibus iudicandum eſt, quod facilè iudicari,& intelligi poteſt.

QVÆSTIO X.

An vnum accidens verè, & propriè ſit ſubiectum alterius accidentis.

REſtat explicandum,an vnum accidens verè, & propriè ſit 214
ſubiectum inhæſionis alterius accidẽtis:Circa quod omnes conueniunt in eo,quod aliqua accidentia inhæreant ſubſtantiæ medijs alijs, vt accidentia corporea media quantitate, & actus intellectus, & voluntatis animæ,medijs potentijs intellectus , & voluntatis:ſuppoſito quod iſte potentiæ ſint accidentia realia ſuperaddita ſubſtantiæ animæ:ſed quod vnum accidens inhæreat ſubſtantiæ medio altero , dupliciter poteſt intelligi.Primo,ita vt in eo recipiatur, & verum genus cauſæ materialis circa illud exerceat. Secundo,non ita , vt illud in ſe recipiat,nec verum genus cauſæ materialis circa illud exerceat,ſed vt ſit diſpoſitio neceſſariò requiſita ex parte ſubſtantię ad illud recipiendum,vel conditio neceſſaria:& ſi primo modo vnum accidens inhęreat medio alio,erit in eo tamquam in ſubiecto immediato.Si verò ſolum ſecundo modo,non erit in ęo tamquam in ſubiecto. Sed rurſus vnum accidens eſſe in ſubſtantia medio alio,vt ſubiecto,duobus modis intelligi poteſt. Primo,ita vt ſolum ſit ei ratio materialis inhærendi , & hoc ſolent vocare ſubiectum,quo.Secundo, ita vt ſit etiam cui proximè inhæreat , & hoc ſolent vocare ſubiectum , quod,

immedia

immediatum. Si ergo vnum accidens sit solum ratio materialis inhærendi alteri,& non inhæreat ei,vt subiecto, quod, proximo,omnia accidentia erunt in substantia tamquam in subiecto,quod,proximo, & nullum erit hoc modo subiectum alterius;si vero vnum accidens sit in substantia medio alio, cui inhæreat tamquam, quod, non omne accidens erit in substantia tamquam in subiecto proximo, sed illa , quæ hoc modo in ea fuerint medijs alijs erunt in eis tamquam in proximo subiecto,& in substantia tamquam in primo,atque remoto.

Secundò certum est, & in quo conueniunt omnes ; nullum accidens posse esse subiectum quod alterius , tamquam per se illud sustentans;quod ex extrinseca ratione substantiæ, & accidentis probatur euidenter;nam sola substantia est ens per se,& ei soli debetur existentia,& subsistentia per se , ratione cuius ei soli conuenit substare cæteris,hoc est , ea in se sustentare:accidens etiam ab intrinseco habet esse ens in alio , & ideo non potest esse in rerum natura,nisi inhærendo alteri , & ab eo sustentatum,naturali modo loquendo. Ex quibus sequitur naturaliter nullum accidens posse esse subiectum per se sustentans alterum proximè,vel remotè,sed hoc soli substantiæ conuenire.Solum ergo potest esse dubium,an vnum accidens possit esse subiectum quod proximum sustentatum ab alio , & in se sustentans aliud,& hoc naturaliter , nam per miraculum nullus ferè est,qui dubitet,quin quantitas sit subiectum aliorum accidentium sustentatum à Deo per miraculum. Communis namque sententia est in schola, quod cætera accidentia specierum sacramentalium non existant per se,sed quantitati inhæreant, & ab ea sustententur,sicut prius à propria substantia.

215 Et circa hoc dubium sic explicatum est prima opinio asserens nullum accidens posse esse subiectum alterius vllo modo, sed ad summum esse dispositionem , vel conditionem necessariam,qua media inhæret substantiæ tamquam subiecto proximo.Ita Greg.in 1.d.12.q.2,art.2. & videtur esse sententia Nominalium , quos citauit pater Suarius in 3.tomo tertiæ partis disp.56.sect.3. Probatur testimonio Aristotelis 4. Metaph.tex. 14.expresse id asserente his verbis. *Accidens enim non est accidenti accidens,nisi quia vtrumque eidem accidit,dico autem veluti album est musicum, & hoc album,quoniam vtrumque homini accidit,sed non ita Socrates musicus;quoniam vtrumque alicui alteri accidit.* Quibus negat vllo modo posse vnum accidens esse subiectum alterius. Deinde ratione , quia omne accidens est forma actuans subiectum , & tribuens ei proprium effectum formalem in genere causæ formalis : ergo omne accidens est

forma

forma ſubiecti, & ſubiectum exercet cauſam materialem reſpectu accidentis in ſe recepti:ergo repugnat accidens eſſe ſubiectum accidentis.Probatur conſequentia, quia ſi admittatur,confundentur cauſa formalis,& materialis.

Secunda opinio concedit vnum accidens inhærere ſubſtantiæ medio alio,non tamquam ſubiecto,cui inhæreat,ſed ſolum vt ratione inhærendi ſubſtantiæ, vel quod idem eſt,ſolum vt ſubiecto,quo,non vt ſubiecto, quod. Ita ſentiunt recentiores quidam,& probant hoc argumento, quia ſi vnum accidens eſt ſubiectum quod alterius:ergo ſubſtat illi;ſubſtare vero alteri non eſt aliud,quàm ſuſtentare illud: ergo vnum accidens ſuſtentat aliud,quod eſt falſum propter duo. Primum, quia nullum accidens poteſt ſuſtentare ſe ipſum, ſed neceſſe eſt ab alio ſuſtentetur: ergo multo minus poterit ſuſtentare aliud. Secundum, quia ſubſtare alijs eſt proprium ſubſtantiæ quarto modo:ergo repugnat conuenire alijs, quare nullum accidens poteſt ſubſtare alteri,nec ideo eſſe ſubiectum, cui alterum inhæreat,ſed ad ſummum poteſt eſſe ratio inhærendi alteri,quod eſt eſſe ſubiectum,quo.

Noſtra vero ſententia duo aſſerit. Primum eſt, quod vnum 216
accidens inhæreat ſubſtantiæ medio altero, vt ſubiecto, quod proximo;ſubſtantiæ vero, non niſi tamquam ſubiecto remoto. Vtrumque tenet Durand.in 1.d.8.p.2.q.4.num.15. Pater Suarius tomo 1.Methaph.diſp.14.ſect.4.num.6.& recentiores ferè omnes. Probatur teſtimonio Ariſtotelis 2.lib. de anima tex. 121.vbi potentias ſenſitiuas aſſerit eſſe ſuſceptiuas formarum ſine materia, hoc eſt, ſpecierum ſenſibilium, quæ ab obiectis producuntur,& in eis recipiuntur, vt exponunt omnes interpretes: ergo ſentit Ariſtoteles potentias recipere has ſpecies, Sed quod recipit aliud eſt ſubiectum, quod eius: ergo vnum accidens ex mente Ariſtotelis recipitur in alio tamquam in ſubiecto quod.Probatur conſequentia, quia ſi tantum eſſet ratio recipiendi,non eſſet ſuſceptiuum. De ſenſatione etiam, quæ eſt actus earumdem potentiarum, aſſerit eſſe quoddam pariter;ſi eiuſdem libri,quod non poteſt eſſe verum, niſi recipiatur in eiſdem potentijs tamquam in ſubiectis proximis vt quod:nihil enim pateretur potentia, ſi ſolum eſſet ratio recipiendi actum,& non reciperet illum.Probatur etiã teſtimonio D.Thomæ 3.p.q.77.ar.2.ad primũ & ſecundũ, vbi docet vnum accidens non eſſe ſubiectum per ſe alterius, ita vt per ſe illud recipiat,& per ſe illud ſuſtentet,quia hoc ſoli ſubſtãtię cõuenit; ab alio tamen ſuſtentatum poteſt eſſe ſubiectum alterius, ſicut ſuperficies ait eſſe ſubiectũ caloris,quod non poteſt eſſe verum,

ſi ſolum

ſi ſolum eſt ratio inhærendi,& propterea 1. 2.q.7.ar.1. ad 3. & q.56.ar.1.ad 3.aſſerit expreſſe vnum accidens inhærere alteri; inhærere vero alteri non dicitur, niſi illud, quod in eo recipitur,quod eſt eſſe ſubiectum,quod eius.

Probatur deinde ratione,quia vt D.Tho.in eodem loco.3.p. & cum eo tota ſchola docet, in accidentibus Euchariſtiæ nihil eſt de nouo factũ per tranſſubſtantiationẽ, niſi circa quantitatem,quæ cum prius inhæreret ſubſtantiæ panis, deſinente illa habet eſſe per ſe diuina virtute, & ideo per ſe ſuſtentat reliqua accidentia, hæc vero non ſunt ſeparata ab eadem quantitate, ſed ei coniuncta,ſicut prius Itaque non prius ſeparata ab ea, & poſtea nouo modo coniuncta,ſed eodem ſemper modo ei coniuncta.Ex quo efficaciſſimum hoc argumentum colligitur pro noſtra ſententia:albedo, & cætera accidentia panis eodẽ modo ſe habent ad quantitatem eiuſdem panis poſt tranſſubſtantiationem, & ante illam; ſed poſt tranſſubſtantiationem ſunt in quantitate,tamquam in ſubiecto,cui inhærent;ergo ante illam erant eodem modo in ea. Solum poteſt eſſe diſcrimen ex parte ipſiuſmet quantitatis, quòd ante conſecrationem erat ſubiectum proximum, cui inhærebant, non à quo ſuſtentabantur, niſi vt ab alio ſuſtentatum,nempe à ſubſtantia panis,poſt conſecrationem vero ſunt ſubiectum cui inhærent,& à quo ſuſtentantur, in quantum quantitas ipſa diuina virtute ſuſtentatur, vel per nouum modum perfeitatis ei cõceſſum, vel per nouum concurſum diuinum,quo Deus in genere cauſæ efficientis ſupplet materialem concurſum ſubſtantiæ panis.

217 Secundo probatur de intellectu,& voluntate, & cæteris potentijs ſenſitiuis,de quibus verum eſt recipere in ſe intellectionem,& volitionem tãquam proxima principia earum, & tamquam proxima ſubiecta,quæ quod efficaciter colligitur ex denominatione ab eis ſuſcepta,nam verum eſt, & ita ab omnibus pronuntiatur,intellectus intelligit,ſenſus ſentit,voluntas,vult: verum eſt etiam obiecta agere in his potentijs cognoſcitiuis, & eis imprimere proprias ſpecies:quas apud ſe conſeruat intellectus,& ſenſus internus: & voluntas producit in ſe actus, & habitus,eoſque conſeruat, non minus ac intellectus: ergo iſtæ omnes potentiæ ſunt ſubiecta, quæ patiuntur ab eiſdem obiectis,vel ab aliqua alia potentia actiua, vt intellectus poſſibilis ab agente,& quæ in ſe recipiunt ſpecies, actus, & habitus, eoſque ſuſtentatæ ab anima ſuſtentant: & ex conſequenti ſunt ſubiecta proxima eorum, anima vero ſolum eos recipit tamquam ſubiectum remotum,in quantum potentias ipſas proximè recipit,& ideo accidentia in eis proximè recepta. Probatur

conſequen

consequentia,quia potentiæ ipsæ sunt proxima subiecta passionum , per quas species , actus , & habitus recipiunt. Et eodem modo probari potest de figura,præsentia locali,de relationibus etiam æqualitatis,& similitudinis ; nam illæ conueniunt quantitati , istæ vero qualitati, vt proximis subiectis, quibus inhærent, & solum remotè substantiæ.

Sed restat dubium , an ita sit vnum accidens subiectum proximum alterius,vt ipsum solum exerceat genus causæ materialis circa illud,dum fit,& conseruatur,& non substantia;sed præter genus causæ materialis,quod eadem substantia exercet circa accidens medium dum recipitur , & sustentatur ab illa, nullam aliam causalitatem materialem exerceat circa alia, quæ eo mediante recipit. Gratia exempli: albedo recipitur in quantitate tanquã in proximo subiecto , dubitamus,an sola quantitas exerceat genus causæ materialis circa illam,dũ fit dũ,recipitur, & sustentatur ; substantia vero nullum concursum materialem præbeat circa illam, vel etiam simul cum quantitate concurrat tanquam materialis causa ad productionem , receptionem , & sustentationem eius; nam si primum dicatur , consequenter erit dicendum , cætera accidentia præter illa , quibus mediis inhærent substantiæ , non educi de potentia eiusdem substantiæ , sed de potentia solius accidentis , quo medio inhærent: immo verè , & propriè his solis inhærere , & non substantiæ, quod videtur falsum.

Quidam distingunt diuersa accidentia , quædam composita , & hæc aiunt componi ex duplici accidenti : vt præsentia localis videtur composita ex præsentia substantiæ , & præsentia quantitatis : alia simplicia , quæ non componuntur ex duplici entitate accidentali , vt albedo , calor , &c. Et de compositis dicunt adæquatè esse in subiecto composito ex substantia , & accidenti , & ideo non solum accidens , quo medio inhærent præstare concursum materialem respectu eorum,sed etiam substantiam. De simplicibus vero solum accidens , quo medio inhærent,substantiam vero nullum præstare concursum materialem ad receptionem eorum. Alij vero de solis actibus vitalibus probabile esse dicunt,postulare concursum materialem,non solum potentiarum , quibus mediis inhærent animæ , sed etiam substantiæ eiusdem animæ. Et ratio horum est,quia principium efficiens immediatum actus vitalis non est sola potentia , sed etiam anima ipsa cum potentia, sed actus vitales, cum sint immanentes , debent recipi in eodem principio à quo eliciuntur: ergo non in sola potentia, sed etiã in anima debent recipi,tanquam in subiecto proximo,& ideo non sola potentia præstabit 218

concurſum materialem ad receptionem eorum, ſed ſubſtantia animæ; de cæteris vero aſſerunt à ſolo concurſu materiali accidentis, quo medio inhærent dependere, ſubſtantiam vero nullum præſtare.

Vtraque tamen hæc diſtinctio impertinens eſt, quia dubium hoc non habet locum, niſi vbi duo ſunt ſubiecta accidentium, proximum, & remotum: tunc enim merito dubitatur, an vtrumque concurrat tanquam materialis cauſa eorum, nec in accidentibus compoſitis (ſi verè dantur) nec etiam in actibus vitalibus (ſi principium proximum non eſt ſola potentia, ſed etiam anima) ſunt duo ſubiecta, proximum, & remotum, ſed proximum tantum ex ſubſtantia, & accidenti compoſitum: ergo non poteſt eſſe dubium, quin ex concurſu materiali vtriuſque componentis proximè dependeant, ſicut reliqua accidentia, ſiue ſimplicia ſint, ſiue diuerſa ab actibus vitalibus; valeat ergo diſtinctio hæc, nihil ad rem conferens. Qua refutata, duo dicimus. Primum, quod quæcumque accidentia, quæ inhærent ſubſtantiæ mediis aliis, dependent ex concurſu materiali ſubſtantiæ præſuppoſito non quidem per accidens, ſed per ſe, & neceſſariò naturali modo loquendo. Secundum, non dependere ex concurſu eiuſdem ſubſtantiæ attingente illa, ſed ſolum attingente ac-
219 cidens illud, cui proximè inhærent. Ita Durand. vbi ſupra; & probatur primum, quia vnum accidens non poteſt eſſe ſubiectum quod alterius primo, & per ſe; vt ex communi conſenſu omnium adduximus; nam quod non habet eſſe per ſe, ſed in alio, non poteſt ſuſtentare aliud, niſi ipſummet ab alio ſuſtentetur, ſed nullum accidens habet eſſe per ſe, ſed inhærens ſubſtantiæ: ergo non poteſt ſuſtentare aliud, nec proinde eſſe ſubiectum eius, niſi ab ea ſuſtentatum, ſed ad ſuſtentandum ipſum neceſſarius eſt concurſus materialis ſubſtantiæ naturaliter loquendo: ergo cætera accidentia quæ medio illo inhærent, poſtulant concurſum ſubſtantiæ neceſſariò præſuppoſitum, ita vt ſi deficeret, omnia deſinerent eſſe naturaliter. Quod vero non dependeant ex concurſu materiali ſubſtantiæ circa ſe exercito, probatur: quia accidens ſuſtentatum à ſubſtantia immediatè recipit aliud, & hoc ei inhæret tanquam ſubiecto quod proximo: ergo concurſus materialis eius ſufficit ad illud ſuſtentandum præſuppoſito concurſu ſubſtantiæ, quo ipſummet ſuſtentatur; quare ſuperfluus erit concurſus ſubſtantiæ circa illud; immo & impoſſibilis, nam cum non inhæreat proximè ſubſtantiæ, nec in ea proximè recipiatur, impoſſibile eſt, quod ſubſtantia exerceat ſuum concurſum materialem circa illud. Probatur conſequentia, quia concurſus materialis in receptione ipſa conſiſtit.

consistit. Et signum euidens huius veritatis est, quod ablata substantia conseruatur eadem inhærentia eorum in quantitate, absque nouo concursu primæ causæ immediatè circa illa exercito, sed solum per nouum concursum, vel modum sustentandi quantitatem, vt probauimus in accidentibus Eucharistiæ: ergo non erat necessarius concursus actualis substantiæ circa illa, sed præsuppositiuè tantum, & ideo non posset conseruari inhærentia eorum in quantitate, nisi talis concursus substantiæ præsuppositus suppleretur à Deo. Ita ergo se habet substantia in quibuscumque aliis accidentibus, medio alio sibi inhærentibus.

Ad argumentum vero pro ratione dubitandi propositũ con- 220
cedenda est consequentia, quod accidentia omnia, quæ inhærent medio alio tanquam subiecto, educuntur de potentia eiusdem sustentati à substantia, & non ex potentia ipsius substantiæ, vt de speciebus intelligibilibus, & sensibilibus satis est per se manifestum, quod educantur ex intellectu, & sensibus, & non ex potentia substantiæ: itaque ad eductionem horum accidentium non requiritur nouus concursus substantiæ materialis, sed præsuppositus sufficit, per quem sustentatur subiectum eorum immediatum. Quod ex eisdem accidentibus Eucharistiæ probatur, nam si calefiat hostia, educitur nouus calor de potentia quantitatis absque nouo miraculo, sed præsuppositio primo: ergo Deus non præstat nouum concursum ad talem eductionem, præter generalem, quem præstat dum educitur idem calor de potentia ligni, & præter miraculosam conseruationem quantitatis præsuppositam supplendo concursum substantiæ panis: ergo nec substantia ipsa panis, si adesset, præstaret alium concursum præter eum, quo sustentaret quantitatem in genere causæ materialis; nec inhærent talia accidentia substantiæ propriè loquendo, sed remota quadam ratione, in quantum ei inhæret tanquam subiecto proximo illud accidens, quod est proximum subiectum eorum, & ab ea sustentatur. Et hoc sufficit, vt dicatur substantia primum, & per se subiectum omnium accidentium, & eorum prædicationes, & denominationes in communi modo loquendi suscipiat, potius quàm accidens, quo medio inhærent, quod constat non esse subiectum primum, quia nec est subiectum per se eorum.

Ad testimoniũ Aristotelis adductum pro opinione illorum, 221
qui omnino negant vnum accidens inhærere substantiæ medio alio, vt subiecto proximo. Respondetur ex D. Thoma in commentariis eius, solum negare Aristotelem, quod vnum accidens alteri accidat, tanquam subiecto primo, & per se; nam hoc

modo ſoli ſubſtantiæ, accidere poteſt, cum non poſſit alteri inhærere, vel ab eo ſuſtentari, niſi præſuppoſita inhærentia eiuſdem primi accidentis in ſubſtantia, & virtute eius, à qua ſuſtentatur. Benè tamen poteſt ei inhærere, vt ſubiecto proximo ſuſtentato à primo, vt expoſitum eſt. Et ſecundo dici poteſt non ſolum agere ibi Ariſtotelem de inhærentia accidentali, ſed ſpecialius de modo prædicandi omnino per accidens vnius accidentis de altero, vt cum muſicus dicitur albus, & hunc modum prædicandi aſſerit non procedere ex eo, quod vnum accidens alteri accidat, ſed potius ex eo, quod caſu coniungantur in aliquo tertio, vt in homine: quare non omnino negat, quod vnum accidens inhærens ſubſtantiæ medio alio poſſit de illo prædicari, ſicut prædicatur de ſubſtantia, ſicut dicimus ſuperficiem eſſe albam, vel calidam, intellectum intelligere, & oculum videre.

Ad argumentum vero concedendum eſt primum enthimema, quòd accidens ſit forma actuans ſubiectum, & tribuens ei ſuum effectum formalem in genere cauſæ formalis. Sed neganda eſt poſterior conſequentia, quod vnum accidens non ſit ſubiectum proximum alterius; ex quo non ſequitur confundi genus cauſæ formalis, & materialis, quia non conueniunt eidem reſpectu eiuſdem, ſed diuerſorum, vt accidenti, quo medio aliud inhæret ſubſtantiæ, conuenit eſſe cauſam formalem reſpectu ſubſtantiæ, cui ipſummet inhæret, & reſpectu alterius ſibi inhærentis conuenit eſſe cauſam materialem: vt quantitas reſpectu ſubſtantiæ habet rationem cauſæ formalis, & reſpectu albedinis eſt cauſa materialis, in quo ſatis per ſe conſtat nullam eſſe repugnantiam, nam anima rationalis reſpectu corporis, quod informat, eſt cauſa formalis, & reſpectu intellectus, quem in ſe recipit, materialis.

QVÆSTIO XI.

An diſpoſitiones præcedentes in materia efficienter concurrant ad expulſionem formæ præſentis, & introductionem ſequentis, vel ſolum materialiter?

122 VT intelligatur quæſtio, diſtinguendæ ſunt duplices diſpoſitiones in generatione naturali cuiuſlibet rei, quædam tempore præcedunt generationem ipſam, & producuntur in compoſito corrumpendo, aut materia eius per alterationes præceden

præcedentes,vt disponatur pro noua forma generanda, talis est calor productus ab igne in ligno, & aliæ similes. Aliæ sunt dispositiones non præcedentes, sed simultaneæ, quæ producuntur cum forma substantiali noua, & composito in instanti generationis pro conseruatione eiusdem formæ substantialis nouæ in materia, vt calor summus, & siccitas maxima, quæ producitur cum igne in instanti generationis eius.Et de his dispositionibus simultaneis certum est apud omnes,non concurrere effectiuè ad productionem formæ ignis.Cuius ratio est manifesta,quia dispositiones istæ procedũt effectiuè ab eadem forma,& in eodem instanti generationis: ergo sunt effectus eius;sed quod effectus est alicuius in aliquo genere causæ,non potest esse causa eius in eodem genere:ergo repugnat tales dispositiones effectiuè concurrere ad generationem ignis, vel ad eductionem formæ eius. Quæstio igitur solum procedit de dispositionibus tempore præcedentibus generationem,an effectiuè cõcurrant ad productionem nouæ formæ. Supponimus autem communem sententiam scholæ, quod accidentia in virtute substantiæ, cuius accidentia sunt, possunt effectiuè concurrere ad productionem substantiæ tanquam instrumenta, vt calor ad productionem ignis.

Et prima opinio asserit dispositiones præcedentes efficienter concurrere ad eductionem nouæ formæ de potentia materiæ, & productionem eius. Ita Toletus 1. lib de gener.cap.4.q.7.& Conimb.ibidem q.18. art.3.Soto 2.lib.Phys.q.3. & cum his iuniores quidam,qui pro eadem sententia citant D. Tho. 1. p. q. 77.& 3.p.q.etiam 77.art.3.immerito tamen ; cum his locis solum loquatur D. Tho. in cõmuni de accidentibus asserens posse attingere productionem substantiæ tanquam instrumenta, de quo non procedit quæstio præsens,sed id supponit tanquam verum:inquirit vero in particulari de accidentibus tempore præcedentibus generationem,materiamque disponentibus pro noua forma in ea introducenda. Potest tamen adduci pro hac sententia aliud testimonium D.Thomæ 2. 2. quæst. 24. art.10.vbi expresse docet peccatum expellere ab anima effectiuè charitatem,quia ei contrariatur : ergo ex eius sententia etiam calor,& quælibet alia dispositio producta ab agente in materia expellet aliam dispositionem contrariam in eadem materia existentem, & consequenter formam substantialem, cuius est dispositio:sed ad expulsionem formæ substantialis, sequitur introductio nouæ: ergo effectiuè concurret ad productionem eius ex mente D. Thomæ.

Sed ratione probant.Primo, quia agens non potest producere effectum in passo distante, nisi ei coniungatur per aliquam 123

virtutem à ſe emiſſam, vt patet de Sole, qui non poteſt producere effectum in his inferioribus, niſi eis coniungatur per lucem circa ea productam; & ideo talis lux eſt inſtrumentũ eius, quo effectiuè operatur: ſed quodlibet agens coniungitur paſſo per virtutem ſuam circa illud productam: vt ignis ligno per calorem in eo productum, ita vt ſi illum non imprimat ligno non poſſit idem lignum corrumpere, nec igné ex materia eius generare: ergo agit per talem calorem ligno impreſſum tamquam per inſtrumentum ad producendam formam ignis. Et confirmari poteſt, quia calor ignis ſecundum communem ſententiam effectiuè concurrit ad generationem alterius ignis ex ligno, ſed non poteſt effectiuè concurrere, niſi coniungatur eidem ligno per alium caloré in eo productũ: ergo non eſt minus verum de calore producto in ligno, quod effectiuè cõcurrat ad productionem nouæ formæ, quam de calore exiſtente in igne.

Secundo, quia in generatione viuentis concurrit effectiuè virtus ſeminalis exiſtens in eodem ſemine ad organizandam materiam eius, ad expellendam formam, & educendam nouam ex eadem materia. Ergo eodem modo concurrent cæteræ diſpoſitiones præcedentes in materia ad expulſionem contrariæ formæ, & generationem nouæ. Probatur cõſequentia, quia ſicut operatur viuens per virtutem ſeminalem exiſtentem in eodem ſemine tamquam per inſtrumentum, ita ignis, & alia agentia naturalia per accidentia, quæ producunt circa paſſum pro expellenda forma contraria, & educenda propria ex potentia materiæ eius.

224 Tertiò, quia contraria ſe expellunt effectiue ab eodem ſubiecto, vt in definitione eorum dicitur; ſed diſpoſitiones præcedentes in ligno ſunt contrariæ diſpoſitionibus conſeruantibus idem lignum, & ratione illarum forma ignis ſubſtantialis contrariatur formæ ligni, vt per ſe patet: ergo tales diſpoſitiones effectiuè corrumpunt diſpoſitiones alias; atque etiam formam ſubſtantialẽ ligni. Tunc vltra agens, à quo expellitur efficienter vna forma, producitur etiã efficienter alia ei ſuccedẽs: ergo ſicut expelluntur diſpoſitiones ligni, & forma ſubſtantialis eius ab eiſdẽ diſpoſitionibus præcedentibus, quas producit ignis in eodem ligno; ita producetur efficiẽter noua forma ignis: nã, quod ſint in eodem ſubiecto, non obſtat, quominus poſſint circa illud efficienter operari, vt patet de virtute ſeminali circa propriam materiam operante, & de potentiis vitalibus circa ſeipſas.

Secunda opinio eſt oppoſita, negans, quod tales diſpoſitiones præcedentes in materia effectiuè concurrant ad expulſionem contrariarum, vel formæ ſubſtantialis corrumpendæ, atque

atque etiam ad generationem nouæ formæ, aut compositi, sed asserit solum concurrere in genere causæ materialis ad præparandam materiam pro introductione nouæ formæ. Itaque calor productus in ligno nõ expellit efficienter frigus in eo existẽs, sed formaliter, nec expellit formam ligni, nisi materialiter disponendo materiam pro introductione formæ ignis nouæ, à qua expellitur eadem forma ligni in genere causæ formalis, & non efficientis. Hæc est expressa sententia D. Thom. q. 8. de veritate art. 7. ad 5. argumentum ex his, quæ proposuit in contrarium: vbi ita ait: *Ad quintum dicendum, quod dispositio, non facit aliquid ad formam effectiuè sed materialiter tantum, in quantum per dispositionem materia fit congrua ad receptionem formæ.* Et 1.2. q. 85. art. 1. ad 4. vbi hæc habentur verba. *Ad quartum dicendum, quod accidens non agit effectiuè in subiectum, agit tamen formaliter in ipsum, eo modo loquendo, quo dicitur, quòd albedo facit album.* Ita etiam Pater Suarius tomo. 1. Methaph. disput. 28. sectione. 2. num. 29. & videtur mihi probabilior, & tenenda.

Probatur primò, quia dispositiones præcedentes nihil efficiunt circa subiectum, in quo recipiuntur toto tempore præcedente, nec etiam in instanti generationis: ergo non concurrunt effectiuè ad productionem formæ. Euidens est consequentia, quia agens naturale non potest aliquid operari, nisi circa subiectum; sed probatur antecedens, quia non expellunt effectiuè dispositiones contrarias, nec formam substantialem; sed neque aliquid efficiunt ad eductionem nouæ formæ de potentia materiæ: ergo nihil effectiuè operantur. Antecedens conceditur ab aduersariis quantum ad expulsionem effectiuam dispositionum contrariarum, & formæ. Et probatur hac ratione. Agens naturale non intendit per se primo corrumpere suum contrarium, vel expellere illud, quia corruptio non potest esse per se primo intenta à natura, sed solum secundaria intentione, in quantum primo intendit producere formam, vel effectum positiuum, ad cuius productionem sequitur corruptio alterius: ergo expulsio dispositionum, vel formæ non potest fieri ab aliquo agente, nisi media productione alicuius effectus positiui, ad quam sequitur talis expulsio; sed dispositiones præcedentes nullum effectum positiuum efficiunt toto tempore alterationum; nam calor productus in ligno, non producit nouum calorem in eadem parte subiecti, alioqui seipsum intenderet, quod constat esse impossibile: ergo nullum habet effectum circa lignum præter expulsionem aliquorum graduum frigiditatis, quos cõstat non

expellere in genere cauſæ efficientis, quia repugnat ſolam expulſionem fieri ab aliquo agente, ſed ſolum in genere cauſæ formalis, ſicut vna forma expellit alteram ab eodem ſubiecto, vel materia. Sed multo minus poteſt habere effectum poſitiuum in inſtanti generationis: primo, quia ſi ſubiectatur in compoſito, iam non eſt: ſecundo, quia etiamſi ſubiectetur in
226 materia, & ideo adhuc permaneat, non poteſt producere aliquid caloris in eodem ligno, vt probatum eſt, nec etiam formam ignis, vt inſtrumentum; quia accidens non attingit productionem formæ ſubſtantialis, niſi producendo aliud accidens, vel intendendo illud, ad cuius productionem, vel intenſionem ſequitur forma ſubſtantialis in materia: vt calor ignis non attingit productionem alterius ignis, niſi producendo, vel intendendo calorem in ſubiecto, quod non poteſt facere calor exiſtens in ligno.

Sed reſpondent aliqui nobiſcum tenentes, quod diſpoſitiones iſtæ ſubiectentur in compoſito poſſe eas in inſtanti generationis agere, quamuis in eo non ſint, quia ſatis eſt tempore immediatè præcedente fuiſſe, & ratione illarū diſpoſitam fuiſſe materiam pro introductione nouæ formæ: ex hoc enim fit, vt virtute illarum ſequatur generatio eius in inſtanti, quod eſt primum non eſſe earum; nam agens naturale non agit per exiſtentiam, ſed per virtutem agendi: quare non eſt neceſſarium actu exiſtere, dum effectus ſequitur, ſed ſufficit immediatè extitiſſe virtutem eius, & immediatè egiſſe, vt effectus, qui ſequitur in inſtanti terminatiuo temporis, in quo extitit, & egit, ei tribuatur, vt cauſæ efficienti virtualiter agenti. Hæc tamen ſolutio iam eſt à nobis in ſuperioribus refutata, quia licet actualis exiſtentia efficientis cauſæ non ſit ei ratio agendi, eſt tamen conditio adeo neceſſaria ad agendum, vt non ſit intelligibile actu agere tempore, vel inſtanti, in quo non exiſtit. Primo, quia in eo inſtanti datur actualis productio effectus: ergo datur actio realis tunc procedens ab agente, per quam effectus producitur; ſed repugnat actionem realem procedere ab eo, quòd non eſt; dum actio procedit: ergo repugnat aliquid agere, dum non eſt in rerum natura. Secundo, quia actio realis dicit realem, & actualem dependentiam effectus à ſua cauſa efficiente, ſed non eſt intelligibilis realis, & actualis dependentia ab eo, quod non habet eſſe reale in rerum natura: ergo nec eſt intelligibile actionem procedere ab eo, quod non eſt. Probatur conſequentia, quia non eſt intelligibilis dependentia, niſi à principio: ergo non eſt intelligibilis, realis, & actualis dependentia, niſi à principio reali, & actuali: conſtat autem in inſtanti generationis

rationis non dari principium reale, nec actuale: ergo nec potest dari realis, & actualis dependentia, quam dicit actio realis, & actualis, etiamsi tempore præcedenti extiterit agens.

Ad testimonium D. Thomæ respondeo cum Caietano in eodem articulo, peccatum duo habere, nempe quod sit actio quædam, & quod sit deformis, vel rationi contraria, (loquitur enim D. Thomas de peccato commissionis) & inquantum est quædam actio, potest expellere gratiam effectiuè, sed ratione deformitatis expellit eam formaliter: dispositiones vero solum sunt formæ quædam, & non actiones, ideo non possunt expellere contrarias effectiuè, sed solum formaliter, sicut vna forma expellit alteram ab eodem subiecto solum in genere causæ formalis. 227

Ad primum argumentum concessa maiori, quod agens non attingit passum distans nisi per virtutem à se emissam, distinguenda est minor, quia virtus emissa ab agente duplex est, quædam emissa per medium, & in eo recepta, per quam fit contiguum passo. Illúdque tangit, vt patet de luce Solis emissa per aërem vsque ad terram. Alia est virtus emissa ab agente, hoc est producta in eodem passo. Et inter has duas virtutes hæc est differentia, quod per primam operatur agens circa passum secundam, & ideo illa est instrumentum, vel efficiens causa; quia se tenet ex parte agentis, hæc vero non nisi effectus per eam productus, quia se tenet ex parte passi; illa est principium actionis, hæc vero terminus eiusdem, per quam non dicitur operari agens tamquam per instrumentum, sed per primam, per quam tangit passum contactu virtutis, licet eum non tangat contactu quantitatis. Itaque ignis agens in lignum ei coniungitur per calorem emissum per aërem coniunctione agentis cum passo, non per calorem in eodem ligno productum, nisi coniunctione effectus, vel termini producti circa ipsum: per illum ergo calorem in se existentem, & per medium emissum agit ignis in lignum tamquam per instrumentum, non per calorem in eodem ligno productum vllo modo.

Ad confirmationem neganda est minor, quod non possit ignis coniungi ligno, nisi per calorem in eo productum; coniungitur enim per calorem in se existentem, si sit contiguus cum eodem ligno; si vero sit distans ab eo, per calorem productum in aëre idem lignum tangente, & hæc est coniunctio propria agentis: coniunctio vero per calorem productum in ligno non est agentis, vt agens est, sed supponit hanc, & dicitur coniunctio per effectum, & terminum productum per actionem. 228

Digitized by Google

Ad ſecundum conceſſo antecedente de concurſu effectiuo virtutis ſeminalis ad illa omnia, neganda eſt conſequentia, quod ita concurrant cæteræ diſpoſitiones productæ in paſſo;eſt enim manifeſta differentia ex his,quæ ſuperius diximus de modo concurrendi virtutis ſeminalis : non enim operatur circa materiam,vel ſubiectum,in quo eſt,immo nec poſſet ; ſed cum ſit in quibuſdam partibus eiuſdem ſeminis,operatur circa alias, in quarum materia introducenda eſt anima; diſpoſitiones vero præcedentes alias generationes (de quibus loquimur) ſunt in eodem paſſo , in eadémque materia , in qua introducenda eſt forma,circa quam nihil operantur,nec operari poſſunt, & ideo nec poſſunt effectiuè expellere diſpoſitiones contrarias,ſed ſolum formaliter;ad expulſionem vero formæ præſentis, & eductionem aduenientis ſolum poſſunt concurrere diſponendo materiam pro noua forma , à qua expellenda eſt antiqua formaliter , talis autem modus concurrendi earum , non eſt efficientis cauſæ,ſed ad materialem potius reducitur, vt per ſe eſt manifeſtum.

229 Ad vltimum diſtinguenda eſt maior, nam contraria duobus modis conſiderari poſſunt.Primò,in quantum ſe tenent ex parte agentis , & paſſi , vt calor ex parte ignis , & frigus ex parte aquæ,vel è contra. Secundo in quantum comparantur ad idem ſubiectum,in quo inhærent tamquam formæ contrariæ; & ſub vtraque conſideratione ſe expellunt ab eodem ſubiecto,ſed ſub prima efficienter, ſub ſecunda , non niſi formaliter , tamquam formæ naturaliter incompoſſibiles in eodem ſubiecto. Et cum diſpoſitiones præcedentes generationem in ſubiecto comparentur ad contrarias in eo exiſtentes tamquam formæ incompoſſibiles in eodem ſubiecto,& non vt ſe tenent ex parte agentis , non poſſunt eas expellere efficienter , ſed ſolum in genere cauſæ formalis. In definitione autem contrariorum non ſumitur expulſio pro efficiente tantum , nec ſolum pro expulſione formali , quia repugnat ſe expellere efficienter, quin etiam ſe expellant formaliter,ſed pro vtraque ſimul ; & quia diſpoſitiones præcedentes in ſubiecto ſolum comparantur, vt incompoſſibiles formæ , ſolum poteſt eis conuenire formalis expulſio ; effectiua verò conuenit eis ſub alia conſideratione ; nam propria contrarietas vtramque conſiderationem comprehendit:ſuppoſito vero , quod non niſi formaliter expellunt diſpoſitiones contrarias, & formam ſubſtantialem ſolum materialiter, vt probauimus, non poſſunt effectiuè concurrere ad generationem nouæ formæ. Quod vero dicitur, non obſtare,quòd idē non poſſit agere in ſeipſum, diſtinguendū eſt : nam actione

tranſ

transeunte,& vniuoca repugnat idem secundum eamdem partem in seipsum agere, quia in actione transeunte necesse est agens realiter esse diuersum à passo, & in vniuoca seipsum intendere, & cum calefactio, aut quæuis alia alteratio propria, qualis est illa,per quam posset excogitari dispositiones antecedentes agere,sit actio transiens,& vniuoca,repugnat exerceri circa idem omnino subiectum, quamuis actione immanente, vel habente modum immanentis, & æquiuoca non repugnet idem in seipsum agere, de qua procedit secundum exemplum in argumento assumptum. De virtute vero seminali aliam esse rationē ostendimus,ideo nihil probant contra nostrā sentētiā.

CAPVT V.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De augmentatione autem reliquum est dicere,& quonam differat à generatione,& alteratione, &c.

Breuis expositio textus.

EXplicata distinctione alterationis à generatione substantiali capite præcedenti, distinguit Aristoteles in præsenti satis diffuso augmentationem,& diminutionem ab eadem generatione,& hoc est intentum capitis. Quod vt consequatur tria proponit tractanda de augmentatione, Primum,quomodo distinguatur à generatione,& alteratione. Secundum,quonam modo fiat augmentatio,& diminutio rerum naturalium. Tertium,quibus modis differant nutritio,& augmentatio, & ideo in tres partes diuiditur caput iuxta horum trium explicationem. In duobus asserit differre augmentationem à generatione,& alteratione: nam primo differunt ex parte terminorum, in quos tendunt, nam generatio substantialis habet substantiam pro termino ad quem,alteratio qualitatem, augmentatio vero tendit ad quantitatem: & hæc est præcipua differentia, quia mutationes,& motus habent vnitatem, & distinctionem specificam à terminis ad quos,vt 5.lib.Phys.docuit Aristoteles. Secundo differunt,quia id quod generatur, vel alteratur, non necessariò mutat locū;vt patet cum ex ligno fit ignis, vel cum calefit aqua permanentibus in eisdem locis:id autem,quod augetur necessariò mutat locum,non quidem ita vt totaliter deserat locum,quem prius habebat,& acquirat alterum;hoc enim

modo

modo non eſt neceſſariũ mutare locum, ſed ita vt ad maiorem locum neceſſariò extendatur. Itaque neceſſarium eſt, quòd nouas partes loci acquirat, quas prius non habebat, non tamen quod aliquam partem prioris loci relinquat, vt patet dum arbor creſcit permanens in eodem loco, ſed neceſſariò ſe extendens ad minorem, quam habebat prius, & oppoſito modo id, quod diminuitur, neceſſariò mutat locum, non totaliter deſerens eum, quem habebat prius, ſed aliquas partes eius, reducens ſe ad alias, & ideo ad minorem locum. Et hæc de explicatione primi.

2 Vt explicet ſecundum, proponit duo dubia, & ſoluit: & tandem duo ſupponit. Primum dubium eſt, an id, quod augetur, augeatur per additionem alicuius habentis magnitudinem, ſeu quantitatem, vel carentts omni magnitudine. Et reſpondet neceſſarium eſſe, vt illud ex quo augetur aliquid, quod vocatur alimentum, magnitudinem habeat, quia ſi eſſet materia ſine magnitudine, aut eſſet ſeparata ab omni corpore, vel eſſet in aliquo corpore; ſeparatam eſſe repugnat, quia nec eſſet in loco, ſicut punctum, nec eſſet aliquid ſenſibile. Probatur conſequentia, quia vtrumque habet res quælibet per quantitatem, nempe in loco eſſe, & ſentiri poſſe. eſſe autem inſenſibile, & extra locum illud, ex quo aliquid augetur, impoſſibile eſt, quia cum id, quod augetur, ſit corpus naturale, & ex conſequenti ſenſibile, & in loco, augeri non poteſt per additionem rei inſenſibilis, & ſine loco. Sed non minus repugnat, quod materia ex qua aliquid augetur, careat magnitudine, & ſit in aliquo corpore, nam vel eſſet pars eius, vel accidens, quod patet eſſe impoſſibile, quia partes, & accidentia corporis coextenduntur quantitati, vel magnitudini eius: ergo repugnat ſic eſſe in corpore, & non habere magnitudinem. Vel eſſet in corpore, ita vt nec eſſet pars eius, nec accidens, quod non eſſe minus impoſſibile probat, quia ex hoc ſequerentur tria abſurda. Primum, quod generatio vnius non eſſet corruptio alterius, ſed poſſet aliquid generari ex alio non corrupto, ſed permanente. Nam ex tali materia exiſtente in alio corpore poſſet generari aliquid, vt ex alimento exiſtente in aqua aër, ſed nihil aquæ corrumperetur, quia talis materia alimenti in ea exiſtens, nec eſt pars aquæ, nec accidens eius: ergo poteſt ſeparari ab aqua ſine vlla eius corruptione. Secundo ſequeretur, quod in eodem compoſito poſſent eſſe infinitæ materiæ alimentorum, quia ſi non ſunt partes eius, nec accidentia, non ſe impedient, nec vna excludet alteram: qua ratione poteſt eſſe vna, poterunt eſſe infinitæ. Tertio ſequeretur, quod dum generatur aliquid ex ali

ex aliquo,vt aër ex aqua,exiret ex ea , tanquam ex vaſe abſque vlla mutatione eiuſdem aquæ. Et ex eiſdem argumentis aſſerit probari,quod ex indiuiſibilibus quantitatis, vt ex punctis,& lineis magnitudine carentibus, non fiat augmentum corporis naturalis: ideo concludit neceſſarium eſſe , quod alimentum, ſeu materia : ex qua corpus augetur , magnitudinem habeat. Quod probat primo , quia materia non poteſt eſſe ſeparata ab omni forma ſubſtantiali, & qualitatibus, per quas forma conſeruatur in materia : ſed repugnat eſſe vnitam formæ ſubſtantiali ſine quãtitate omnino neceſſaria ad diuerſas formas ſubſtantiales recipiendas : ergo non minus repugnat eſſe ſine magnitudine.Maiorem probat, quia quidquid generatur , fit ex aliquo habente formam ſubſtantialem,per cuius expulſionem corrumpitur,& ab agente inducente nouam formam in eadem materia:ergo repugnat materiam permanere ſine vlla forma. Secundo ex propria ratione augmentationis , quæ non eſt generatio corporis,ſed additio nouæ quantitatis ad eam , quam habebat prius:ergo neceſſe eſt quantitatem habere illud,ex quo augetur corpus.

Secundum dubium : an ſuppoſito quod augmentum debeat 3
fieri ex alimento habente magnitudinem , vel quantitatem , & ideo duo interueniunt corpora in augmento, nempe illud , ex quo fit,quod vocatur alimentum,& illud , cui de nouo aduenit alimentum,quod eſt corpus viuẽs,quodnam horum corporum augeatur,primum vel ſecundum. Vt autem dubiũ ſoluat , proponit tres conditiones neceſſariò ſeruandas in augmento , & tria inconuenientia vitanda,vt bene fiat. Prima conditio eſt,vt illud, quod augetur, vel diminuitur , ſecundum omnes ſuas partes augeatur,vel diminuatur. Secunda,vt omnibus , & ſingulis partibus eius aliquid nouum addatur,vel detrahatur;repugnat enim augeri aliquid,niſi aliquam ſuſcipiat additionem, vel minui,niſi per detractionem : ergo repugnat augeri , vel minui ſecundum omnes partes , niſi nouo aliquo recepto in eis,vel ex eis amiſſo. Tertia conditio eſt,vt illud,quod augetur, nec de nouo fiat,nec corrumpatur per augmentationem , ſed idem numero permaneat ante,& poſt eam, immo ſub vtroque termino eius,à quo,& ad quem,nempe ſub minori quantitate, quæ eſt terminus à quo,& etiam ſub maiori, quæ eſt terminus ad quem, & mutatio eius ſolum fiat ſecundum maiorem , & minorem quantitatem. In qua conditione conuenit augmentatio cum alteratione(inquit Ariſtoteles) quia etiam in alteratione manet idem corpus ſub contrarijs qualitatibus , vt ſub calore,& frigore,& ideo ſub vtroq; termino à quo,& ad quem,

nam ab vna mouetur ad aliam mutatione eius ſolum facta ſecundum eaſdem qualitates. Conueniunt etiã in alio, videlicet, quod ſicut virtus augmentatiua eſt in eo, quod augetur, ſic ſæpe contingit alteratiuam virtutem eſſe in eo, quod alteratur: quo autem modo hoc ſit intelligendum in quæſtionibus explicabitur. Ex tribus autem inconuenientibus vitandis in augmentatione primum eſt, vt intra corpus, quod augetur, non admittatur vacuum, in quo recipiatur cibus, vel alimentum, vt falſo à quibuſdam antiquioribus admittebatur, putantibus non poſſe recipi, niſi admiſſo vacuo. Vacuum vero non eſſe admittendum, probatum eſt in 3. lib. Phyſ. Secundum inconueniens vitandum eſt, vt non admittatur penetratio alimenti de nouo aduenientis cum corpore, quod augetur, & cui aduenire dicitur, quia penetratio corporum impoſſibilis eſt per naturam. Tertium, non debet admitti, quod augmentum fiat per additionem alicuius carentis magnitudine, ſed eam habentis. Quibus enumeratis conditionibus, ſeruandis in augmento, & incommodis vitandis, reſpondet dubio propoſito, in augmentatione non augeri cibum ſeu alimentum aduenies, ſed corpus viuens, cui aduenire dicitur. Quod probat ex tertia conditione, nam ex natura augmentationis eſt, vt illud, quod augetur, non corrumpatur ſecundum ſubſtantiam, ſed idem permaneat, ante & poſt augmentationem, mutatione ſolum facta circa quantitatem, ſed alimentum non permanet, ſed corrumpitur ſubſtantialiter, & conuertitur in ſubſtantiam corporis viuentis; corpus autem viuens permanet idem ante, & poſt augmentum vt docet experientia: ergo alimentum non eſt, quod augetur, ſed corpus viuens per conuerſionem eius in propriam ſubſtantiam.

4 Duo tandem ſupponit tamquam certa. Primum eſt per augmentationem primo augeri partes ſimilares corporis viuentis, & harum ratione partes diſſimilares. Quæ ſint autem partes ſimilares, & quæ diſſimilares docet Ariſt. ipſe 1. lib. de hiſtoria animalium cap. 1. dicens, Similares eſſe, quæ conſtant ex particulis eiuſdem rationis, & nominis cum toto, quod proximè componunt, vt caro, & os. Vocantur ſimilares, quia quælibet pars carnis eſt caro, & caro vocatur, & etiam quælibet pars oſſis eſt os. Partes vero diſſimilares ſunt, quæ ex ſimilaribus componuntur, vt pes, manus, & brachium, quia ex carne, & oſſe conſtant, nec ſunt eiuſdem rationis, & denominationis partes earum cum ipſis, quia pars brachij non eſt brachium. Secundo ſupponit partes corporis viuentis dupliciter conſiderari poſſe, aut ſecundum materiam, aut ſecundum formam, quia materia,

& forma

Digitized by Goo

& forma ſuo modo conſtant, ſicut totum; vt manus hominis conſtat materia partili,& anima eam informante. Augmentationem vero fieri ſecundum partes formales, non ſecundum materiales,quia id,quod augetur, debet manere idem ante, & poſt augmentum, ſed viuens non manet idem ſecundum materiam,quia partes materiæ fluunt, & conſumuntur per continuam actionem caloris naturalis: ergo non fit ſecundum eas augmentum,ſed potius ſecundum formales, quia forma videtur eadem ſemper manere. Quid autem per formam & materiam,& quid per partes formales, & materiales intelligat Ariſtoteles, difficile eſt,explicabitur vero in quæſtionibus. Ex his omnibus aſſerit intelligendum eſſe modum,quo fiat augmentatio, fit enim accedente de nouo alimento,atque conuerſo in ſubſtantiam corporis viuentis, additoque omnibus,& ſingulis partibus corporis viuentis,ita vt per augmentum omnium partium augeatur totum corpus viuens idem permanens ſecũdum ſubſtãtiam,& ſola mutatione facta circa quantitatẽ,ſed mutato ſubſtantialiter alimẽto,ita vt in principio augmẽtationis diſſimile ſit corpori viuenti,tam ſecundũ formam ſubſtãtialem,quã ſecundũ qualitates,vt patet de ſanguine,ex quo augẽtur animalia,ſed in fine iam ſit factũ ſimile ſecundũ vtrumq; per diuerſas alterationes,& ſubſtantialem cõuerſionem in ſubſtantiã eiuſdẽ corporis viuentis, in fine namque augmentationis iam ſanguis factus eſt caro, atque etiam os, parſque ſubſtantialis animalis eiuſdem rationis cum cæteris; & hæc de explicatione ſecundi.

Vt autem explicet tertium,nempe diſcrimen inter nutritionem,& augmentationem,proponit aliud dubium;qualis naturæ, vel conditionis debeat eſſe cibus, vel alimentum, ex quo augetur corpus viuens. Reſpondet vero, actu quidem diuerſum eſſe debere, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum accidentia ab eo, quod augetur, & ideo actu etiam ei diſſimile. Probat, quia per ſui corruptionem debet augere illud: ergo debet eſſe diuerſum, ac diſſimile actu,alioqui nec pati poſſet, nec corrumpi; cum nihil patiatur, neque corrumpatur,niſi à diuerſo, & diſſimili,ſed potentia debet eſſe idem,& omnino ſimile, quia in idemmet corpus viuens conuertitur, & formam eius ſubſtantialem, atque accidentia ſuſcipit. Ex quibus infert generationem quamdam ſubſtantialem neceſſariam eſſe ad augmentum, nam ſi alimentum ſubſtantialiter corrumpitur, neceſſe eſt generationem alicuius præſupponat, cui eadem corruptio ſuccedat: cum ſemper verum ſit, corruptionem vnius eſſe generationem alterius, vt ſuperius

probatum

probatum fuit. Sed hanc generationem (inquit) ad augmentum requisitam diuersam esse à generatione, cuius natura in præcedentibus capitibus explicata fuit, nam per illam generatur totum quoddam substantiale separatum à quocumque alio, & per se consistens, vt patet in generatione hominis, vel leonis:per generationem vero ad augmentum requisitam non generatur totum substantiale,sed pars quædam substantiæ de nouo addita corpori viuenti, & ideo non vocatur generatio simpliciter, sicut illa,sed aggeneratio quædam substantialis, atque etiam nutritio.

5 His explicatis asserit ad augmentum viuentis duas mutationes concurrere, vnam per quam materia alimenti suscipit formam substantialem viuentis, & amittit propriam, & hæc appellatur nutritio, vel aggeneratio alteram per quam corpus viuens maiorem acquirit quantitatem, quam habebat prius, & hæc vocatur augmentatio. Has autem mutationes conuenire ait in vno,& differre in duobus.Conueniũt quidem in eo,quod vtraque fit per additionem rei quantæ, nempe alimenti conuersi in substantiam aliti. Differunt vero primo ex parte materiæ, ex qua fiunt,nempe alimenti;nam vtraq; fit ex eo diuerso modo sumpto,augmentatio quidem ex eo,vt potentia quanto,nutritio vero ex eodem,vt est potentia caro,vel os; hoc est, vt in substantiam rei viuentis, conuerti potest. Secundo differunt ex parte subiecti, quia nutritio durat toto tempore vitæ, nam verum est corpus viuens semper nutriri, quandiu viuit; augmentatio vero non durat semper,sed augetur corpus viuens vsque ad certum tempus, quod appellatur status, & non vltra, nutritur tamen semper, & huius ratio est, quia virtus vitalis in prima vitæ ætate fortior est ad conuertendum plus alimenti in substantiam propriam,quàm sit deperditum de eadẽ propria substantia, per continuam actionem caloris naturalis,post vero debilitatur, ita vt non possit tantum conuertere, quantum consumptum est: & ideo non potest iam viuens augeri, sed potius diminuitur, semper tamen conuertit aliquid, & ideo semper durat nutritio, sed non durat semper augmentatio: & hæc est sententia totius capitis.

TRACTA

TRACTATVS DE NVTRITIONE ET augmentatione.

QVÆSTIO I.

An dentur nutritio, & augmentatio in rerum natura, & quid vtraque sit?

VT à nomine ipso augmentationis incipiamus, tribus modis accipi solet. Primo communissimè pro qualibet mutatione, per quam aliquid crescere, vel augeri dicitur in quocumque genere rerum, hoc est, siue in substantia, siue in qualitate, aut quantitate; vel etiam in sola extensione ad maiorem locum. In qua significatione dici solet, calorem, ac cæteras qualitates augeri secundum intensionem, & extensionem. Secunda acceptio minus vniuersalis est, pro mutatione, per quam acquiritur pars aliqua integralis rei, eique superadditur, & per additionem eius augeri dicitur. In qua significatione ignis, aqua, & cætera elementa augentur, dum nouæ partes eis adduntur, prius, vel simul productæ, vt aqua augetur, dum noua portio ei additur; & ignis, dum noua combustibilia in se conuertit. Tertio modo accipitur specialius, ac proprius pro mutatione accidentali, per quam acquiritur quantitas ex conuersione alimenti in substantiam aliti vitali modo facta, hoc est, per virtutem intrinsecam viuentis, & per eius additionem viuens efficitur maius secundum omnes suas partes: & de augmentatione hoc tertio modo sumpta agit Aristoteles capite præsenti, & secundo libro de anima à textu 42. vsque ad 50. & nos quoque de illa sic sumpta agemus in præsenti tractatu. Nutritio vero duobus tantum modis sumitur. Primo pro quacumque conuersione nutrimenti in propriam substantiam: in qua acceptione non solum viuentibus corporibus attribuitur, sed etiam non viuentibus, nam ignis nutritur per conuersionem olei, aut etiam lignorum, vel stupæ, quæ dicuntur pabulum, vel nutrimentum eius. Secundo modo accipitur proprius pro ea tantum conuersione nutrimenti, quæ fit virtute vitali, atque intrinseca secundum omnes partes viuentis, ita vt singulis distribuatur secundum exigentiam propriæ naturæ, & hæc sola est, quæ concurrit ad propriam augmenta-

Digitized by Google

tionem viuentium; & propterea de hac tantum agendum nobis erit cum Aristotele, & prius quàm de augmentatione, quia ex notitia eius pendet notitia augmentationis.

7 De qua primo inquirit quæstio, an sit in rerum natura? Et prima opinio negat veram nutritionem dari in viuentibus. Quam tacito nomine authoris refert D. Thom. 1. par. quæst. 119. artic. 1. sed eam tenuit Magister sententiarum in 2. d. 3. duobus vltimis paragraphis, vbi asserit, viuens nunquam adquirere nouam substantiam, sed eam, quam accepit per primam generationem, conseruari per totam vitam: cibo tamen, vel alimento indigere, non vt illud conuertat in propriam substantiam, sed vt sit pabulum, vel fomentum caloris naturalis, circa quod operatur, ne agens circa propriam substantiam viuentis eam consumat. Per operationem vero caloris naturalis circa illud (ait) solum conuerti in excrementa, quę per virtutem expulsiuam eiusdem viuentis à corpore expelluntur. Quam sententiam videtur sequi Albert. Magn. in summa de homine q. 1. art. 2. differt tamen non parum à Magistro, quia non solum veram nutritionem tollit, sed etiam veram augmentationem, asserens non augeri viuens per additionem alicuius nouæ quantitatis, sed ex eo solum, quod quantitas illa, quam in prima generatione accipit, rarefit, & ad maiorem locum se extendit: Magister vero non videtur veram augmentationem tollere per acquisitionem nouæ quantitatis.

Probat autem Magister non dari veram nutritionem testimonio Christi Domini Matth. 5. vbi sic ait: *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, quasi dicat, nihil aliud efficere calorem naturalem circa cibos, nisi eos in excrementa conuertere: docet igitur nihil eorum conuerti in substantiam viuentis, & consequenter, nec ex eis fieri veram nutritionem. Quod potest etiam probari hoc argumento: si fieret vera nutritio per conuersionem alimenti in substantiam aliti, necessarium esset, quod anima vniretur materiæ eiusdem alimenti virtute caloris naturalis, vel nutritiuæ potentiæ, cuius instrumentum est; sed impossibile est nutritiuam virtutem attingere vnionem animæ cum materia alimenti: ergo impossibilis est naturaliter nutritio. Euidens est consequentia cum maiori, quia si datur vera nutritio, debet esse operatio vitalis procedens à virtute vitali tanquam à principio intrinseco efficiente. Sed probatur minor in homine; quia impossibile est aliquid attingere vnionem extremorum, nisi attingendo extrema ipsa; sed virtus nutritiua, cum sit potentia corporea, non potest attingere substantiam animæ rationalis, quæ

est spi

eſt ſpiritualis: ergo neque vnionem eius cum materia. Nec ſolum anima rationalis ſpiritualis eſt, ſed etiam vnio eius cum materia; nam vnio debet eſſe in re vnita tanquam in ſubiecto: ergo vnio animæ cum materia erit in anima, & ideo ſpiritualis, ſicut anima ipſa; ſi enim eſſet corporea, non poſſet eſſe vinculum rei ſpiritualis: ergo nullo modo attingi poteſt à virtute nutritiua corporea, quare nec nutritio erit poſſibilis.

Hæc tamen ſententia falſa eſt, & principiis Ariſtotelis ex- 8
preſſe contraria. Probatur hoc ſecundum, quia principium Ariſtotelis eſt capite præſenti expreſſum, atque etiam 2. lib. de anima text. 46. quod alimentum, ex quo fit nutritio, in principio eſt diſſimile viuenti, ſed in fine eiuſdem nutritionis omnino ſimile, quia per conuerſionem in ſubſtantiam aliti ſuſcipit eandem formam, nempe animam, & verè animatum, & viuens per eam conſtituitur, & ita dicitur nutrire corpus: ponit igitur Ariſtoteles veram nutritionem, quam negat Magiſter. Sed probatur primum, quod ſit contra rationem; nam euidenti experientia conſtat hominem, & cætera animalia non ſolum partem ſanguinis, ſed ſubſtantiæ, in qua geniti ſunt deperdere per continuam actionem caloris naturalis, quod præcipuè oſtenditur dum grauem aliquem patiuntur morbum: neceſſe eſt ergo ſanguinem deperditum, atque etiam deperditam ſubſtantiam aliquo medio reparari, vel cito conſumi corpus: nullum eſt autem medium excogitabile, quo poſſint reparari naturaliter præter conuerſionem alimenti in ſanguinem, & ſubſtantiam aliti, quæ verè, & propriè eſt nutritio: ergo neceſſariò admittenda eſt, Et eam tanquam neceſſariam admittunt omnes interpretes Ariſtotelis tam antiqui, quàm recentiores duobus locis citatis: & præter eos D. Auguſtin. in lib. de vera religione, qui habetur in 1. tom. cap. 40. in principio his verbis. *Alimenta carnis corrupta, id eſt, amittentia formam ſuam in membrorum fabricam migrant.* Et D. Tho. 1. p. q. 119. artic. 1. non ſolum id aſſerit, ſed contrariam ſententiam irrationabilem eſſe affirmat. Falſa eſt etiam ſententia Alberti Magni, quod non detur vera augmentatio, quæ ſit acquiſitio nouæ quantitatis, ſed ſolum per rarefactionem primæ, quam in generatione acceperunt, dicantur creſcere animalia: quod ſic probo. Euidenti experientia conſtat maioris virtutis, ac roboris eſſe animalia poſt incrementum, quam ante illud, ſiue fiat vno modo, ſiue alio, & homines in ætate virili, quàm in puerili; ſed per rarefactionem non ſolum non creſcunt vires, ſed neceſſariò debilitantur: ergo falſum eſt, quod augmentatio ſit ſola rarefactio.

Probatur minor, quia virtus vnita fortior est se ipsa dispersa; sed per rarefactionem magis est dispersa, vt constat: ergo debilior, quàm prius. Secundo, quia eadem experientia docet membra corporis densiora, atque solidiora esse in viris, quàm in pueris: ergo euidens signum est non crescere per rarefactionem, sed per acquisitionem nouæ quantitatis, quam necesse est acquirere supposita acquisitione nouæ partis substantiæ per nutritionem. Tanquam certum igitur tenendum est, veram nutritionem, & veram augmentationem dari in rebus naturalibus.

9 Ad testimonium ex Euangelio respondet D. Thomas 1. p. q. 119. artic. 1. ad primum, sensum illius propositionis non esse quod omnes cibi, & secundum omnes suas partes in ventrem vadant, & in secessum emittantur; sed quod ex cibo quocumque aliquid emittatur, nempe terrestre illud, atque impurum, quod relinquitur ex ciborum concoctione, atque expurgatione in stomacho facta. Itaque vniuersalis est propositio ex parte ciborum, & subiectum eius distributum pro omnibus, & singulis cibis, sed in ordine ad partes eorum indefinita. Et est legitima expositio verborum, si contextum capitis inspiciamus, quia cum Pharisæi pro delicto opposuissent discipulis, quod illotis manibus manducarent, Christus respondit nullum in hoc peccatum inesse, quia cibus assumptus operibus naturalibus deseruit, hoc est nutritioni, & augmento corporis, & quod residuum est in ventrem vadit, & in secessum emittitur: in his autem operibus cum naturales sint, nihil peccati reperiri, & ideo nec in sumptione cibi, ex eo quod illotis, vel ablutis manibus sumatur, ea vero, quæ de ore exeunt, cum procedant à corde, hoc est, à voluntate libera peccata esse posse, & ideo hæc, & non illa inquinare animam: ad hoc autem institutum nihil refert, quod totus cibus assumptus, vel partes eius per hanc, aut illam viam emittantur: quare sufficienter declaratur intentum Christi, & verba eius per explicatum sensum.

Ad argumentum concedunt iuniores quidam, vnionem animæ rationalis ad corpus esse spiritualem, & ideo non attingi per virtutem corpoream. Hoc tamen falsum esse censeo. Primo, quia isti solum ponunt vnicam vnionem inter animam, & corpus cum communi sententia, & hanc dicunt educi de potentia materiæ: ex quo sequitur attingi à virtute corporea agentis naturalis. Secundo, quia si non attigeretur: ergo neque verum esset, quod homo generaret hominem, neque quod efficienter se nutriret, quod est falsum. Probatur consequentia, quia homo non attingit animam à solo Deo creatam,

neque

neque attingit vnionem eius cum corpore: ergo nec attingit hominem, vel ſubſtantiam factam per generationem, & nutritionem, quia homo nihil eſt realiter diſtinctum à corpore, & anima, vt vnitis. Probatur tandem, quia homo generans hominem producit modum vnionis, vel falſum eſt eum generare, cum nihil ad eum pertinens producat: ſed non producit modum vnionis ex nihilo per creationem: ergo ex præſuppoſita materia, quare neceſſe eſt illum educere de potentia eius; ſed quidquid educitur de potentia materiæ, eſt materiale, & corporeum: ergo repugnat modum vnionis eſſe ſpiritualem, & ideo repugnat eſſe in anima rationali tanquam in ſubiecto. Sed reſpondent educi quidem de potentia materiæ, ſed tranſire ad animam, & non permanere in materia: hoc tamen aperte falſum eſt, & argumento non ſatisfacit. Probatur eſſe falſum, quia repugnat aliquid educi de potentia materiæ, & in ea non permanere: primo, quia educi de potentia materiæ eſt fieri in materia: ergo neceſſe eſt ſimul fieri, & materiæ ineſſe, atque adeo in ea eſſe tanquam in ſubiecto. Secundo educi de potentia materiæ eſt dependere ex materiali concurſu eius, vt ſubiecti præſuppoſiti: ergo eſt in ea fieri tanquam in ſubiecto, & proinde in ea permanere, vel de ſubiecto in ſubiectum migrare. Quod vero non fiat ſatis argumento, euidens eſt, nam ſi ſemel concedatur educi de potentia materiæ, vt conuincit argumentum, & conceditur ab his, materialis debet eſſe, & ideo non poterit in anima rationali recipi tanquam in ſubiecto. Negandum igitur eſt, quod vnio ſit ſpiritualis, ſed verè corporea eſt, vt ſuo loco oſtendetur. Quod vero dicitur eſſe in anima, vt in ſubiecto, falſum eſt, ſed ſolum adhæret ei tanquam modus eam coniungens materiæ, vel corpori, quod non repugnat rei corporeæ: & ita dicimus, agens naturalem eandem vnionem attingere per virtutem corpoream tanquam per inſtrumentum in generatione, & nutritione: & ex hoc verum eſt quod homo generat hominem, & efficienter ſe nutrit.

Quid ſit nutritio, & quid augmentatio?

VT intelligatur in quanam actione conſiſtat nutritio, & in qua augmentatio, notandum eſt nutritionem viuentium plures alterationes alimenti præcedere; & prima fit in ore, vbi non ſolum conteruntur cibi, ſed verè alterantur per admiſtionem ſaliuæ, quæ magnam habet virtutem alterandi, & reſoluendi, vt teſtatur Galenus 1. lib. de ſimplicibus capit. 6. & colligitur ex colore, odore, & ſapore; quos mutaſſe conſtat 10

cibos post attritionem ; ab ore deferuntur cibi in ventriculum, vel stomachum , vt docet idem Galenus 4. lib. de vsu partium capit. 5. vbi fit secunda alteratio quæ est prima concoctio ; vel digestio eorum , & per quam magna pars excrementorum ab eis extrahitur , & in inferiorem partem intestinorum reijcitur, sicque permanent cibi magna ex parte expurgati sub forma cuiusdam substantiæ liquidæ , & colore albæ , quam chylum vocant. Ex ventriculo vero trahitur ad iecur per venas mesaraicas , vbi fit tertia alteratio & secunda digestio , vel concoctio, maioremque expurgationem cibus accipit ; nam terrestriores chyli partes ibi subsident , & leuiores aliæ quasi spuma supernatant ; aliæ denique sunt mediæ. Et terrestriores quidem sunt naturæ atræ bilis, seu melancholiæ , descenduntque à iecore ad lien , vt ex eis magis ab eo expurgatis nutriatur : leuiores vero sunt naturæ cholericæ , seu flauæ bilis ascenduntque ad folliculum , seu vesicam fellis. Denique partes mediæ colorem rubeum ibi acquirunt simílem colori iecoris , habentque naturam sanguinis. Circa sanguinem vero in iecore factum diuerso modo opinantur Medici ex vna parte, & Aristoteles ex alia, nam Aristoteles 2. lib. de partibus animalium cap. 4. & lib. 3. de historia animalium cap. 19. asserit officinam sanguinis esse cor ; non iecur , sed à iecore dimitti, & in corde recipi , vt ibi vltimam expurgationem recipiat , & ad singulas partes corporis per venas deriuetur. Medici vero præsertim Galenus 6. lib. de placitis capit. 17. ex oppositó affirmant officinam sanguinis esse iecur , à quo deriuatur per venas ad cor , & cæteras partes corporis , vt in eis vltimam expurgationem accipiens conuertatur in substantiam aliti , & præcipuè in corde summam recipiat expurgationem, & purissimus euadat , ita vt in spiritus vitales conuerti possit, quos certum est apud omnes in corde fieri ex purissimo sanguine , quia certum est in corde residere virtutem seu facultatem vitalem tanquam in fonte totius vitæ. Vnde & in eodem residet pulsatrix virtus, vt ostendit continua agitatio , & motus eius , & ab eodem etiam deriuatur per arterias , & ita sentitur in brachiis , & aliis partibus corporis , in quibus ostenditur , & morborum signum est. Et videntur hanc sententiam desumpsisse Medici ex Platone in Thimæo , ex Philone Iudæo in libro de victimis, quos sequuti sunt D. Greg. Nissenus in lib. de creatione hominis cap. vltimo D. Nemesius in lib. de natura hominis capit. 23. D. Theodor. sermone 3. de prouidentia. Lactan. in lib. de Opificio Dei capit. 14. Richar. in 2. d. 3. qu. 2. ad 5. Maior ibidem quæst. 5. Et eodem ferè modo differunt quantum ad spiritus animales, nam Aristoteles 2. lib.

de gene

de generatione animalium cap.4. & lib. 2. de partibus animalium cap.7. putat in corde etiam esse principium sensitiuæ virtutis, & ideo in eodem fieri spiritus animales ex purissimo sanguine, & suo motu per arterias discurrere partim ad cerebrum,partim ad reliquas partes corporis. Cæteri vero,& cum eis medici omnes principium virtutis sensitiuæ primo in cerebro potius collocant pro internis sensibus, & in reliquis sensoriis eiusdem capitis pro externis;vnde spiritus animales non in corde, sed in cerebro fieri docent,ita vt à corde quidem deriuetur pars quædam spirituum vitalium,& per quasdam obliquas,atque angustas vias perueniant ad cerebrum,vbi per virtutem eiusdem cerebri magis attenuantur,& ex vitalibus fiunt animales absque corruptione substantiali per solam attenuationem, nam opera animalis præsertim sensationes internæ omnium aliarum perfectissimæ,quibus deseruiunt spiritus animales perfectiores sunt vitalibus, & ideo, perfectioribus, ac tenuioribus spiritibus indigent; hi ergo spiritus animales à cerebro deriuantur per neruos ad reliquas partes, per quas exercentur operationes animæ sensitiuæ, quales sunt sensationes,& motus progressiui. Itaque vt breui sermone hæc explicentur,spiritus non est aliud, quàm substantia quædam tenuissima facta ex purissimo sanguine ad modum vaporis ex eodem sanguine extracti: nam quemadmodum Sol in mundo magno sua virtute calefactiua extrahit ab aqua vapores, qui sunt tenuissimæ quædam substantiæ quasi de natura aëris, ita in mundo paruo, hoc est, in corpore animali, vel humano, se habet cor, & sua virtute caloris vitalis extrahit ex purissimo sanguine in se recepto, & nimis expurgato quasi vapores quosdam, qui sunt substantiæ quædam subtilissimæ, quasi de natura aëris, & ideo vocantur spiritus, & vapores isti subtilissimi, & ideo leuissimi per virtutem vitalem, quam in se habent, moueri possunt, & suo motu facile discurrunt per arterias, & alias vias corporis. Distinguntur autem in vitales, & animales, quia operationibus vitales, vt nutritioni, & augmentationi deseruiunt, atque etiam operationibus animalibus,hoc est, animæ sensitiuæ, vt sensationibus, & motibus localibus eiusdem animalis: necessarij autem sunt imprimis ad replendas vias corporis,per quas,si plena omnino essent alimẽto,non posset idem alimentum omnino deriuari: necesse est ergo aliquam partem earum vacuam esse,sed spiritibus plenã, ne detur vacuum;& cum spiritus facile cedant, facile etiam decurrit alimentum,& ad partes corporis defertur.Deseruiunt præterea ad motum eiusdem alimenti vitales,in quantum sunt instrumenta

quædam vitalis virtutis; & animales deseruiunt sensationibus, & motibus localibus, in quantum sunt instrumenta virtutis motiuæ vitalis: nec tamen differunt substantialiter, sed solum accidentaliter, quia animales subtiliores sunt, & magis attemperati, & ideo ex vitalibus transeunt in animales per alterationem, vt explicatum est. Et hæc de spiritibus adnotare placuit, vt quadam saltem imperfecta ratione cognoscatur natura, & officium eorum in corpore, & ex ea melius intelligatur modus, quo fiunt nutritio, & augmentatio. Postquam ergo sanguis per venas, siue à corde, siue à iecore procedentes deriuatur ad reliquas partes corporis, in eis consequitur vltimam expurgationem, maiorem, vel minorem, secundum maiorem, vel minorem perfectionem cuiuslibet partis ex eo nutriendæ. Expurgatur autem, & perficitur per virtutem vitalem in singulis partibus participatam ab anima, & sic expurgatus, & perfectus sanguis dicitur vltimum alimentum, quia nondum est conuersum in substantiam aliti, immo nec mutatum substantialiter, sed accidentaliter tantum per varias alterationes explicatas. Sequitur deinde conuersio eius substantialis in carnem, ossa, & neruos, aliásque corporis partes, quæ cõuersio non est aliud, quàm corruptio eiusdem sanguinis, in cuius materia introducitur anima, & vnitur substantialiter, & per talem vnionem generantur in toto corpore diuersæ partes substantiæ, & vniuntur præexistentibus, & cum non possit produci substantia corporea naturaliter sine quantitate, quæ est propria passio eius, simul ac producuntur nouæ partes substantiæ, acquiruntur etiam cum eis nouæ partes quantitatis, siue de nouo productæ, sicut producuntur partes substantię, siue de nouo aduenientes, cum materia alimenti iuxta diuersas opiniones de subiecto accidentium superius explicatas. Et partes istæ quantitatis de nouo aduenientes vniuntur quantitati præexistenti eiusdem corporis viuentis, & ideo per eas sic vnitas dicitur viuens propriè augeri, & maius fieri.

14 Ex quibus iam intelligitur in quanam actione consistat nutritio, atque etiam augmentatio, & quid vtraque sit: nutritio quidē consistit non in aliqua alteratione præcedenti, per quam cibus præparatur in ore, aut ventriculo, nec etiam in ea alteratione, per quam fit sanguis in iecore, vel corde, nec etiam expurgatione, quam acquirit in singulis partibus, ad quas per venas, & arterias peruenit, sed in conuersione substantiali, per quam desinit esse sanguis in singulis partibus, & materiæ eius vnitur substantialiter anima. Erit igitur nutritio, *Mutatio substantialis, per quam materia alimenti mutatur ex priuatione formæ viuentis*

viuentis ad formam ipſam. Vel erit, *Productio partialis ſubſtantiæ viuentis ex conuerſione ſubſtantiali alimenti.* Et in vtraque definitione intelligitur vnio ſubſtantialis partialis ſubſtantiæ productæ cum ſubſtantia ipſius viuentis ſimul facta cum conuerſione, vel ordine naturæ ei præſuppoſita ſecundum diuerſas opiniones inferius explicandas. Augmentatio vero conſiſtit in actione per quam acquiritur maior quantitas, vel de nouo producta,& vnita quantitati viuentis, vel præexiſtens in materia alimenti, & vnita eidem quantitati viuentis ſecundum diuerſas opiniones. Sic igitur poterit definiri : *Augmentatio eſt acquiſitio maioris quantitatis ex ſubſtantiali conuerſione alimenti.* Et ecce iam explicata duo illa propoſita in titulo quæſtionis, an ſint in rerum natura nutritio, & augmentatio, & quid vtraque ſit.

QVÆSTIO II.

An nutritio, & augmentatio ſint mutationes diſtinctæ realiter.

SEquitur ſecundo diſputandum,an nutritio, & augmentatio 15
ſint mutationes diſtinctæ realiter, vel vna & eadem ſecundum diuerſas rationes formales, aut conſiderationes diſtincta. Et prima opinio iuniorum tenet non eſſe mutationem diſtinctam, ſed eamdem realiter ; diſtinctam vero ratione, quia conuerſio alimenti in ſubſtantiam, in quantum dicit productionem partialis ſubſtantiæ ex vnione animæ ad materiam alimenti, eſt nutritio, ex vi autem nutritionis præciſè abſque vlla noua actione quantitas alimenti fit propria viuentis, & per illam dicitur augeri, & ideo augmentatio non eſt actio diſtincta à nutritione,ſed eadem nutritio, vt per eam acquirit viuens nouam quantitatem. Hanc ſequuntur plures, ſed non omnes eodem modo illam defendunt,ſed antiquiores quidam ideo dicunt facta nutritione, ſine alia noua actione adquirere viuens maiorem quantitatem, quia quantitas eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeæ, propria autem paſſio non fit noua,aut diſtincta actione ab ea, per quam producitur eius ſubiectum, ſed naturali quadam reſultantia ſequitur, vt riſibilitas non fit alia actione diſtincta ab ea, per quam fit homo, ſed ex eadem reſultat naturaliter. Ita Pererius lib. 8. ſuæ Philoſophiæ cap. 13. ad quartum, Marſilius 1. lib. de generatione q. 10. Albertus Saxoniæ ibidem quæſt. 9. Venetus. cap. 6. eiuſdem

libri, Valles 5. Phyſ. cap.2. & controuer.29. ad Tyrones. Alij vero recentiores ad defendendam eamdem ſententiam tria ſupponunt. Primum dari motum per ſe ad quantitatem, vt docet expreſſe Ariſtoteles 5. lib. Phyſ. cap.2. quod tamen præſuppoſitum, licet ſit apud Ariſtotelem certum, negatur tamen ab aliis omnibus citatis. Secundo ſupponunt, per augmentationem non produci quantitatem aliquam, ſed eamdem, quam habet alimentum tranſire ad corpus viuens cum materia eius,
16 in qua eſt tamquam in proprio ſubiecto. Secundo ſupponunt, prius ſaltem natura, quam alimentum conuertatur in ſubſtantiam viuentem, vniri materiam eius materiæ eiuſdem viuentis; & quantitatem quantitati per actiones proprias, atque diſtinctas, ſed in his vnionibus non conſiſtere nutritionem, nec augmentationem, ſed ſupponi ad conuerſionem alimenti per modum approximationis eius ad corpus viuens, quod in idem alimentum agit per virtutem nutritiuam, & calorem naturalem, atque adeo ad nutritionem, & augmentationem in eadem conuerſione conſiſtentem, qua facta, & adquiſita partiali ſubſtantia eo ipſo abſque noua actione incipit viuens habere in ſe quantitatem alimenti, per quam augetur, & fit maius. Itaque conuerſio ſubſtantialis alimenti, quæ eſt productio partialis ſubſtantiæ viuentis, duplicem terminum habet, intrinſecum, & primarium, nempe ſubſtantiam partialem per eam productam, & ab hoc termino habet, quod ſit nutritio: alium vero non factum per ipſam, neque vnitum, ſed acquiſitum ſuppoſita vnione, & productione partialis ſubſtantiæ, & ideo extrinſecum, & ſecundarium, à quo denominatur augmentatio extrinſeca tantum denominatione, & exemplum afferunt in motu locali duos terminos habente, nempe, vbi, vel præſentiam localem, quam in ſe acquirit mobile; & iſte eſt primarius; atque intrinſecus, à quo habet ſpeciem: extrinſecum, & ſecundarium, nempe locum circumſcribentem, & iſte eſt ſecundarius, & extrinſecus, quia locus non eſt formaliter in corpore locato. Et quemadmodum acquiſito, vbi, per motum, abſque noua alia actione, vel motu ſequitur acquiſitio loci, pari ratione acquiſita partiali ſubſtantia, abſque noua actione, vel motu, ſequitur maior quantitas in viuente, & ideo augmentatio non eſt noua alia mutatio, ſed eadem ſub quadam alia denominatione extrinſeca conſiderata.

17 Hanc ſententiam ita explicatam probant teſtimonio Ariſtotelis capite præſenti, vbi ita ait: *Etenim ſic differunt nutrimentum, & augmentatio ratione.* Et ſtatim in tranſlatione Vatabli ſequuntur hæc verba. *Nutritio idem, quod accretio exiſtit, ratio*

tamen

tamen est diuersa. In translatione vero antiqua eodem ferè modo dicitur. *Et nutrimentum augmentatione idem est quidem, esse autem aliud.* Probãt deinde ratione, primo, quia supposita vnione materiæ alimenti cum materia viuentis, atque etiam vnione quantitatis alimenti cum quantitate viuentis; & tandem vnione substantiali animæ cum materia eiusdem alimenti, absque vlla noua actione verum est quantitaté alimenti esse eamdem numero cum quantitate viuentis, & eidem viuenti propriam, sicut materia eiusdem alimenti facta est ei propria: ergo sine vlla noua actione verum est, viuẽs acquisisse nouam, atque maiorem quantitatem, per quam factum est maius, & ex consequenti augmentum suscepisse; sed augmentum suscipitur per augmentationem: ergo augmentatio non est noua, vel distincta actio realiter à nutritione, sed sola ratione.

Secundo probant à sufficiente diuisione, quia augmentatio non consistit in productione nouæ quantitatis, sed in additione eius, quam secum affert materia alimenti, vt supponitur: neque in vnione quantitatis alimenti cum quantitate viuentis, quia talis vnio præsupponitur augmentationi: ergo solum potest consistere in mutatione, per quam materia alimenti recipit formam viuentis. Probatur consequentia, quia nulla alia interuenit mutatio in augmento viuentis, sed receptio formæ viuentis in materia alimenti est ipsa nutritio, vt ex præcedenti quæstione est manifestum: ergo augmentatio non est mutatio distincta realiter à nutritione.

Secunda opinio asserit, nutritionem & augmentationem esse actiones, & mutationes realiter distinctas. Hæc est communis omnium interpretum Aristotelis hoc loco 5. lib. Phys. cap. 2. & 2. lib. de anima textu 42. vsque ad 50. tam antiquorum, quàm recentiorum (paucis illis exceptis, quos pro alia opinione citauimus, ideo nullum nominare oportet.) Sed diuerso etiam modo eam defendunt, qui opinantur subiectum quantitatis, & aliorum accidentium esse compositum: & alij, qui putant esse materiam primam; nam illi ideo dicunt augmentationem esse distinctam actionem, vel mutationem à nutritione, quia per eam producitur maior quantitas, quæ cùm sit accidens distinctum realiter à substantia partiali producta per nutritionem, petit distinctam actionem, per quam producatur. Alij vero quamuis non admittãt, per augmentationem produci quantitatem, sed eam, quam secum affert materia alimenti, asserant vniri quantitati viuentis, dicunt tamen augmentationem consistere in hac vnione quantitatis cum quantitate, quæ cum fiat per modum vnionis realis de nouo productæ, necesse est, 18

fiat

fiat quoque per nouam actionem, & distinctam realiter à nutritione,quia nouus,& realis terminus nouam,& realem actionem postulat. Et nos hanc sententiam tanquam probabiliorem,& valde consonam principiis Aristotelis sequimur,primo tamen modo eam intelligimus. Sed nunc solum probanda est aduersus primam,vt à iunioribus defenditur admittẽtibus cum Aristotele,dari motum per se ad quantitatem,qui sit augmentatio;nam aduersus antiquiores alios,hanc speciem motus non admittentes, sed ex eo negantes distinctionem realem inter nutritionem, & augmentationem, quia negant omnino dari per se motũ ad quantitatẽ duas tantum ponentes species motus,nempe alterationem, & lationem cum Platone,&Galeno, inferius agemus disputantes de augmentatione, an sit per se motus ad quantitatem.

19 Præsuppositio ergo ex doctrina Aristotelis 5.libr.Phys.cap.2. quod augmentatio sit per se motus ad quantitatem distinctus ab alteratione,& latione; & admisso à recentioribus illis,probatur contra eosdem esse distinctam realiter à nutritione adiuncto alio testimonio eiusdem Aristotelis ex 3.libr.Phys.tex. 16.vbi sic definit motum.*Motus est actus mobilis prout mobile est.* ex quibus probo augmentationem addere supra nutritionem entitatem realem atque intrinsecam formaliter denominantem subiectum proprium,nempe viuens, quod augetur,& non solam denominationem extrinsecam,& ideo distingui realiter ab eadem nutritione hoc modo, augmentatio est motus per se ad quantitatem ex priori testimonio: ergo est actus mobilis prout mobile est ex altero: quare ex vtroque colligitur esse actum viuentis, quod augetur tamquam subiecti existentis in potentia ad illum;sed actus alicuius,vt subiecti debet esse in eo formaliter, & non per solam denominationem extrinsecam, vt patet in dexteritate denominante extrinsecè columnam, quæ ideo non est actus eius,sed animalis,in quo reperitur formaliter:ergo augmentatio vt motus est,formaliter reperitur in subiecto, quod denominat formaliter mobile,& aliquid reale ponit in eo formaliter, per quod necesse est distingui realiter à nutritione,& non tamquam denominatio extrinseca.Probatur consequentia, quia distinguitur ab ea sub ratione motus reali, & positiua,atque intrinseca,& inhærens mobili.

20 Probatur secundo ex separatione,quia ea,quæ possunt inter se separari per diuinam potentiam, distinguuntur realiter: sed augmentatio potest separari realiter à nutritione:ergo distinguitur ab ea realiter. Probatur minor,quia nutritio est productio partialis substantiæ vnitæ viuenti ex conuersione alimẽti:

sed

sed facta conuersione alimenti, & producta partiali substantia, atque vnita viuenti, potest Deus destruere quantitatem alimenti, atque suspendere augmentationem viuentis, ita vt nutriatur, & non augeatur: ergo dabitur nutritio sine reali augmentatione. Respondent possibile hoc esse, & dari tunc nutritionem sine augmentatione, sed adhuc nihil reale intrinsecum separari à nutritione, nec proinde aliquam actionem, vel mutationem, sed solam denominationem extrinsecam, ex qua habebat nutritio rationem augmentationis, & ideo non probari ex tali separatione, quod sint actiones, vel mutationes realiter distinctæ. Hanc tamen solutionem esse falsam sic probo, in casu illo separationis euidens est separari augmentationem à nutritione, cum sit euidens permanere nutritionem sine augmentatione; sed augmentatio realiter, & formaliter est motus, & nutritio realiter, & formaliter est mutatio; ergo separatur motus realis à mutatione reali; deinde motus realis, vt motus realis est, & vt distinguitur à mutatione, non est sola denominatio extrinseca, sed aliquid intrinsecum formaliter afficiés mobile: eum sit actus eius, vt subiecti, & vt existentis in potentia; ergo separatur à nutritione tamquam entitas realis positiua, & intrinseca mobilis, & ideo distinguitur ab ea realiter vt talis entitas realis positiua, atque intrinseca mobilis. Probatur tandem, quia nutritio formaliter est mutatio substantialis, & augmentatio formaliter est motus; sed rationes formales mutationis, & motus sunt positiuę, & formaliter denominantes subiectum, ergo distinguuntur tamquam duæ rationes formales, positiuæ, atque intrinsecæ, & vt tales sunt separabiles; ergo falsum est, quod augmentatio solum distinguatur à nutritione tamquam denominatio extrinseca, falsum quoque, quod solum addat supra illam extrinsecam denominationem; & falsum tandem, quod si suspendatur adeo augmentatio permanente nutritione, solum separetur ab eadem nutritione quædam denominatio extrinseca.

Testimonium Aristotelis, quod iuniores pro se adducunt, 21
difficile visum est verba solum considerantibus, & non contextum litteræ, quod consideraus D. Thomas in Commentarijs eius egregiè illud exposuit, & expositio eius difficultatem prorsus tollit. Notãdum est ergo nutritionem, & augmentationem tribus modis differre apud Aristotelem, & omnes. Primo ex parte materiæ, seu subiecti, vel obiecti, circa quod versantur, quod est alimentum, circa quod operatur virtus, seu potentia vitalis; alimentum vero duo habet: primum, esse substantiam viuentem in potentia, & ita consideratum est obiectum nutri-

tionis;

tionis,ſecundum habet eſſe quantum, & vt quantum eſt materia,ſeu ſubiectum augmentationis, quia non poteſt (inquit Ariſtoteles)viuens augeri,niſi ex alimẽto quanto, & diuiſibili: habent ergo idem ſubiectum, vel materiam diuerſo modo conſideratam,& ideo ex hac parte ſunt idem ſubiecto,& differunt ratione:hæc tamen differentia rationis, cum ſe teneat ex parte materiæ,circa quam verſantur,materialis eſt,non formalis,ſed formali, atque ſpecificæ neceſſariò præſuppoſita. Alia eſt differentia formalis, & eſſentialis, quæ ſumitur ex parte terminorum,in quos per ſe tendunt,nam terminus nutritionis eſt partialis ſubſtantia producta ex conuerſione alimenti: terminus vero augmentationis maior quantitas acquiſita.Tertia differentia realis erit,quia ſunt duæ mutationes reales, & ſeparabiles inter ſeſe, & ideo realiter diſtinctæ, vt probauimus, licet hoc non admittat contraria opinio,nos vero neceſſarium eſſe cenſemus in doctrina Ariſtotelis, & ſecundum veritatem Philoſophicam,Ariſtoteles ergo loquitur de obiecto, vel materia nutritionis(inquit D.Thomas)quod eſt nutrimentum, & conſequenter de nutritione ipſa, & augmentatione, in quantum circa illud verſantur,& ideo aſſerit idem eſſe ſubiectum, ſeu materiam vtriuſque,diuerſo modo conſideratum, & conſequenter ex parte eiuſdem ſubiecti, vel materiæ ſola ratione diſtingui eaſdem actiones,vel mutationes, quia diuerſa ratione verſantur circa illud,& hanc diſtinctionem voluit præ alijs explicare Ariſtoteles, vt ex ea ſolueret aliam quæſtionem à multis ſuo tempore agitatam, an nutrimentum ſit ſimile nutrito,vel diſſimile;& an viuens nutriatur ex ſuo ſimili, vel ex diſſimili. De alijs autem differentijs ſpecifica, & reali, quæ aliunde ſumuntur, non loquitur in præallegato teſtimonio: & ex hoc patet nihil contra noſtram ſententiam probare, quæ diſtinctionem realem ponit aliunde ſumptam.

22 Ad primum argumentum neganda ſunt omnia,quæ in antecedenti aſſumuntur tamquam falſa, quia quantitas alimenti non vnitur quantitati corporis viuentis, ſed corrupto alimento corrumpitur, & cum ea cætera accidentia, & noua quantitas partialis producitur cum partiali ſubſtantia; & hæc eſt,quæ per ſe terminat motum augmentationis,quæ cum realiter diſtinguatur ab eadem ſubſtantia partiali terminante nutritionem, realiter etiam diſtinguuntur nutritio, & augmentatio.

Ad ſecundum negandum eſt etiam antecedens, ex ea parte, qua dicit augmentationem non conſiſtere in productione maioris quantitatis,ſed in additione eius,quam ſecum adducit

materia

materia alimenti, nullam enim quantitatem adducit materia alimenti, sed ea, quam habebat idem alimentum, corrumpitur eo corrupto, atque conuerso in substantiam aliti, quia cum esset proprium subiectum eiusdem quantitatis, necesse est corrumpi ad corruptionem eius, & materiam relinqui nudam omni forma tam substantiali, quam accidentali pro recipienda anima, vt capit. 4. huius libri diximus contingere semper in generatioce substantiali, in qua fit resolutio vsque ad materiam primam. Vel secundo responderi potest, quod licet non produceretur noua quantitas per augmentationem, sed solum vniretur quantitas alimenti quantitati viuentis, distincta actio ad talem vnionem requiritur, quæ actio propriè est augmentatio, nam apertè falsum est, & contra Aristotelem; quod augmentationi præsupponatur vnio eiusdem quantitatis alimenti cum quantitate viuentis, sed per eam fit, vt inferius probabitur.

QVÆSTIO III.

An nutritio sit mutatio successiua, vel instantanea?

QVamuis nutritio, & augmentatio simul tempore, vel in eodem instanti fiant, nutritio tamen prior natura est augmentatione, sicut substantia partialis per eam producta prior est quantitate acquisita per augmentationem: ideo prius de illa agendum est in particulari, deinde de augmentatione. Quædam etiam prius de nutritione disputanda sunt cum augmentatione communia, & propterea de vtraque disputata censebuntur. Quærimus ergo, an nutritio fiat successiuè, & in tempore, vel simul, aut in instanti. 23

Et prima opinio asserit simul, aut in instanti fieri, ita vt tempore aliquo disponatur materia alimenti per alterationem successiuam à calore naturali, & in instanti terminatiuo illius temporis illa pars alimenti, quæ fuerit perfectè disposita, conuertatur in substantiam aliti, tempore vero sequenti disponatur alia pars, & in instanti terminatiuo eius conuertatur, & quia anima postulat determinatam quantitatem in materia, vt introduci possit, ita vt in minori non possit, vt 1. lib. Physic. definitum est, & materia sub illa determinata quantitate appellatur minimum, quod sic, ideo istæ partes alimenti, quæ in instantibus terminantibus tempus alterationis conuertuntur,

tuntur, dicuntur minima, & ex hoc dicitur fieri nutritio in instantibus per minima: *Et propterea non successiuè sed simul: quamuis* in alio sensu possit vocari successiua in quantũ vnum instans, in quo fit cõuersio vnius minimi, succedit alteri priori, in quo facta fuit conuersio alterius, non quidem successione immediata, sed post certum tempus, ideo non propriè successiua vocatur, sed propriè simultanea, aut instantanea, quia in solis instantibus fit. Ita Toletus 1. lib. de Generatione, quæst. 11. pro se referens Auerroem, Albertum Magnum, & D. Thomam, de quo inferius ostendemus oppositum expressè sentire; Pomponatius lib. de nutritione, & augmentatione, cap. 19. & 8. Metaphys. disp. 7. cap. 4. qui etiam citat pro se Themistium, Simplicium, & D. Thomam.

24 Probat ratione, suppositа ex 1. lib. Phys. communi opinione, quod viuentia terminantur termino intrinseco paruitatis, quod vocatur minimum, quod sic, ita vt certam quantitatem postulent in materia ad introductionem animæ, & sub minori non possit naturaliter introduci. Ex quo ita arguit. Id, quod producitur per nutritionem, est partialis substantia viuens per introductionem animæ in materia alimenti; ergo petit determinatam quantitatem, ita vt sub minori non possit introduci: sed materia sub tali quantitate minima simul, & in instanti debet esse completè dispositа, & non vna pars eius prius alia, nam si ita fieret, cum non possit introduci anima in parte illius minimi, daretur vltima dispositio in materia, in qua non esset introducta forma, quod naturaliter est impossibile: sequitur ergo dari necessariò minimum alimenti, quod simul, & in instanti sit completè dispositum pro introductione animæ, & non prius vna pars eius, quam altera; sed vltimam dispositionem sequitur naturaliter forma in eodem instanti: ergo concedẽdum est, simul, & in instanti introduci animam in illa minima materia alimenti; & ita in instanti semper fieri conuersionem, & nutritionem in ea consistentem.

25 Huic autem argumento, aliud addere possumus longè efficacius, quia si nutritio fit successiuè: ergo incipit per vltimum non esse, ita vt sit verum dicere, nũc non est, & immediatè post hoc erit: quo supposito inquiro, an in illo instanti, quod est vltimum non esse conuersionis alimenti, completa sit dispositio eiusdem alimenti, vel alicuius partis eius, aut non sit complera: si completa sit, necessariò debet fieri conuersio in eodem instanti, vel dabitur vltima dispositio formæ in materia, sine tali forma; immo cum opposita, & cõsequenter fiet nutritio simul, & non successiuè, aut in tempore: si vero dicatur in illo instanti

nullam

nullam partem alimenti eſſe completè diſpoſitam, & ideo non poſſe fieri in eo nutritionē, ſequitur neq; in tempore ſequenti poſſe fieri. Probatur conſequentia, quia ſi in illo inſtanti non fuit completa diſpoſitio, non poteſt compleri in tempore immediatè ſequenti, in quo ſi verum eſt conuerſionem eius fieri, neceſſarium quoque erit alimentum ſecundum eam partem diſinere eſſe, ſecundum quam fit conuerſio eius in ſubſtantiam aliti, quod ſi deſinit: ergo nullum dabitur ſubiectum in quo recipiatur vltima diſpoſitio pro conuerſione illius partis. Quod præſertim neceſſarium eſt ſecundum communem ſententiam, quam defendimus de ſubiecto accidentium, quod ſit compoſitum, & non ſola materia; nam compoſitum, quod eſt alimentum ſecundum illam partem tempore ſequenti completè diſponendam, & conuertendam non manet; cum ſit iam conuerſa: ergo non poteſt recipere vltimum complementum diſpoſitionum, quod deficiet ei ad conuerſionem; ſed ſine vltima diſpoſitione recepta in eodem alimento pro diſpoſitione materiæ eius, non poteſt fieri conuerſio, nec nutritio: ergo repugnat fieri ſucceſſiuè, & in tempore, & neceſſarium erit fieri ſimul, vel in inſtanti. Nec minorem vim habet aduerſus eos, qui tenent accidentia eſſe in materia prima tanquam in ſubiecto, quod ſic probo, vel in illo inſtanti, quod eſt vltimum non eſſe nutritionis, completa eſt diſpoſitio, vel non ſi, completa ſit: ergo in eodem introducetur forma viuentis in materia alimenti, & fiet nutritio in inſtanti; ſi vero non eſt completa: ergo compleri debet tempore immediatè ſequenti, & ideo ſucceſſiuè, ex quo ſequitur non poſſe eodem tempore immediato introduci forma ſubſtantialis. Probatur conſequentia, quia ſi tempore immediato completur diſpoſitio: ergo non eſt completa, quia dum res mouetur, non eſt verum iam eſſe motam, ſed in inſtanti ſequente, & terminante tempus, in quo mouetur, & ſi immediatè poſt non eſt completa: ergo immediatè poſt manet alimentum conuertendum: & ideo non erit conuerſum, nec nutritio poterit eodem tempore fieri, ſed in inſtanti terminatiuo eius, in quo verum erit tunc primo eſſe diſpoſitionem completam, & immediatè ante non fuiſſe completam, & conſequenter tunc eſſe nutritionem, & immediatè ante non fuiſſe, & ita non per vltimum non eſſe incipiet; nec ſucceſſiua erit, ſed per primum ſui eſſe, & erit inſtantanea.

Secundum argumentum, & tertium in ordine pro eadem ſententia præſupponit ex lib. 6. Phyſic. res materiales, atque corporeas non poſſe deſinere per vltimum eſſe naturaliter, quia ex tali modo deſinendi ſequitur aut dari duo inſtantia imme-

diata, aut materiam ſine vlla forma pro aliquo tempore; ſed ſi nutritio ſit ſucceſſiua, ſequitur alimentum deſinere per vltimum ſui eſſe: ergo non eſt admittendum. Minorem ſic probo, ſi nutritio eſt ſucceſſiua: ergo incipit per vltimum non eſſe, ſicut reliqua ſucceſſiua; & ita verum erit dicere, nunc non eſt nutritio, & immediatè poſt erit; ſed quamdiu non eſt nutritio, permanet alimentum: ergo verum erit dicere in vltimo non eſſe nutritionis alimentum eſſe, & immediatè poſt non eſſe; quia immediatè poſt datur nutritio, quæ cum ſit conuerſio eiuſdem alimenti in ſubſtantiam aliti, repugnat ſimul cum ea permanere alimentum; quare verum erit de eo, quod nunc ſit, & immediatè poſt non ſit futurum, quod eſt deſinere per vltimum eſſe.

Secunda opinio tenet nutritionem ferè ſemper fieri ſucceſſiuè, quia cum alimentum ſit diuiſibile, & non ſit æquè approximatum ſecundum omnes ſuas partes partibus viuentis, in qua reſidet calor naturalis, ſed quædam partes eius ſint proximiores eis, aliæ vero magis diſtantes, & agens naturale prius, atque perfectius operetur in paſſum ſibi proximum, quam in remotum, prius etiam diſponi per actionem caloris naturalis partes proximas alimenti, quàm remotas; & ideo ſucceſſiuè omnes, atque etiam ſucceſſiuè conuerti in ſubſtantiam aliti, & ita nutritionem ſucceſſiuè fieri, non tamen ſemper, (inquiunt) quia naturaliter poteſt contingere aliquam particulam ſanguinis in venis, aut in poris æquè approximatam eſſe ſecundum omnes ſuas partes carni, in qua reſidedt calor naturalis: quo ſuppoſito, ſimul, & æquè perfectè diſponentur omnes, & ex conſequenti ſimul fiet conuerſio omnium, & non ſucceſſiuè, ſed in inſtanti terminatiuo temporis menſurantis alterationem, in quo verum erit totam illam particulam ſanguinis conuerti, & partialem ſubſtantiam ex tali conuerſione produci in inſtanti, & per primum ſui eſſe, & ita nutritionem in caſu iſto, & ſimilibus fieri in inſtanti, quamuis ferè ſemper fiat ſucceſſiuè. Ita ſentiunt iuniores quidam.

17 Sed tertia opinio aſſerit ſemper, & neceſſariò fieri nutritionem ſucceſſiuè, ita vt naturaliter repugnet fieri in inſtanti. Ita D. Thomas docet expreſsè, & probat 3. parte, quæſt. 33. artic. 1. in corpore, & ad 4. Marſ. 1. lib. de Generatione, quæſt. 14. Albertus Saxoniæ, quæſt. 13. Venetus in ſumma de Generatione, cap. 7. Sotus 1. lib. Phyſ. quæſt. 4. artic. 3. §. contra ſecundam concluſionem. Pererius lib. 14. ſuæ Philoſophiæ, cap. 2. ad 7. Iandunus 8. lib. Phyſic. quæſt. 7. & eſt communis inter recentiores, & vera. Quam, vt probemus primo aduerſus primam opi

mam opinionem, duo sunt præsupponenda ab omnibus ferè recepta, & efficaciter confirmata. Primum est, quod agens naturale approximatum passo diuisibili, & sibi contrario fortius agit in partes eius sibi propinquiores, quàm in remotiores, vt ignis approximatus ligno fortius agit in partes superficiales eius, quàm in profundiores, quia proximiores sibi sunt illæ, quàm istæ; & illis mediis calefacit has. Et præsuppositum hoc euidenti experientia notum est in his, qui ad ignem accedunt, quorum propinquiores partes citius, & fortius calefiunt ab eo, quàm remotiores, ideo non est necessarium illud probare. Secundum præsupponendum est, quod licet viuentia, quantum ad primam sui generationem postulent minimum materiæ, in quo introducatur anima, ita vt in minori, vel immediatè, aut parte eius non possit adæquatè introduci, & propterea simul, & in instanti debeat introduci in toto: in nutritione vero non postulant tale minimum, immo nec materiam sic determinatam, quin in quacumque minori, & immediate cuiuslibet minimæ introduci possit anima. Et ratio manifesta est, quia anima in prima generatione postulat determinatam materiam ad sui introductionem, quia cum sit actus corporis Physici, & organici, in quo diuersas debet operationes exercere, determinata membra, certæque magnitudinis postulat: per quæ tanquam per instrumenta eas exerceat, nam adeo minima esse possunt, vt inepta prorsus sint ad exercendas operationes, vt per se est manifestum; sed nutritio supponit iam animam introductam in corpore sub debita quantitate, & proportione omnium membrorum eius, & operantem per eadem membra, & est quædam extensio eiusdem animæ ad nouam materiam pro consecutione perfecti status naturalis in ea: ergo non postulat determinatam materiam, quin in qualibet minima, atque in eius medietate introduci possit, quia quamlibet minimam, & minorem minima potest disponere calor naturalis, & in ea introduci anima, & quodlibet minimum alimentum, & minus minimo conuertere in substantiam aliti, & quodlibet minimo conuerso efficere corpus maius; quod euidenti experientia constat in igne, de quo nemo sanæ mentis dicet adeò minimum esse posse lignum, vt non possit illud in se conuertere, si sibi sit approximatum: quare neque vllus sanæ mentis dicere potest, adeo minimum esse alimentum vt conuenienter approximatum calori naturali non possit ab eo conuerti in substantiam aliti.

His duobus præsuppositis probatur cõmunis sententia, quam 28
sequimur testimonio Aristotelis 5. lib. Physic. cap. 2. vbi docet

augmentationem esse motum per se ad quantitatem. Ex quo ita arguo. Nutritio, & augmentatio apud omnes fiunt simul, hoc est in eadem duratione, quia eo ipso, quod producta est partialis substantia per nutritionem, consequitur naturaliter quantitas maior, per quam viuens augetur; sed de augmentatione docet expresse Aristoteles, quod sit verè, & propriè motus, & ideo quod sit successiua: ergo idem sentit de nutritione.

Probatur deinde ratione ex duobus illis principiis, quia calor naturalis est naturale instrumentum animæ & agit in alimentum sibi in principio dissimile, & contrarium, vt docuit expresse Aristoteles cap. præsenti: ergo prius, & fortius agit in partes eius proximiores carni, & ossi alijsvè partibus viuentis, in quibus residet, quia fortior est virtus eius ad minorem distantiam, quam ad maiorem: vnde sequitur citius, & perfectius disponere proximas, quam remotas, & ideo prius in illas, quàm in has inducere vltimam dispositionem pro introductione animæ; sed introductio animæ in materia alimenti sequitur vltimam dispositionem: ergo prius introducitur anima in proximiores, & prius illæ conuertuntur in substantiam aliti. Probatur consequentia ex alio principio, quod anima ad quamcumque minimam materiam dispositam informandam potest se extendere, postquam semel introducta est per primam generationem, & ad quamlibet minorem minima, siue ad primam medietatem eius, vt probauimus; sed vbi datur prius, & posterius, datur etiam successio temporis; ergo nutritio ex modo naturali agendi animæ circa alimentum per calorem naturalem non potest simul fieri, sed successiuè, & in tempore.

29 Secundo probatur ratione à posteriori, qua vsus est D. Thomas vbi supra, quia augmentatio fit cum motu locali, per quem corpus viuens eo ipso, quod adquirit maiorem quantitatem, se extendit ad maiorem locum occupandum, & acquirit per se maiorem præsentiam localem, quæ est terminus motus localis; sed motus localis fit successiuè, & in tempore ex propria natura: ergo etiam augmentatio; & hæc fit simul cum nutritione, vt probauimus: ergo de primo ad vltimum nutritio fit successiuè, & in tempore, contra primam opinionem.

Vt autem probemus semper, & necessariò fieri successiuè, ita vt naturaliter repugnet fieri in instanti in aliquo casu contra secundam opinionem iuniorum. Duo alia principia præsupponenda sunt, non minus vera, & necessaria, quàm duo alia præsupposita aduersus primam sententiam. Primum autem tale est; omne corpus habet trinam dimensionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis: & secundum has tres dimensiones habet

partes

partes, in quas diuidi poteſt; ita vt diuiſibile ſit, non ſolum ſecundum longitudinem, & latitudinem, ſed etiam ſecundum profunditatem. Secundum præſuppoſitũ eſt, alimentum quodcumque quantumuis exiguum eſſe verum corpus, & ideo eiſdem modis diuiſibile. Ex quibus probo ſemper, & neceſſariò fieri nutritionem ſucceſſiuè, quia agens naturale fortius agit in paſſum ſibi contrarium, quo magis eſt ei approximatum; ſed alimentum non poteſt naturaliter æquè approximari ſecundum omnes partes, ſed neceſſariò debet eſſe magis approximatum ſecundum aliquas, quam ſecundum alias; ergo repugnat calorem naturalem vniformiter, & non difformiter agere circa omnes, & conſequenter ſimul omnes diſponere, atque conuertere in ſubſtantiam aliti; ſed neceſſe eſt magis approximatas prius diſponere, & prius conuertere. Probatur minor, nam cætera per ſe patent. Quodcumque alimentum, ſiue quicunque ſanguis, quantumlibet paruus, in anguſtiſſimis venis, vel poris exiſtens, eſt corpus naturale habens trinam dimenſionem: ergo eſt diuiſibile ſecundum profunditatem. Vnde ſequitur, quod etiam ſi ſecundum ſuperficies extremas omni ex parte tangat extremas partes venæ, vel pori, repugnet eſſe æquè eis approximatum ſecundum profunditatem, nam cum hæc ſit diuiſibilis verſus omnem partem, neceſſe eſt partes eius minus profundiores eſſe etiam proximiores extremis ſuperficiebus, quibus terminantur, atque etiam extremis ſuperficiebus cuiuſlibet venæ, & pori, & partes profundiores eſſe remotiores; & ex conſequenti repugnat calorem naturalem in venis, aut poris reſidentẽ vniformiter, aut ſecundum eamdem efficaciter agere in omnes, ſed neceſſe eſt in proximiores citius, & fortius agere, & prius in eas vltimam diſpoſitionem inducere, & animam ipſam, quod eſt prius has, quàm illas conuertere, & ideo ſucceſſiuè omnes. Et hæc ratio non eſt minus efficax aduerſus hanc ſecundam ſententiam, quam illa, quæ facta eſt contra primã. Quare miror profecto deceptionem adeo manifeſtam horum iuniorum, qui cum putauerint rationem illam conuincere aduerſus primam ſententiam, crediderunt nihilominus, non probare, quod ſemper, & neceſſariò fiat ſucceſſiuè nutritio, ſed dari caſum naturalem, in quo fiat ſimul, & in inſtanti. Et cauſa deceptionis fuit, quod ſibi perſuaſerint poſſe naturaliter paruum corpus æquè approximatum eſſe agenti ſecundum omnes partes, quod naturalem continet repugnantiam; nam licet per extremas ſuperficies tangere poſſet vndequaque ſuperficies etiam venæ, aut pori, impoſſibile eſt, quod ſecundum partes profunditatis ſit æquè approximatum, vt

31 probauimus. Quod euidenti experientia conuinci potest. Nam si lignum in medio alicuius ignis proiecceris, ita vt per proprias superficies extremas attingat vndequaque ignem, nullus sanæ mentis dicere audebit æquè approximatas esse igni omnes partes profunditatis eius, quia euidens est, non æquè distare à superficiebus propriis extremis, quibus tangit ignem: ergo euidens est non æquè distare ab igne; etiam si illum vndequaque attingat per eadem extremas superficies. Quod verò paruum sit lignum, vel magnum nihil refert; cum vtrumque sit eodem modo diuisibile secundum profunditatem. Vnde sicut magnum successiuè conuertet in se ignis, ita & paruum, sed hoc in minori tempore. Nec minus euidens est exemplum loci, nam si corpus sit in aëre calidissimo tanquam in loco omni ex parte eum circumdante: quamuis vndequaque attingeretur ab eo secundum superficiem extremam, per quam se tangunt, non tamen esset æquè approximatum loco secundum partes profunditatis inter sese comparatas: quia licet centrum huius corporis æqualiter distaret ab omni parte circumferentiæ; partes tamen profunditatis proximiores centro versus partem vnam remotiores essent à circumferentia, facta comparatione per eãdem lineam, quàm aliæ magis distantes ab eodem centro, vt facile potest quisque intelligere; quare repugnat æquè approximatas esse in ordine ad actionem, & passionem, nisi per penetrationem naturaliter impossibilem. Patem autem esse rationem de alimento, vel sanguine approximato naturali calori per venas, vel poros, quis non videat; & eamdem esse rationem de paruo, & magno, quantum ad successiuam conuersionem.

32 Sed licet argumentum factum non adeò efficaciter probaret falsitatem eiusdem secundæ opinionis, posset à posteriori probari hoc modo. Certum est apud Aristotelem, augmentationem esse verè, & propriè motum, & admissum ab authoribus eiusdem opinionis: certum quoque est, motum propriè sumptum ex natura sua esse successiuum apud ipsum, atque etiam ab eisdem concessum: ergo certum est semper fieri successiuè, & in nullo casu posse fieri naturaliter in instanti. Sed certum est tertio ab eisdem concessum, simul fieri nutritionem, & augmentationem; hoc est, in eadem duratione, ex quibus necessariò sequitur, quod sicut in nullo casu naturali potest fieri augmentatio in instanti, cùm sit motus; nec fieri poterit naturaliter nutritio in instanti in casu aliquo naturali; vel si fieri possit, non erit motus, qui per se est successiuus. Et tandem probo, quia eo ipso, quod corpus acquirit maiorem substantiam per nutritionem; necesse est etiam acquirat maiorem quantitatem

per aug

per augmentationem; sed eo ipso quod acquirit maiorē quantitatem, necesse est moueri localiter per extensionem ad maiorem locum, & acquirere maiorem præsentiam localem: motum autem localem repugnat saltem naturaliter simul, vel in instanti fieri, sed semper, & necessariò fit successiuè, & in tempore: ergo de primo ad vltimum, semper, & necessariò debet fieri successiuè, & in tempore nutritio.

Ad primum argumentum primæ opinionis distinguendum est fundamentum, quod ex 1. lib. Phys. præsupponit, nempe, quod viuentia postulent terminum intrinsecum paruitatis, nam via generationis verum est, vt ibidem probauimus; in nutritione vero apertè falsum: nam cum iam præsupponatur anima esse introducta in materia debitæ magnitudinis, & substantia genita cum suis omnibus membris sub magnitudine proportionata in ordine ad opera vitæ exercenda, indifferenter nutriri, & augeri possunt secundum quamlibet partem minimam substantiæ, & quantitatis, & sub minori minima, & sub medietate minimæ, vt probauimus, & ideo successiuè, & in tempore nutriuntur, & augentur, & non simul, vel per minima in instantibus terminatiuis partium temporis.

Secundum argumentum difficillimum est in hac materia, & 33
à quibusdam putatur solui non posse ab his, qui tenent, dispositiones cum cæteris accidentibus corporeis esse in composito tamquam in subiecto adæquato, & non in sola materia: nam hoc supposito, videtur repugnare, quod nutritio fiat successiuè, quia repugnat incipere per vltimum sui non esse, vt cætera successiua incipiunt. Mihi tamen videtur, non minorem difficultatem habere aduersus eos, qui tenent accidentia esse in materia tamquam in subiecto. Quod vt ostendam, placet afferre, & impugnare duas solutiones, quæ adhibentur ab his. Prima asserit in illo instanti, quod est vltimum non esse nutritionis, non esse completam dispositionem secundum intensionem in aliqua parte alimenti, sed deficere ei aliquem gradum complendum tempore immediatè sequenti. Et cum infertur non posse eodem tempore immediatè compleri dispositionem, & introduci formam viuentis in materia alimenti, negant consequentiam, quia sicut in actionibus instantaneis in eodem instanti, in quo est vltima dispositio, introducitur forma, ita in successiuis potest in eodem tempore produci vltima dispositio in materia, & introduci forma. Hæc tamen solutio falsa est, quod sic probo. Si nutritio successiua est, & incipit per vltimum non esse, verum erit dicere, in hoc instanti non est nutritio, & tempore immediatè sequenti

erit: ergo verum quoque erit dicere, nunc est alimentum, & tempore immediato non erit. Ex quo euidenter sequitur, quòd tempore immediato non potlit compleri dispositio. Probatur consequentia; quia si verum est tempore immediatè sequenti non esse alimentum: ergo verum quoque erit formam eius esse expulsam, & formam viuentis esse introductam in materia eius; sed forma alimenti expellenda erat, & forma viuentis introducenda per complementum dispositionum; nam ideo non fuit illa expulsa, neque ista introducta in instanti præcedenti, quod fuit vltimum non esse nutritionis, quia non fuit tunc completa dispositio; ergo repugnat, quod eo tempore compleatur, in quo verum est, vnam esse expulsam, & aliam introductam, nam ex hoc sequitur euidenter introductam esse formam sine sufficienti dispositione, & aliam expulsam sine dispositione sufficiente ad eam expellendam, & vtrumque patet esse absurdum. Secundo probatur esse falsam, quia si in eo instanti, quod est vltimum non esse nutritionis, non est completa dispositio secundum intensionem: ergo non potest esse verum, quod immediatè post sit nutritio, & ideo, nec poterit esse successiua. Probatur consequentia, quia si verum est tunc non esse completam dispositionem quoad intensionem: ergo deest illi aliqua pars gradualis intensionis, quam certum est esse diuisibilem; & si diuisibilis est, prius producetur medietas eius quàm tota, & successiuè quidem, cum sit producenda per motum alterationis: ergo producetur prius tempore, quàm tota, & eo tempore, quo producitur, non est completa dispositio, cùm non compleatur per primam medietatem, sed per vtramque: ergo euidēs est, quod in aliqua parte priori immediati temporis non erit completa dispositio, & ex consequenti nec introducta forma: quare nec verū erit in eadem parte temporis priori, & immediata esse nutritionem, ex quo sequitur euidenter falsum esse, quòd incipiat per vltimum non esse, cùm falsum sit immediatè post hoc esse, ideo non poterit hęc solutio defendere, quod nutritio sit successiua. Et si dicatur, non esse completam dispositionem in illo instanti, quod est vltimum nō esse nutritionis, sed deesse illi aliquid intensionis indeterminatum, ita vt verum sit, in illo instanti non introduci formam alimenti cum tanta intensione dispositionis, bene tamē cum qualibet maiori, & ideo immediatè post introduci, quia significatur tempus indetetminatum, & simul tempore introduci formam viuentis, licet prius natura in genere causę materialis introducatur dispositio sufficiens. Probatur hoc impossibile, quia impossibile est formam substantialē introduci, quousque verum sit completam esse

esse dispositionem: sed immediatè post non est verum: ergo nec introduci poterit nec nutritionē dari. Minorē sic probo, immediatè post completur dispositio successiuè: ergo immediatè post non est verum, quod sit completa. Probatur consequentia, quia repugnat fieri, & factum esse mutationis successiuę omnino esse in eadē duratione, vt patet in motu quocumque: sed in tempore est mutatio ipsa, & in instanti terminante idem tempus mutatum esse, quod est terminus eius, & factum esse, vel completum esse termini: repugnat ergo immediatè post esse alterationem successiuam, per quam producitur complementum intensionis indeterminatum, & in eodem tempore esse productum, vel esse completam dispositionem, sed in instanti terminatiuo temporis primo verum est esse productum, ac dispositionem completam, & non ante illud, quare nec ante illud introduci potest forma, nec dare nutritionem, & consequenter, nec immediatè post illud instans, quod supponitur esse vltimum non esse nutritionis, sed necesse erit dari nutritionem in instanti, in quo primo verum est completam esse dispositionem, nec poterit cum hac solutione defendi successio eius.

Secunda solutio aliorum est, in illo instanti, quod est vlti- 34
mum non esse nutritionis, completam esse dispositionem quoad intensionem, sed dificere ei aliquid diuisibile quoad extensionem; quia dispositio (exempli gratia) intensa vt sex, quæ est sufficiens ad introductionem formæ viuentis, & datur in illo instanti, debet produci in partibus materiæ alimenti, vt in eis introducatur forma: producitur autem in partibus materiæ immediatè post, & simul introducitur forma viuentis in eisdē partibus, successiuè tamen fit vtrumq; quia prius producitur vltima dispositio in partibus propinquioribus, & prius etiam introducitur in eisdem forma, quam in remotioribus; cum illa producatur, & hęc introducatur simul tēpore, & ideo successiuè potest nutritio fieri. Sed non est minus falsa hæc solutio, quam prima, quod sic probo. Si in vltimo non esse nutritionis completa est dispositio secundum intensionem, ergo in illo instanti verū est dicere, quod dispositio sit in materia alimenti, quia in ea producta est per alterationem præcedentem; sed materia alimenti, in qua est talis dispositio completa quoad intensionem est capax formæ viuentis: ergo in eodem instanti introducetur in ea. Probatur consequentia, quia subiectum est capax, & sufficienter dispositum, & agens approximatum: ergo nihil deest ad introductionem formæ. Quare apertè falsum est, & sine vllo fundamento confictum, dicere expectandam esse extensionem eiusdem dispositionis ad partes materiæ, vt forma introducatur.

Probatur tandem,quia vel ſufficiens diſpoſitio quoad Intenſionem ad introductionem formæ viuentis conſiſtit in indiuiſibili, nempe in quinto, vel ſexto gradu, & ideo completur in inſtanti ; vel conſiſtit in intenſione aliqua diuiſibili : ſi hoc ſecundum dicatur,falſum eſt, quòd in eo inſtanti, quod eſt vltimum non eſſe nutritionis, ſit primo completa, & immediatè ante non fuerit, ſed ante illud inſtans potuit eſſe completa, & introduci forma.Si vero dicatur in vltimo nõ eſſe primo compleri,quia conſiſtit in indiuiſibili diſpoſitio completa,tunc inquiro,an talis diſpoſitio completa ſit in aliquo indiuiſibili materiæ alimenti tamquam in ſubiecto, vel in aliqua parte eius. Et ſi dicas eſſe in parte,ſequitur primo in eodem inſtanti introduci in ea parte formam viuentis. Probatur conſequentia,quia eſt capax eiuſdẽ formæ,& ſufficienter diſpoſita pro illa. Secundo ſequitur,prius fuiſſe productam in medietate illius partis,& ideo in ea fuiſſe iam introductam formam viuentis;quare illud inſtans,in quo dicitur eſſe completa,non erit vltimum non eſſe nutritionis,cum ante illud fuerit eadẽ nutritio.Si vero dicatur eſſe in ſolo indiuiſibili materiæ; vel illud eſt primũ indiuiſibile initiatiuum alimenti,vel terminatiuum, aut continuatiuũ alicuius partis eius.Si hoc ſecundum dicatur, ſequitur prius fuiſſe productam talem diſpoſitionem in alio indiuiſibili proximiori, & conſequenter prius in parte media inter vtrumque indiuiſibile,& conſequenter iam erit introducta forma viuentis in eadem parte priori per nutritionẽ. Probatur conſequentia,quia agens naturale prius,& fortius agit in proximum, quam in remotum. Si vero dicatur illud indiuiſibile materiæ alimenti, in quo eſt ſufficiens diſpoſitio quoad intenſionem, eſſe primum initiatiuum eiuſdem materiæ,& ideo non fuiſſe prius introductam in alio indiuiſibili, vel parte eius;ſequitur prius, atque in inſtanti introduci formam viuẽtis in illo indiuiſibili materiæ, quam in parte;ſed introductio formæ viuentis eſt nutritio,ergo dabitur nutritio in eo inſtanti;& ideo falſum erit,quod ſit vltimum non eſſe nutritionis. Probatur prima conſequentia,quia illud indiuiſibile eſt capax vltimæ diſpoſitionis:ergo eſt capax formæ.Secundo,ſequitur non poſſe introduci illud indiuiſibile complens diſpoſitionem immediatè poſt in parte materiæ terminata ab eodem indiuiſibili materiæ,in quo dicitur primò recipi tamquam in ſubiecto;& ideo non poſſe introduci formam viuentis in eadem parte,nec dari nutritionem immediatè poſt. Probatur prima conſequentia,quia vel illud indiuiſibile diſpoſitionis introducitur in parte materiæ cũ reſiſtentia, & expúlſione contrarij, vel ſine illa,ſi hoc ſecundo modo introducitur:

ergo

ergo in instanti,sicut lux,& ideo non immediatè post,quia immediatè post dicit tempus. Deinde,si in instanti producitur:ergo in instanti fit nutritio, quia vltimam dispositionem in subiecto capaci formę productã naturaliter,& in eadem duratione sequitur introductio formæ. Si vero indiuisibile producitur in parte complens dispositionem sufficientem cum resistentia, & expulsione contrarij:ergo successiuè,& in tempore immediato; sed producitur per actionem circa partem alimẽti,vt per se est manifestum:ergo immediatè post permanet alimentũ in parte materiæ terminata per primũ indiuisibile;& consequenter non erit forma viuentis in ea,nec erit substantia partialis producta per nutritionem ex alimento;& tandẽ non erit nutritio immediatè post.Probatur prima cõsequentia,quia repugnat in eodem tempore esse formã alimenti, & animã in eadẽ parte materiæ.

His duabus solutionibus refutatis eorum, qui tenent acci- 36
dentia ésse in materia tamquam in subiecto ; sequitur solutio aliorum, qui ponunt ea in composito. Qui asserunt in instanti,quod est vltimum non esse nutritionis, non esse completam dispositionem sufficientem ad expellendam formam alimenti, & introducendam animam, neque à dispositionibus tunc existentibus in materia alimenti expelli vnã,& introduci alteram, sed à dispositionibus, quas secum adducit forma viuentis, quæ licet in genere causæ efficientis sint posteriores eadem forma viuentis,sed in genere causæ materialis,hoc est, vt se tenent ex parte materiæ,priores sunt receptione eiusdem formæ in materia,quia prius est ex parte materiæ expulsio formæ oppositæ, quam receptio nouæ:prius est materiam emundari ab illa forma, quàm recipere nouam. Prius denique materiam disponi, quàm formam recipere, quia non recipitur forma noua, nisi à materia noua emundata, atque dispositа : ergo sufficienter expellitur forma alimẽti à dispositionibus simul introductis cum forma viuentis in materia eiusdem alimenti ; sufficientérque disponitur eadem materia per illas ad eam recipiendam.Quare licet illæ dispositiones,quæ sunt in materia alimenti in vltimo non esse nutritionis, desinant esse immediatè post , expelli potest forma eiusdem alimenti ab aliis aduenientibus cũ forma viuentis,eamque præcedentibus in genere causæ materialis, & ab eisdem disponi eadem materia;licet à præcedentibus non fuerit sufficienter dispositа,nec alia expulsa.Huic solutioni fauet D.Tho.28.q.de veritate art.8. vbi hunc ordinẽ præcedendi in materia ponit ex parte dispositionum, non solum in formis supernaturalibus, qualis est gratia iustificationis , sed etiam in naturalibus;& 1.2.q.113.art.8. in formis supernaturalibus.

Hæc

37 Hæc tamen ſolutio licet probabilis ſit quantum ad modum præcedendi diſpoſitionum ex parte materiæ, præſertim in formis ſupernaturalibus: ſed hæc ſola præcedentia non ſoluit argumentum propoſitum,quod ſic probo.Primo,quia illæ diſpoſitiones præcedentes in materia alimenti in vltimo non eſſe nutritionis non ſunt completæ, nec ſufficiẽtes ad expellendam formam eiuſdem alimenti,& diſponendam materiam pro introductione formæ viuentis,vt conceditur,ſed immediatè poſt non poſſunt compleri,nec ſufficientes fieri:ergo nec poteſt expelli forma alimenti,nec introduci anima. Minor euidens eſt, quia immediatè poſt,nec eſt iam alimentum,nec ſunt tales diſpoſitiones in materia;ſed deſinunt eſſe cum eodem alimento, in quo erant tamquam in ſubiecto,vt ſupponunt ſic opinantes: ergo immediatè poſt non agit calor naturalis circa illam partem alimenti iam non exiſtentem, quare nec poteſt complere diſpoſitiones illas,nec ſufficientes efficere: & ex hoc ſequitur immediatè poſt non introduci formam viuentis in materia, nec expelli formam alimenti, nec fieri nutritionem. Probatur conſequentia, quia non eſt magis diſpoſita, quàm fuit in inſtanti præcedenti;ſed tunc non potuit expelli vna, & introduci altera:ergo nec immediatè poſt; vel ſi poteſt immediatè poſt, potuit etiam in inſtanti pręcedenti,quia idem in quantũ idem & eodem modo ſe habens ſemper eodem modo operatur, & ſemper facit idem.

Secundò, quia calor naturalis non corrumpit alimentum in inſtanti,quod eſt vltimum non eſſe nutritionis:ergo neque in tempore immediatè ſequenti;ſed non poteſt introduci anima in materia eiuſdem alimenti, nec proinde dari nutritio immediatè poſt,niſi corrupto ſimul tempore alimento:ergo non erit verum quod nutritio ſit immediatè poſt;& ex conſequenti,nec incipiet per vltimum non eſſe,nec erit ſucceſſiua.Probatur prima conſequentia,quia calor naturalis nõ corrumpit ſua actione alimentum toto tempore alterationis præcedentis, nec in inſtanti terminatiuo eiuſdem temporis,quod eſt vltimum non eſſe nutritionis, quia adhuc permanet in illo inſtanti, ſed immediatè poſt non agit in alimentum,quia ſupponitur iam non eſſe:ergo illud non corrumpit, nec proinde dabitur immediatè
38 poſt nutritio.Et ſi dicas corrumpere alimentum,non per actionem quã habeat immediatè poſt circa illud, ſed virtute actionis præcedentis,quam habuit toto tempore alterationis, & in inſtanti terminatiuo eius;probatur hoc eſſe falſum, quia actio præterita non fuit ſufficiens ad corrumpendum alimentum, dum erat præſens, nec diſpoſitio producta per illam potuit

præſens

præsens expellere dispositionem propriam alimenti, cum qua tunc conseruata est in materia;& consequenter nec potuit expellere formam eiusdem alimenti:ergo multo minus erũt sufficientes actio præterita,& præterita dispositio, vt earum virtute expellatur forma alimenti,& corrumpatur alimentum ipsum immediatè post;& consequenter,nec vt forma viuentis introducatur in materia,& sit nutritio. His suppositis,duabus assertionibus explicãda est summa difficultas huius rei. Et prima assertio sit, nutritionem necessario incipere per vltimum sui non esse,ita vt naturaliter non possit incipere per primum esse, & ita successiuè,atque in tempore fieri,& non in instanti,quam probo hac euidenti ratione.Duo tantum sunt modi incipiendi omnium rerum,nempe primum esse & vltimum non esse, sed nutritio non potest incipere per primum sui esse: ergo necesse est,incipiat per vltimum sui non esse. Minorem sic probo, per nutritionem extenditur anima ad informandam materiam alimenti,sed ad hanc informationem non postulat certam, aut determinatam quãtitatem,sicut postulauit in prima generatione viuẽtis,sed ad quamlibet exiguam materiam informandam extẽdi potest,cum iam habeat ex prima generatione materiam sufficientis magnitudinis ad exercendas proprias operationes: ergo signata qualibet parte alimenti, verum est posse ad medietatem eius informandam prius extendi, & prius ad medietatem huius medietatis, & ita in infinitum: sed quælibet pars alimenti disponitur per alterationem à calore naturali agente vniformiter difformiter,sicut cætera agentia naturalia, & ideo successiuè, ita vt prius sit medietas eius sufficienter disposita, quàm tota:& prius medietas huius medietatis, & sic in infinitũ:ergo necesse est successiuè,& non simul informari ab anima; & talis informatio est nutritio, cum sit conuersio alimenti in substantiam aliti.ergo necesse est nutritionem non esse totam simul,nec in instanti,sed vnam partem eius post alteram, & ita successiuam,atque in tempore,& consequenter non posse incipere per primum sui esse,sed per vltimum non esse, quod proprius modus est incipiendi successiuorum.Assertio posterior,in illo instanti,quod est vltimum non esse nutritionis,datur quidem vltima dispositio in materia alimenti pro introductione animæ,sed non datur prima pars eiusdem materiæ primo dispositæ per eam,quæ sit minimum quod sic materiæ sufficienter dispositæ,in qua possit anima simul, atque in eodem instanti introduci. Probatur,atque explicatur ratione, & exemplis,ratiõne quidem, quia dispositio materiæ pro introductione animæ producitur à calore naturali operante vniformiter,difformiter

miter,& ideo per alterationē,quæ est motus per se successiuus; sed neque in vllo instāti, nec in tempore vllo successiui motus datur certus gradus dispositionis in prima parte subiecti, quæ sit minimū primo dispositū per illum:ergo nec datur in materia alimenti vltimus gradus dispositionis in prima parte eiusdem materiæ, quæ sit primo dispositā per illum tamquam minimum, in quo primo productus sit talis gradus, & ex consequenti in quo primo introduci possit anima simultanea introductione, & ideo in instanti, sed solum datur vltimus gradus eiusdem dispositionis in parte eiusdem materiæ indeterminata, quare non potest habere primum esse in materia, sed per vltimum non esse necessariò introducenda est.

39 Exemplum autem primum sit calefactionis, per quam producitur calor ab igne in ligno, in qua alteratione accipere possumus instans determinatum, in quo verum sit dicere primo productum esse calorem vt vnum in ligno, non tamen erit verum in eodem instanti, quod talis gradus sit primo productus in aliqua parte determinata eiusdem ligni, quæ sit minimum extensionis eius, sed solum potest esse verum, quod in eodem instanti sit primo productus talis gradus in aliqua parte eiusdem ligni indeterminata. Et huius ratio est manifesta, quia calor non habet minimum quod sic extensionis in subiecto,in quo sit primo productus, etiam secundum gradum indiuisibilem intensionis, sed signata qualibet parte subiecti verum est primo fuisse productum in minori,sicut nec habet minimum intensionis in eadem parte subiecti : cum data qualibet parua intensione verum est prius fuisse productum sub minori. Et si supponamus calorem vt sex esse sufficientem dispositionem pro forma ignis, verum erit, quod in instanti aliquo determinato sit primo productus calor, vt sex in ligno,sed non primo in parte aliqua, quæ sit minimum extensionis eiusdem caloris, quia non est dabile tale minimum; quare nec poterit in eodem instanti introduci forma ignis, quia non datur prima pars sufficienter dispositā, quæ sit minimum,in quo possit simul,vel in instanti introduci; vnde nec dabitur primum esse eiusdem formæ in materia, sed necesse est, quod idemmet instans sit vltimum non esse suæ introductionis. Pari ergo ratione in illo instanti, quod est vltimum non esse nutritionis, datur quidem alimentum vltimo dispositum pro introductione animæ,sed non datur alimentum primo dispositum,quod sit minimum,in quo primo possit introduci anima,nec proinde simul, aut in instanti, quod est dari

vltimam

vltimam diſpoſitionem in parte alimenti indeterminata. Et ratio eſt eadem, quia talis diſpoſitio non habet minimum extenſionis in ſubiecto, ſicut nec habet minimum intenſionis in eadem parte eius, & propterea non habet primum eſſe in eo, ſed vltimum non eſſe ſuæ extenſionis,& eadem eſt ratio de introductione animæ:cum debeat fieri ſecundum exigentiam, & modum diſpoſitionis materiæ,cuius nõ datur minimum quod ſic primo diſpoſitum ſufficienter, in quo ſimul, & in inſtanti introduci poſſit. Datur vero in prima generatione eiuſdẽ viuẽtis,quod nutritur,vt probauimus in 1.lib. Phyſ.& hæc eſt tota ratio propter quam anima in prima generatione viuentis habet primum eſſe in materia, & generatio ipſa viuentis fit in inſtanti,& ex oppoſito,quia non datur minimum in prima generatione non viuentium, nec forma habet primum eſſe in materia,nec talis generatio fit in inſtanti,ſed in tẽpore,nec generatio ipſa,nec res genita incipit per primum, ſui eſſe,ſed vtraq; per vltimũ non eſſe,& hoc eſt ſecundũ exemplum,ex quo ſatis aperta fit doctrina tradita, nam anima in nutritione non poſtulat minimũ quod ſic materiæ alimenti pro ſui introductione:cum iam habeat materiã ſufficientis magnitudinis ad exercendas proprias operationes ex prima generatione viuentis, & ideo in nullo inſtanti,nec in tempore vllo nutritionis verũ eſt darî vltimam diſpoſitionẽ in aliqua parte determinata,aut minima materiæ alimenti,quę ſit primo diſpoſita ſufficienter pro introductione animæ, in qua ſimul,aut in inſtanti introducatur,ſed ſolum poteſt dari vltima diſpoſitio in materia indeterminata,in qua nõ poteſt ſimul introduci anima, ſed ſucceſſiuè, & ideo nec datur inſtans,quod ſit primũ eſſe ſuæ introductionis,ſed ſolũ poteſt dari vltimũ non eſſe, ita vt immediate poſt introducatur, quod eſt in tempore indeterminato introduci ſicut materia ipſa ſufficienter diſpoſita indeterminata eſt. 40

Et ex hac doctrina conſtat ſolutum eſſe argumentum illud difficile,nam ad formam eius dum quærit, an in illo inſtanti, quod eſt vltimum non eſſe nutritionis, materia alimenti ſit ſufficienter diſpoſita pro introductione animæ, diſtinguendum eſt,nam ſufficiens diſpoſitio in eo inſtanti datur, ſed non datur minimum eiuſdem materiæ primo diſpoſitum per illam, ſed ſolũ datur diſpoſitio ſufficiens,vel vltima in parte eiuſdem materiæ,nec minima,nec prima,ſed indeterminata, in qua non poteſt anima ſimul introduci, nec proinde in eodem inſtanti, ſed in tempore immediato, quod indeterminatum eſt, & ideo per vltimum non eſſe, & non per primum. Et ſi dicatur ex hoc ſequi, dari aliquando vltimam diſpoſitionem in materia

ſine

sine introductione formæ, ad quam ordinatur, quod videtur absurdum: respondeo, dari quidem, non tamen in mensura adæquata introductioni naturali eius, sed in mensura inadæquata, in qua repugnat naturaliter introduci, sicut repugnat introduci simul, & illud quidem absurdum esset, hoc vero absurdum non est, sed necessarium.

41 Ad vltimum argumentum solet responderi, alimentum desinere per vltimum sui esse, non absolutè, sed sub determinata quantitate, vel quod alijs verbis dici solet, alimentum desinere per vltimum sui esse, non absolutè, sed vt tantum; hoc est, vt digitale, vel quid simile, quia non est verũ quod immediatè post, non sit, nisi in ea quantitate, in quam conuersum erit in substantiam aliti. Sub determinata vero quantitate desinere, est quasi desinere sub modo indiuisibili, quia alimentum esse, vel non esse vt tantum, modum indiuisibilem extensionis dicit; sicut calorem esse tantum, vel sub tali gradu dicit modum indiuisibilem intensionis eius: indiuisibilia vero, vel ea, quæ habent modum indiuisibilem vt talia, per vltimum esse desinũt; vt patet de indiuisibilibus motus, & temporis ex 6. lib. Phys. Hæc tamen doctrina videtur mihi falsa, & minus necessaria ad solutionem argumenti. Probatur esse falsam, quia nutritio incipit per vltimum non esse: ergo verum est, nunc non esse, & immediatè post esse; sed immediatè post non dicit instans temporis, sed tempus; nec dicit determinatum tempus, sed quasi tempus singulare sub indiuiduo vago. Cuius ratio est manifesta, quia non datur prima pars tẽporis post hoc instans, neque primum tempus: cum tempus quodlibet sit diuisibile in infinitũ, sed in tempore indeterminato non producitur nisi aliquid etiam indeterminatum: ergo repugnat, quod immediatè post producatur determinata pars substantiæ viuentis, in qua sit alimentum conuersum: & consequenter repugnat alimentum desinere immediatè post sub quantitate determinata, sed solum potest desinere sub quadam ratione indeterminata, sicut incipit substantia viuentis, in quam conuertitur. Quare falsum est etiam, quod desinat sub modo indiuisibili, quin potius necessariò debet desinere sub modo diuisibili, quia non datur prima pars desinens, sed quacumque data, datur alia prius desinens: ergo nec datur primum alimentum desinens, sicut nec datur prima substantia viuens. Quorum ratio est, quia nec datur primum tempus, in quo incipiat vnum, & desinat alterum, nec prima pars nutritionis, per quam producatur prima pars viuentis, & consequenter nec prima pars corruptionis alimenti.

Probatur

Probatur ſecundum,quòd prædicta doctrina non ſit neceſſa- 42
ria ad ſolutionem argumenti, quia bene poteſt ſine illa ſolui, concedendo,quòd alimentum abſolutè deſinit per vltimum ſui eſſe; ex quo nullum ſequitur inconueniens; nam ſolum poſſet ſequi vnum è duobus, vt 6. Phyſ. vidimus, nempe quod dentur duo inſtantia immediata, vel materia ſine forma pro aliquo tempore; ſed inconuenientia hæc ſolum ſequuntur ex eo,quod res materialis deſinat per vltimum eſſe,dum ea ad cuius productionem ſequitur deſitio eius, incipit per primum ſui eſſe, non vero ſi incipiat per vltimum non eſſe: quod hoc argumento probari poteſt.Nam cum primum eſſe rei ſit inſtans,in quo primo eſt, vel hoc inſtans erit immediatum alteri inſtanti, quod eſt vltimum eſſe deſitionis rei,quæ corrumpitur,vel mediatum, ſi immediatum,dabuntur duo inſtantia immediata,quod repugnat; ſi vero ſit mediatum, cum ſit primum eſſe formæ incipientis in materia; ſequitur tempore immediatè præcedenti, quod intercedit inter vtrumque inſtans, non fuiſſe in materia; ſed nec fuit eodem tempore in materia forma rei,quæ corrumpitur, quia idem tempus eſt poſt vltimum inſtans, in quo fuit, & ideo in eodem tempore verum eſt iam non eſſe, & conſequenter formam eius non eſſe in materia; ſed materiam in tali tempore eſſe ſine vtraque forma. Quod vero nihil horum ſequatur, ſi res ad cuius productionem deſinit, incipiat per vltimum ſui non eſſe; euidenter poteſt probari, quia dum res ad cuius inceptionem deſinit,incipit per vltimum ſui non eſſe,non datur inſtans,in quo primo ſit,ſed incipit eſſe tempore ſequenti,cum verum ſit,nunc non eſſe,& immediatè poſt eſſe;nam immediatè poſt non dicit inſtans temporis, ſed tempus immediatè futurum: ergo non dabuntur duo inſtantia immediata, nec etiam materia ſine forma, quia toto tempore immediato, in quo verum eſt dicere non eſſe illud, quod deſinit per vltimum ſui eſſe, & conſequenter non eſſe formam eius in materia, verum eſt etiam, quod in eadem materia ſit forma eiuſdem rei ad cuius inceptionem deſinit. Et vt in eadem nutritione aſſignemus exemplum, ſicut verum eſt nunc eſſe alimentum, & immediatè poſt non eſſe, & ex conſequenti non eſſe formam eius in materia, verum eſt etiam eodem tempore immediato eſſe ſubſtantiam viuentem per nutritionem productam, cum incipiat per vltimum non eſſe, & ideo animam tunc informare materiam alimenti, à qua fuit expulſa eius forma; & ita ſoluitur argumentum ſine illa diſtinctione refutata, & ſine vllo incommodo, quia vniuerſaliter verum eſt, rem quamlibet materialem, ſiue ſit ſubſtantia, vel accidens, abſolutè, & ſine

addito desinere per vltimum sui esse, quotiescumque res alia, ad cuius inceptionem,vel productionem desinit,producitur,vel incipit per vltimum sui non esse. Doctrina autem illa ex 6. lib. Phys.ab Aristotele,& ab omnibus approbata,quod res materiales, ac diuisibiles non possunt naturaliter desinere per vltimum sui esse,sed necessariò per primum non esse,intelligi debet cum hac limitatione;nempe,quando res aliæ,ad quarum productionem,vel inceptionem desinunt, producuntur, vel incipiunt per primum sui esse ; nam si non intelligatur sine tali limitatione, magna ex parte erit falsa, vt probauimus.

QVÆSTIO IIII.

An nutritio sit continua?

43 DVplicem sensum habere potest id,quod quærimus,an nutritio sit continua ? Prior est,an à principio vitæ vsque ad finem incessanter fiat,& absque vlla interruptione,quemadmodum motus cœli à principio , quo cœlum factum est, vsque ad diem iudicij,sic est continuus,vt numquam interrumpatur. Secundus sensus est,an licet interrumpatur aliquando,sicut interrumpitur alteratio,& motus localis inferiorum corporum,dum tamen fit, tempore continuo fiat sicut alteratio,& motus localis, vel non fiat in tempore continuo , sed solum in quibusdam instantibus terminantibus tempus alterationis , per quam disponitur alimentum;ita vt hoc tempore disponatur aliqua pars, & in instanti terminante illud conuertatur , & fiat nutritio , & tempore sequente disponatur pars alia, & in instanti terminatiuo eius conuertatur;sicque de reliquis;si enim hoc modo fiat, non erit continua , sicut neque instantia temporis in quo fit, sunt continua. Et quæstio præcipuè procedit,& primo disputabitur in hoc secundo sensu;deinde aliquid etiam de primo sensu dicemus ; & sicut procedit de nutritione , sic etiam de augmentatione , cum notum sit eodem modo fieri.

Prima opinio asserit , nutritionem non esse continuam in primo,nec in secundo sensu, quia non fit in tempore, sed in instantibus discontinuis per minima , vt explicatum est. Ita Toletus,& Pomponarius,qui vtrumque asserunt,videlicet nec nutritionem esse successiuam,vt retulimus quæstione præcedente, nec esse continuam , sed fieri in instantibus discretis per minima , & non in tempore , & citant pro se plures alios , vt vidi-
4 mus. Probant testimonio Aristotelis 8. lib. Physic. textu 23. vbi de

vbi de diminutione docet non fieri continuè ; & probat exemplo guttarum cadentium ſupra lapidem , & eam excauantium, non quidem continuè , ita vt ſi particula extracta ſit aliquo tempore,dimidium eius extractum ſit in dimidio eiuſdem temporis , vel ſaltem aliqua pars eius, ſed ſic fieri extractionem, vt per tempus aliquod nihil extrahant guttæ cadentes , ſed ſolum diſponant ad extractionem , & alia gutta ſuperueniens integram particulam ſimul , & quaſi vno ictu extrahat ; & eodem modo ait fieri diminutionem viuentis corporis , vt tempore aliquo diſponatur aliqua pars corporis viuentis , & in fine illius temporis corrumpatur , vel à corpore extrahatur , fiatque diminutio , quod eſt ſimul , & in inſtantibus fieri per minimas partes diſpoſitas tempore præcedente , in quo aſſerit nihil extrahi , ſed partem extrahendam in fine illius temporis diſponi , vt extrahi poſſit. Et cum eadem ſit ratio de diminutione, & augmentatione , atque etiam de nutritione , quia eodem modo fiunt omnes , videtur expreſsè tenere Ariſtoteles , quod non fiant in tempore , nec ſucceſſiuè, ſed ſimul , & in inſtantibus terminantibus tempus alterationis , per quam diſponitur alimentum, & conſequenter non continuè , ſicut inſtantia non ſunt continua , ſed quodammodo diſcreta. Probari etiam poteſt tribus illis argumentis , quibus probatum eſt quæſtione præcedenti nutritionem non eſſe ſucceſſiuam,quia ſi ſucceſſiua non eſt , euidenter ſequitur non eſſe continuam. Sed probatur hac ratione particulari, quia nutritio eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti virtute caloris naturalis facta,ſed prius quàm conuertatur alimentum,debet diſponi per alterationem factam circa ipſum ab eodem calore naturali ; toto autem tempore, quo diſponitur , non conuertitur , immo nec conuerti poteſt, quia calor naturalis occupatus in diſponendo,non poteſt ſimul occupari in conuerſione alimenti,nec illud conuertere, quouſque ſit diſpoſitum : ergo non fit vlla conuerſio vſque ad finem temporis terminantis alterationem , nec vlla nutritio , quare nec fieri poteſt continuè , cum interrumpatur toto tempore alterationis.

Secunda opinio aſſerit nutritionem eſſe continuam in ſe- 45
cundo ſenſu, quia non fit in inſtantibus temporis , ſed in tempore aliquo continuo , ſicut alteratio , & motus localis. Hæc eſt communis, & vera,quam tenet D. Thom.3. par. quæſt. 33. artic. 1. Marſil. 1. lib. de Generatione quæſt. 14. Albertus Saxoniæ,ibidem quæſt. 13. Venetus in ſumma de Generatione cap. 17.Sotus 1.lib.Phyſic.quæſt.4.Pererius lib.14. ſuæ Philoſophiæ cap.2. Iandun.8.lib. Phyſ.quæſt.7.& moderni ferè omnes.

Et probatur ex doctrina Aristotelis 5. lib. Physic. capit. 2. vbi docet augmentationem, & diminutionem esse motus propriè, & per se ad maiorem, & minorem quantitatem; sed motus propriè sumptus est continuus, vt testatur ipse 3. lib. Physic. in principio: ergo augmentatio, & diminutio sunt motus continui; sed eodem prorsus tempore, quo fiunt motus isti, fit nutritio, quæ est quasi fundamentum augmentationis: ergo est mutatio in tempore continuo facta, quod est esse continuam. Probatur deinde ratione. Nutritio sequitur alterationem, & dispositionem alimenti, quia eo ipso, quo dispositum est, conuertitur in substantiam aliti, sed alteratio, atque etiam dispositio alimenti est continua: ergo continua erit conuersio eius, in qua consistit nutritio. Probatur minor, quia calor naturalis disponens alimentum per alterationem, est agens naturale; sed agens naturale agit in passum sibi approximatum vniformiter difformiter, hoc est in totum simul, quod sibi est approximatum, non tamen æqualiter in omnes partes eius, sed prius, & fortius, ac perfectius in proximiores, quàm in magis distantes: ergo calor naturalis hoc modo agit in alimentum, & singulas partes eius, quod est motu continuo agere, & motu continuo eas disponere; conuersio autem alimenti in substantiam aliti fit secundum modum dispositionis eius: ergo sicut alteratio fit continuè per partes alimenti, ita vt proximiores disponantur prius, atque perfectius, & posterius magis distantes; ita conuersio eiusdem alimenti secundum suas partes fiet successiuè. Quod etiam probari potest exemplo flammæ, quæ continuè nutritur per conuersionem olei in propriam substantiam, nam eodem modo fit nutritio viuentis corporis ex alimento, virtute caloris naturalis conuerso in propriam substantiam.

46 Ad testimonium Aristotelis respondetur eodem modo loqui eo loco de augmentatione, ac de cæteris duobus motibus, nempe alteratione, & latione; de quibus probat non esse continuos, sed solam lationem circularem inter omnes motus continuam esse posse, hoc est perpetuam sine initio, & fine; & nunquam interruptam: in hoc enim sensu de motu continuo loquitur, non in eo in quo nos quæstionem agitamus de continuatione nutritionis; concedimus ergo non esse continuam in eo sensu, in quo loquitur Aristoteles, sicut nec alteratio, aut motus localis rectus; sed negamus non esse continuam, ita vt tempore aliquo continuo fiat, & non in solis instantibus per minima. Ita enim esse continuam augmentationem, & consequenter nutritionem docuit expressè Aristoteles 3. & 5. lib. Physicor.

Digitized by Google

Phyſicor. locis ſuperius citatis. Similitudo verò excauationis lapidis à guttulis cadentibus, quam eodem loco tradit Ariſtoteles, optima eſt, in eo tenens, quòd ſicut extractio alicuius particulæ non fit, quouſque fuerit diſpoſita per guttas præcedentes quodammodo mollificantes lapidem; nec fit æqualiter in toto tempore, & ſingulis partibus eius, ita vt ſi in aliquo tempore extrahitur aliqua particula, in dimidio illius temporis extrahatur medietas eius; ſed tempore aliquo extrahitur tota, & in parte illius temporis nihil, quod eſt quodammodo ſimul extrahi; ita conuerſio alimenti fit quidem in tempore, ſed non æqualiter, aut vniformiter, ita vt ſi in aliquo tempore aliqua pars conuertatur, in medietate eiuſdem temporis conuertatur medietas, ſed vniformiter difformiter ſecundum modum diſpoſitionis, ita vt plus conuertatur in aliqua parte temporis, quam in alia. Itaque conuerſio partis alimenti non fit, quouſque fuerit diſpoſita per actionem caloris naturalis. Ex quo non ſequitur in inſtanti fieri, ſicut nec fit in inſtanti extractio particulæ ex lapide, ſed in tempore, cum ſit motus localis: ita ergo fit nutritio ſimul quidem per omnes partes viuentis corporis, vt inferius oſtendetur, ſed ſucceſſiuè, & continuè in quacumque, quia prius conuertuntur partes proximiores alimenti in ſingulis partibus viuentis, quam magis diſtantes; vt ex modo, quo fit nutritio in 1. quæſt. huius tractus explicato, facile intelligitur.

Argumenta verò contra ſucceſſionem nutritionis iam ſunt 47
ſoluta quæſtione præcedenti, & eiſdem modis ſoluenda ſunt, in quantum procedunt contra continuationem eius: ſi enim non probant in inſtanti fieri, nec probabunt quòd non fiat continuè; quia ex ſucceſſione euidenter ſequitur continuitas. Ad aliud verò nunc additum diſtinguenda eſt minor, quod per totum tempus, quo diſponitur alimentum, non poſſit conuerti, nam ſi de eadem parte, quæ diſponitur, intelligatur, vera eſt; ſed quamuis illa non conuertatur, conuerti poterit proximior iam diſpoſita, & ſicut diſpoſita eſt per motum continuum, ita per continuam conuerſionem tranſmutatur in ſubſtantiam aliti. Quòd vero dicitur calorem naturalem non poſſe eodem tempore diſponere alimentum, & conuertere illud, eadem diſtinctione ſoluitur; nam de eadem parte verum eſt, de diuerſis falſum: quare non probatur continuam eſſe non poſſe conuerſionem alimenti, nec nutritionem ex ea factam.

Dubium de ſecundo ſenſu quæſtionis, an ſemper fiat nutritio?

48 REstat aliquid dicamus de secundo sensu quæstionis, videlicet, an necesse sit viuens nutriri toto tempore vitæ absque vlla prorsus interruptione per conuersionē alimenti numquam interruptam, vel dari possit tempus aliquod, in quo nulla fiat conuersio alimenti, nec nutriatur corpus. Et videtur numquam interrumpi nutritionem; quod sic probo. Quia numquam cessat actio caloris naturalis, per quam disponitur alimentum; neque vmquam deest alimentum, quod disponatur: ergo absque vlla interruptione fit dispositio, ita vt prius, atque perfectius disponantur partes proximiores eius, deinde remotiores; omnes tamen motu successiuo, atque continuo vniformiter difformiter, vt patet in flamma continuè agens circa oleum; & ideo continuè illud conuertens: ergo necesse est semper fieri nutritionem, quæ sequitur naturaliter dispositionem alimenti. Antecedens probatur, quantum ad eam partem, quæ asserit numquam deficere alimentum, quia vltimum alimentum disponendum, & conuertendum est sanguis; sed numquam deficit sanguis, quamdiu animal viuit; ergo numquam deficiet actio caloris naturalis circa illum: quare numquam deficiet dispositio, numquam deficiet conuersio, atque nutritio. Pro solutione huius dubij tria dicenda sunt. Primum est, conuersionem alimenti in substantiam aliti, & consequenter nutritionem non esse operationem sic præscisse necessariam ad vitam, vt eo ipso, quod pro aliquo tempore cesset, necesse sit viuens perire, sed posse naturaliter pro aliquo tempore in vita conseruari sine vlla conuersione, vel nutritione. Hoc est ita certum, vt probari possit euidenti ratione: quia euidens est hominem in primo instanti, in quo generatur, nutriri non posse, quia nondum sumpsit alimentum, nec etiam si haberet approximatum, posset illud in instanti alterare, atque disponere, quia alteratio fit successiuè, & in tempore; ergo indiget tempore sequente ad sumendum cibum, eumque alterandum, ac disponendum; quo tempore etiam est euidens non dari vllam conuersionem, & ideo necesse est concedere, quòd sine operatione nutritionis conseruetur; quare non est precisse necessaria ad vitam conseruandam. Secundo, dicimus, valdè probabile esse, quòd non semper fiat conuersio alimenti, nec semper nutriatur viuens, sed pro aliquo tempore interrumpatur nutritio: ita videtur sentire D. Thomas 2. 2. quæst. 24. artic. 7. his verbis *Augmentum corporale in animalibus, & plantis non est motus continuus, ita scilicet, quod si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit, quòd proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur; sicut contingit in motu locali: sed per aliquod*

tempus

tempus natura operatur disponens ad augmentum, & nihil augens actu, & postmodum producit in effectum id, ad quod disposuerat augendo ipsum animal, vel plantam in actu, &c. Quibus licet de sola augmentatione loquatur expresse, docet tamen, aliquo tempore eiusdem augmenti, naturam solum disponere alimentum, & post ea illud conuertere. Ita etiam videtur sentire Aristoteles 8.libro Physicor.text.33. vbi docet ita fieri diminutionem viuentis, vt non necesse sit quolibet tempore aliquam partem substantiæ amittere, sicut non est necesse quolibet tempore aliquam partem lapidis extrahere guttas aquæ cadentes; sed constat eodem modo fieri diminutionem, augmentationem,& nutritionem:ergo de omnibus sentit Aristoteles,aliquibus temporibus interrumpi.

Probatur etiam ratione, quia ad conuersionem duo requi- 49
runtur, nempe calorem naturalem esse bene dispositum ad agendum circa alimentum, atque etiam alimentum aptum ad conuersionem ei approximatum; sed vtrumque potest deficere naturaliter: ergo naturaliter potest nutritio interrumpi pro aliquo tempore. Probatur minor; quia calor naturalis non minus subditur morbis, quàm cætera membra, & partes corporis: ergo sicut membrum quodcumque potest tali morbo affici, vt motus eius omnino impediatur, ita calor naturalis potest morbo aliquo debilitari, vel alio modo impediri à sua operatione; ita vt per aliquod tempus agere non possit, vel adeo remisse, atque imperfectè, vt non possit alimentum perfectè disponere,neque illud conuertere. Nec minus est certum contingere posse, quòd calor naturalis per magnam ciborum assumptorum congeriem impediatur, & penè obruatur, & per aliquod tempus non possit dare operam conuersioni, nec dispositioni alimenti,& in vtroque casu cessabit prorsus nutritio. Ex parte etiam eiusdem alimenti potest impediri conuersio,si ineptum sit ad conuersionem, vel certè difficile possit disponi,& conuerti;nam tunc necesse est pro aliquo tempore cessare conuersionem. Aliquando etiam potest cibus omnino deficere,vel non posse vllo modo sumi ab infirmo, & etiam tunc cessabit nutritio ob defectum alimenti.

Secundò probatur, quia licet calor naturalis continua ope- 50
ratione, & numquam interrupta ageret circa alimentum, non est tamen naturaliter possibile, alimenta omnia, neque partes omnes eiusdem alimenti adeò vniformes esse, vt æquali tempore disponantur;sed quædam citius, aliæ tardius disponuntur; etiamsi omnes æqualem habeant approximationem succesiuam, ita vt vna sit post aliã eodẽ modo approximata:ergo non

ſequitur ſtatim poſt conuerſionem vnius partis magis accommodatæ ad conuerſionem conuerti alteram, ei proximam minus aptam, ſed neceſſe erit per aliquod tempus expectare, vt completa ſit diſpoſitio eius, & pro hoc medio tempore ceſſabunt conuerſio,& nutritio,vt Ariſtoteles,& D.Thomas docent.

Ad argumentum negandum eſt antecedens,quòd numquam deficiat alimentum. Et cum dicitur, ſanguinem eſſe vltimum alimentum, diſtinguendum eſt; quia non quicumque ſanguis eſt conueniens alimentum, ſed ille, qui ex cibo aſſumpto præparatur, præter quem datur alius, qui pro conſiſtentia, & conſeruatione humorum,& ſpirituum vitalium, ac totius corporis in venis,& arteriis, atque etiam in poris reſidet, & iſte non eſt conueniens alimentum corporis, nec conuerſioni, aut nutritioni deſeruit. Quod ex eo probari poteſt à poſteriori, quia dū per multum tempus viuens non aſſumit cibum, conſumuntur actione caloris naturalis partes propriæ corporis viuentis remanente adhuc ſanguine in arteriis, venis, & poris, quia experientia conſtat poſſe adhuc ab eo extrahi per venas: ergo ſignum eſt calorem naturalem circa hunc ſanguinem non agere. Nam ſi circa illum ageret, facilius,atque etiam prius illum prorſus conſumeret, quàm carnem. Ex quibus ſequitur non ſemper fieri conuerſionem, nec ſemper adeſſe alimentum, licet ſemper adſit ſanguis.

QVÆSTIO V.

An materia alimenti prius vniatur materiæ corporis viuentis, quàm fiat conuerſio, vel nutritio; aut ſimul ac fit, vniatur?

51 QVæſtio hæc à ſolis iunioribus tractatur, & prima opinio eorum tenet materiam ſanguinis prius vniri materiæ corporis viuentis, quàm fiat conuerſio eius in ſubſtantiam aliti, non quidem prius duratione temporis,ſed in inſtanti, ita vt in inſtanti initiatiuo conuerſionis,vel nutritionis,quod eſt vltimum non eſſe eiuſdem nutritionis,fiat vnio, vel continuatio vnius materiæ cum altera. Probant hoc argumento. Vnio materiæ alimenti eſt quaſi approximatio eius, vt poſſit virtus naturalis eiuſdem agentis educere formam de potentia eius, vel propriam extendere ad eam informandam; ſed approximatio agentis ad paſſum debet præſupponi actioni eius: ergo prius debet continuari materia ſanguinis cum corpore viuenti,quam recipiat

recipiat formam:continuatio autem fit medio quodam indiuisibili producto:ergo debet fieri in instanti. Probatur cõsequentia; quia productio indiuisibilis non habentis partes simul debet fieri,& proinde in instanti.Conuersio denique,aut nutritio incipit tempore sequẽti:quare necesse est,quòd in instanti præcedenti idem tempus,quod est vltimum nõ esse eiusdẽ conuersionis, fiat continuatio materiæ. Secundo potest probari, quia non potest naturaliter vna forma informare duas materias diuersas,aut discontinuas,sed eo ipso,quòd manus, vel brachium separatur ab homine,desinit informari ab anima:ergo non potest materia sanguinis informari ab anima , vt fiat conuersio eiusdem sanguinis in substantiam aliti , nisi prius continuetur cum materia corporis viuentis; continuatio vero simul fit, vt probauimus: ergo in aliquo instanti præcedente tempus conuersionis fieri debet.

Secunda opinio asserit non prius duratione temporis,nec in 52
stantis fieri continuationem materiæ sanguinis cũ corpore viuente,sed simul duratione,prius tamen natura.Itaq; eodẽ prorsus tẽpore,quo fit conuersio, vel nutritio incipiẽs per vltimum sui nõ esse,fit etiã cõtinuatio materiæ,& eodẽ modo incipit,sed prius natura,quia vnio,vel approximatio agentis ad passũ ordine naturæ præsupponitur actioni eius,tãquã causa sine qua nõ.

Sed hæc sententia duabus viis defenditur à diuersis; quidam enim ideo reputãt impossibile,quod prius tempore,vel instanti fiat continuatio materiæ sanguinis cum corpore viuente quia cum sanguis non informetur anima, vel certe non informetur secundum gradum specificum, sed specie distinguatur à corpore viuente , non potest continuari cum materia eiusdem corporis viuentis,priusquam informetur eadem anima,& fiat eiusdem speciei, quia ea, quæ distinguntur specie , continuari non possunt,non solum secundũ formas specie differentes,sed etiam secundum materias , ita vt eadem numero materia secundum diuersas partes informetur diuersis formis secundum speciem. Ita Sotus 5.lib.Phys.q.3.ad 8. Fonseca 5.Metaph.c.4.q.3. & alij ex iunioribus. Probant testimonio Arist.5.lib.Phys.text.39.vbi docet expresse,quod ea, quæ differunt specie,non possunt continuari.Probant deinde ratione,quia si cõtinuatur sanguis cum corpore viuẽte,priusquam informetur anima:ergo datur vnum indiuisibile commune vtriq; materiæ,nam continua sunt,quorum vltima sunt vnũ, sed hoc repugnat:ergo repugnabit etiam talis continuatio.Probatur minor quia indiuisibile illud materiæ,quo continuantur, aliqua forma debet informari, ne detur materia,etiã indiuisibilis sine vlla forma:sed nõ est maior ratio

ob quam informetur anima, quam forma ſanguinis: ergo à neutra, vel ab vtraque ſimul informatur, & vtrumque patet eſſe impoſſibile; quare impoſſibilis quoque erit talis continuatio.

53 Alij vero ex iunioribus falſum reputant hunc modum defendendi hanc ſententiam, quia exiſtimant non repugnare naturaliter, quod continuentur ea, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, niſi in quantum diuerſæ ſpeciei ſunt; & cum diuerſitatem ſpecificam non efficiant materia, neque quantitas, ſed formæ ſubſtantiales, aſſerunt continuari poſſe ſecundum materiam, & quantitatem, licet non poſſint continuari ſecundum formas ſubſtantiales, quæ cum ſint diuerſæ ſpeciei, repugnat vltima earum eſſe vnum; vnde cum ſanguis non diſtinguatur ſpecie à corpore viuente ratione materiæ, vel quantitatis, ſed ſolum ratione formæ ſubſtantialis, dicunt non repugnare, quòd per materiam, & quantitatem continuentur; & ideo ex hac parte poſſe fieri continuationem prius tempore; vel inſtanti, quàm fiat conuerſio, vt affirmat prima opinio. Ita ſentiunt de continuatione eorum, quæ diſtinguuntur ſpecie. Albertus Saxoniæ 5. lib. Phyſ. quæſt. 5. ad 2. Valleſius controuerſia 31. ad Tyrones, Toletus 5. Phyſ. quæſt. 3. ad 3. & cum his nonnulli ex recentioribus, quibus videtur fauere D. Tho. 3. p. quæſt. 77. art. 8. ad 2. vbi docet, quòd ſi vino conſecrato admiſceatur alius liquor diuerſus, poterit nihilominus ex vtroque fieri vna dimenſio ſecundum continuationem quantitatis, licet non fiat vna, ſecundum modum eſſendi, quia vna pars illius dimenſionis erit ſine ſubiecto, alia vero erit in ſubiecto. Et addit: *Quod ſi aliquod corpus fiat ex duobus metallis erit, vnum corpus ſecundum rationem quantitatis, non tamen vnum ſecundum ſpeciem naturæ.* Quibus verbis concedit ea, quæ differunt ſpecie poſſe continuari ſaltem ſecundum quantitatem.

54 Sed probant primo experientia, quia non eſt intelligibile, quòd pars ſicca eiuſdem rami ſit diſcontinuata à parte viridi, quia ſi diſcontinuata eſſet, eadem ratione eſſet diuiſa, ac ſeparata ab ea, atque adeo diſtincta numero; ſed eſt eadem numero: ergo continua. Euidens eſt conſequentia, quia vnum continuum, & vnum numero idem ſunt. Sed probatur minor, quia mouentur eodem numero motu, vt patet; ergo ſunt idem numero ſaltem ſecundum quantitatem per continuationem. Experientia etiam conſtat pedes hominis, & quaſdam alias partes eius extremas prius tempore vita deſtitui; & tamen nemo dicit tunc eſſe ſeparatas à corpore, ſed vere continuari cum aliis partibus: ergo non repugnat continuari ſecundum quantitatem ea, quæ ſpecie differunt. Sed quòd non repugnet

continuari

materiæ ſine vlla forma. Illud autem indiuiſibile formæ neceſſariò producendum eſt terminatiuum formæ viuentis,à qua potius, quàm à forma alimenti informatur, vt ſtatim dicemus.

56 Secundò dicunt, continuationem hanc materiæ ſanguinis cum materia viuentis prius tantum natura factam, ſemel tantum fieri, nempe dum viuens incipit nutriri poſt primam generationem, & per continuationem tunc factam permanere totum ſanguinem continuatum cum corpore viuente ſecundum materiam,& quantitatem, quamuis diſcontinuatum ſecundum formam. Itaque non eſt neceſſarium,quod ſemper ac fit nutritio,& conuerſio alicuius partis proportionalis alimenti,vel ſanguinis in ſubſtantiam viuentis, fiat noua continuatio illius partis alimenti,vel ſanguinis, quæ conuertitur cum ſubſtantia viuentis, ſed per illam continuationem in principio nutritionis factam iam totum ſanguinem,& omnes eius partes permanere continuas.Probant primò,quia ſi quælibet pars ſanguinis,quæ conuertitur, non erat continuata cum corpore viuente,ſed de nouo continuatur:ergo diſcontinuata erat ab eo; quare non poteſt de nouo continuari cum eodem viuente, niſi ſimul diſcontinuetur à reliquis partibus eiuſdem ſanguinis:ſed partes proportionales ſanguinis,quæ conuertuntur per quamlibet partem nutritionis ſunt actu infinitæ: ergo debent fieri infinitæ continuationes,& diſcontinuationes in qualibet nutritione;quòd videtur incredibile,& non neceſſarium, & ideo nullo modo admittendum, cum ſufficiat prima continuatio abſque vlla diſcontinuatione.Secundò, quia ſi tales diſcontinuationes partium admittantur, ſequitur continuum diuidi in omnem partem,quod repugnat. Probatur conſequentia, quia per quamlibet partem nutritionis conuertitur aliqua pars ſanguinis: ergo conuertuntur omnes partes proportionales eius actu infinitæ,& quælibet diſcontinuatur ab alia per conuerſionem; ergo quælibet diuiditur,ac ſeparatur realiter ab alijs, & dantur ſeparationes actu infinitæ:ergo ſequitur, ſanguinem in infinitum eſſe diuiſum,atque adeò in omnem partem.

57 Noſtra ſententia valdè diuerſa eſt ab his,& explicatur tribus aſſertionibus.Prima eſt,ſanguis non eſt continuus cum carne, & alijs partibus corporis viuentis,ſed quamdiu manet ſub forma ſanguinis diſcontinuus eſt ab eis,etiã ſecundum materiam, & quantitatem.Hęc eſt contra vltimam ſententiam iuniorum, & quæ non eſt probanda à nobis ex communi repugnantia continuationis ſecundum quantitatem rerum diuerſæ ſpeciei, vt probarunt Sotus, & Fonſeca, quia valde probabile eſt vniuerſaliter

uerſaliter loquendo id non repugnare,ſed ex repagnantia ſpeciali continuationis ſanguinis cum partibus viuentis, vt cum carne,oſſibus, & alijs,de qua forma noſtra aſſertio expreſſa eſt apud Ariſtotelem 2.lib. de partibus animaliũ capit.3. ad finem his verbis: *Non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus eſt, ſed in corde,ac venis, quaſi vaſis continetur.* Quibus non docet eſſe diſcontinuum propter diuerſitatem formæ ſpecificæ, ſed propter modum eſſendi corporis liquidi contenti in ſolido tamquam aqua in vaſe, cui repugnat continuatio ſecundum materiam, & quantitatem, quia talis continentia extrinſeca vnius corporis in altero dicit diſcretionem, ac ſeparationem vnius corporis ab altero,ſicut continentia loci, & locati, quibus repugnat continuatio ſecũdum materiam, & quantitatem. Sed probatur duplici ratione. Prima colligitur ex his,quæ docet idem Ariſtoteles de ſanguine,non ſolum verbis relatis, ſed 2.lib.de hiſtoria animalium capit.19.vbi ſic loquitur. *Palpitat intra venas ſanguis omnium animalium, pulſuque ſimul vndique mouetur, ſolumque omnium humorum ſparſus per totum corpus animalium eſt. Et ſemper quandiu vita ſeruatur, ſanguis animatur, & feruet.* Duo itaque aſſerit de ſanguine Ariſtoteles his locis;primum in corde,atque in venis contineri,ſicut aqua aut vinum in vaſis:ſecundum,moueri ſemper in venis, & poris, & quaſi in eiſdem feruere. Ex quibus ita arguo; vinum, & aqua non continuantur cum partibus vaſis, ſed diſcontinua ſunt ab eis etiam ſecundum materiam,& quantitatem;& ideo immotis partibus vaſis mouetur aqua feruens in eo, ſed eodem modo continetur ſanguis in venis: & eodem modo mouetur in eis: ergo non poteſt continuari cum eis etiam ſecundũ materiam, & quantitatem;& conſequenter neque cum carne, & alijs partibus,per quas venæ ducuntur.

Secundo probatur:quia naturaliter repugnat corpus ſolidũ, & liquidum continuari,cum hoc moueatur motu fluxus,atque refluxus quieſcente omnino corpore ſolido, & hac de cauſa naturaliter eſt impoſſibile continuari aquam cum terra,& non ſolum propter differentiam ſpecificam: ſed ſanguis eſt corpus liquidum, vt probat euidens experientia:caro verò, & cæteræ partes viuentis ſunt ſolidæ:ergo non poteſt ſanguis naturaliter continuari cum eis etiam ſecũdum materiam, & quantitatem. Et ſi dicatur non continuari in venis, ſed in ſuo principio, vbi generatur,contra hoc ſic arguo. Principium, & quaſi fons totius ſanguinis,vbi generatur, & à quo deriuatur per totũ corpus,eſt cor,vt docet expreſſe Ariſtoteles locis citatis, in corde vero aſſerit eſſe tamquam aqua in vaſe:ergo neque in eo poteſt 58

conti

continuari. Et ex hoc primo colligitur euidenter, quod quælibet pars ſanguinis,quæ conuertitur in ſubſtantiam aliti, diſcontinuatur à reliquo ſanguine.Probatur hac ratione. Sanguis non eſt continuus cum corpore viuente, vel partibus eius, ſed quælibet pars ſanguinis per conuerſionem fit pars viuens:ergo non poteſt permanere continua cum reliquo ſanguine, ſed neceſſariò diſcontinuatur,quotieſcumque conuertitur.

Secunda aſſertio,continuatio ſanguinis cum corpore viuẽte non fit prius tempore,aut inſtanti, quàm conuertatur in ſubſtantiam aliti. Hæc etiam ſequitur ex prima. Probatur hac ratione, quia ſi prius tempore,vel inſtanti,quàm ſanguis conuertatur, continuaretur cum corpore viuente;cum adhuc permaneat tempore illo,vel in eo inſtanti ſub forma, atque ſpecie ſanguinis,ſequeretur ſanguinem eſſe continuum cum eodem corpore viuente, quod probatum eſt impoſſibile per primam concluſionem. Secundò probatur,quia tempore,vel inſtanti præcedente conuerſionem ſanguinis in ſubſtantiam, nihil agitur circa illud, niſi virtute caloris naturalis,ſed calor naturalis non agit tunc,niſi alterando paſſum, ac diſponendo pro ſuſcipienda anima;alteratio vero nec eſt continuatio eius cum corpore,nec petit continuationem,ſed vt alteretur, ſufficit eſſe contiguum,vt patet in cæteris corporibus alterantibus, & alteratis:ergo non continuatur prius tempore, vel inſtanti, quàm conuertatur.

59 Tertia aſſertio,continuatio ſanguinis ſecundum materiam cum corpore viuente fit per conuerſionem eius in ſubſtantiam aliti, quæ non eſt alia actio, vel mutatio à nutritione ipſa, ſed eadem;& ideo nec prius tempore, nec prius natura continuatur hoc modo(continuatio vero ſecundum quantitatem fit per motum augmentationis, per quem producitur quantitas maior,vel per motum ad quantitatem, licet non ſit augmentatio) quàm conuertatur,ſed ſimul. Probo primum ex prima, & ſecunda concluſione, quia quamdiu ſanguis manet ſub forma, & ſpecie ſanguinis, non poteſt continuari cum corpore viuente;nam ſub forma ſanguinis permanens eſt corpus liquidum, quod non poteſt continuari cum ſolido,ſed eſt intra ipſum,ſicut aqua in vaſe; continuatur vero eo ipſo,quòd fit ſolidum, ſed fit corpus ſolidum per conuerſionem in ſubſtantiam aliti, nempe caro,neruus,vel os,& non per aliam actionem diſtinctam, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo per eamdem conuerſionem continuatur,quare non prius tempore, nec natura,ſed ſimul. Secundo, quia ſi per aliam actionem diſtinctam à conuerſione, & ea priorem fieret continuatio ſubſtantialis,

tialis ſanguinis, propterea eſſet, quia neceſſe eſt prius continuari, quam informari anima, alioqui informaretur diſcontinuus, vel diuiſus à reliquis partibus viuentis, quòd eſt impoſſibile; ſed talis prioritas continuationis non eſt neceſſaria, vt informetur, ſed poteſt ſimul ac informatur, continuari: ergo per eamdem conuerſionem, per quam informatur anima, continuari poteſt. Probatur minor, quia potentia nutritiua, & calor naturalis, qui eſt quaſi inſtrumentum eius, habent virtutem ab anima conuertendi alimentum in ſubſtantiam aliti; ſed hæc virtus ſimul eſt conuerſiua: & vnitiua eiuſdem ſubſtantiæ factæ per conuerſionem cum cæteris partibus viuentis: ergo ſimul ac alimentum conuertunt in ſubſtantiam, vniunt illud cum cæteris partibus viuentis. Probatur minor, quia illud conuertunt, vt efficiãt idem cum viuente, quod nutritur, ſed per conuerſionem vnitiuam efficiunt illud idem cum viuente, quia efficiunt illud viuens continuatum, & per continuationem eſt idem numero: ergo per eamdem actionem realem conuerſiuam continuatur. Nec ſequitur animam informare materiam diſcontinuam, vel diuiſam, ſed continuam, non ita, vt præſupponatur continuatio informationi, ſed vt ſimul cum ea fiat: ita vt ſimul ſit verum, materiam alimenti informari ab anima, & vniri corpori viuenti ab eadem informato.

Probatur tandem, quia non ſunt multiplicandæ actiones reales ſine vrgenti cauſa: ſed non datur cauſa vrgens multiplicandi aliam actionem præcedentem, per quam continuetur materia alimenti cum corpore viuente, ſed per eamdem actionem, per quam conuertitur, poteſt continuari, vt probauimus: ergo non debet poni alia actio pro continuatione alimenti cùm corpore viuente diſtincta à conuerſione, ſed per eamdem conuerſionem conuertitur ſimul, & continuatur: & ſimul tempore, atque natura conuertitur, & continuatur, & non prius. Probatur conſequentia, quia eadem actio realis non poteſt eſſe prior natura ſe ipſa: ergo continuatio non eſt prior natura conuerſione, ſed ſimul ſit cum ea. 60

Ad primum argumentum primæ opinionis neganda eſt maior, quòd continuatio materiæ alimenti cum corpore viuẽte ſit approximatio paſſi ad agẽs, ſed vt ſufficienter ſit approximatum, ſatis eſt eſſe contiguum, quod habet ſanguis in venis, & poris exiſtens, in quibus ſuſcipere poteſt actionem caloris naturalis, per quam diſponitur ad conuerſionem, & ſimul atque conuertitur in ſubſtantiam, vnitur, vel continuatur cum corpore viuente, quia virtus caloris naturalis ſimul eſt conuerſiua, & vnitiua, & ideo per eamdem actionem, per quam conuertit

conuertit alimentum in ſubſtantiam aliti, vnit illud, vel continuat cũm reliquis partibus corporis viuentis.

Ad ſecundum conceſſo antecedente, quod non poteſt anima informare partes materiæ ſeparatas, neganda eſt conſequentia, quòd prius tempore, vel natura debeat continuari materia ſanguinis cum corpore viuente, ſed ſatis eſt, quod ſimul ac informatur anima, & conuertitur in ſubſtantiam aliti, continuetur; nam eadem actio diuerſo modo conſiderata ſimul eſt conuerſiua, & vnitiua, vel continuatiua, ita vt in quantum per eam extenditur anima ad informandam materiam ſanguinis, vel ſi anima ſit diuiſibilis, educitur noua pars eius de potentia eiuſdem materiæ, atque informat illam; dicitur conuerſio, & in quantum per eamdem vnitur, vel continuatur pars ſubſtantiæ reſultans ex informatione cum cæteris partibus viuentis dicitur continuatio: & tandem in quantum per eam acquirit corpus viuens nouam partem ſubſtantiæ, dicitur nutritio, quare non eſt neceſſaria alia actio à conuerſione diſtincta, vt continuetur ſanguis cum corpore, & ideo non prius duratione, nec natura continuatur quàm conuertatur, ſed ſimul.

Primum argumentum ſecundæ opinionis probat quidem fieri infinitas diſcontinuationes, atque etiam infinitas continuationes partium proportionalium ſanguinis cõuerſi in ſubſtantiam aliti, ſed hoc non eſt inconueniens, quia fiũt per mutationem quamdam continuam, & ſucceſſiuam habentem quoque infinitas partes proportionales, nempe per nutritionem, quæ eſt conuerſio ſanguinis habens adiunctam corruptionem eius, quod ſuo modo contingit in omni motu ſucceſſiuo; vt in calefactione, quæ ſicut habet infinitas partes proportionales, ita dici poteſt, quòd ſint in ea infinitæ productiones caloris proportionales, atque etiam infinitæ corruptiones proportionales frigoris; atque etiam infinitæ partes caloris productæ, & infinitæ partes frigoris corruptæ.

62 Ad ſecundum diſtinguendum eſt conſequens, quòd continuum, nempe ſanguis, qui ſucceſſiuè conuertitur, ſit diuiſum in omnem partem, quia diuidi in omnem partem dupliciter ſumi poteſt. Primò ita, vt omnes partes proportionales continui ſeparentur ab eo, atque etiam inter ſeſe, & hoc eſt impoſſibile, quia iam eſſent indiuiſibiles, & ideo non eſſent partes continui. Secundo modo ita, vt ab eo quidem ſeparentur, & per ſeparationem corrumpatur ipſum alimentum, ſed partes ipſæ non ſeparentur inter ſeſe, ſed eodem motu continuo, quo ſeparantur ab illo, vniantur, vel continuentur inter ſe, atque efficiant aliud continuum: ex quo nullum ſequitur inconueniens, immo per motum,

per motum, vel mutationem finitam, sed habentem partes proportionales infinitas, suo modo fit semper: nec talis separatio fit per solas partes proportionales, sed etiam per partes aliquotas, vel æquales, in quibus proportionales continentur, & ideo tempore finito fit tota separatio, vt bene Aristoteles docuit 6. lib. Phys. respondens cuidam argumento Zenonis, qui putabat impossibilem esse motum per spatium, quòd cum habeat partes proportionales actu infinitas, non poterit pertransiri, nam infinitum impertransibile est. Per nutritionem igitur continuam discontinuantur omnes partes proportionales sanguinis ab aliis; sicut verum est, omnes corrumpi corruptione continua; sed simul vniuntur etiam per eandem nutritionem, per quam conuertuntur in substantiam corporis viuentis, & continuantur cum partibus eius, atque etiam inter sese.

QVÆSTIO VI.

An augmentatio sit per se motus ad quantitatem?

HAnc quæstionem tractant plures ex nouis interpretibus Aristotelis 5. lib. Physic. sed immerito, cum hic sit locus proprius eius; vbi Aristoteles ex professo agit de natura nutritionis, & augmentationis, & ideo plura hic necessariò repetunt ex his, quæ in 5. illo lib. scripserunt. Et hac de causa nos in hunc eam remisimus. 63

Vt autem melius intelligantur opiniones diuersæ, quæ versantur circa illam, notandum est, diuerso modo de augmentatione loqui eos, qui tenent quantitatem cum reliquis accidentibus coporeis subiectari in materia nuda, vel in composito. Nam illi consequenter asserunt per augmentationem non produci quantitatem nouam, sed eam, quam adducit secum materia alimenti vniri, atque continuari cum quantitate viuentis, & per hanc vnionem augeri corpus viuens, quia per illam facit sibi propriam quantitatem alimenti, & ea addita fit maius. Qui verò subiectum quantitatis efficiunt compositum, consequenter asserunt quantitatem alimenti corrumpi eo corrupto, & ideo non posse viuens augeri, nisi noua pars quantitatis producatur simul cum noua parte substantiæ.

Quo supposito, prima opinio tenet, non dari per se motum ad quantitatem, sed adquiri sine noua mutatione corporis viuentis; sicut in prima generatione hominis; in qua producitur quantitas virtute generationis substantialis in eodem instanti,

Digitized by Google

quo res generatur: quemadmodum aliæ propriæ passiones producuntur sine nouis mutationibus in eodem instanti, quo res generatur: vel etiam si per distinctam mutationem acquiratur, non successiuam, sed instantaneam, sicut nutritio ipsa instantanea est, non successiua. Ita Plato in Parmenide, vbi duos tantum motus posuit, sic inquiens: *Quod mouetur, vel fertur, vel alteratur; hi quippe soli sunt motus.* Et in Theeteto idem repetit dicens, duas tantum esse species motus, alterationem, & lationem. Ita etiam Galen. 1. Method. c. 6. vbi ait, dupliciter tantum fieri motum, nempe secundū qualitatem, & locum. Vallesius etiam controuersia. 29. ad Tyrones, & lib. 2. controuersiarum medicarum cap. 17. Ita etiam sentiunt, qui negant nutritionem esse continuam, putantes fieri in solis instantibus temporis per minima; nam cum simul acquirantur substantia partialis per nutritionem, & partialis quantitatis, quæ eam consequitur per augmentationem; si nutritio non est mutatio continua, & successiua, sed instantanea: nec augmentatio erit motus per se successiuus, atque continuus, sed ad summum mutatio instantanea, si à nutritione distincta est. Sic Tolet. 1. lib. de gener. q. 11. qui pro se citat Auerroem & Albertum Magnum.

64 Probatur hæc sententia testimonio Arist. 8. lib. Phys. text. 23. vbi vniuersaliter docet impossibile esse aliquid augere, vel minui continuè: ergo censet non augeri per motum, & ideo augmentationem non esse motum, quia motus apud ipsum de genere continuorum est. Deinde ratione; primò, quia sicut quantitas totalis est propria substantiæ corporeæ, vel materiæ primæ, & eam consequitur naturaliter, ideoque in eodem instanti producitur cum ea virtute generationis substantialis sine alia noua mutatione; ita quantitas partialis sequitur naturaliter substantiam partialem, vel partialem materiam: ergo acquiritur simul cum ea, & non per aliam mutationem, vel motum distinctum; sed quasi per naturalem resultantiam, vel emanationem: & ideo non datur motus per se ad quantitatem.

Secundò, quia prima generatio viuentis est instantanea: ergo aggeneratio eiusdē, quę est productio substantię partialis, & vocatur nutritio, erit mutatio instātanea, & nō motus successiuus. Probatur consequentia, quia eiusdem rationis sunt totalis substantia corporis viuētis, & partialis: ergo debent produci eodem modo: quare si totalis producitur in instanti per primā generationē; partialis debet produci in instāti per nutritionē. Sed iam, quòd partialis produceretur successiuè per nutritionē, non potest nutritio esse per se successiua, & continua, sed per accidens ratione alterationis præcedentis, nā ex eo alimentū non dispo-

nit ut

nitur simul, sed successiuè quia dispositiones eius contrarię sunt his, quas requirit forma viuentis ad sui introductionē in materia; vnū autē contrariū, cum sit virtutis finitæ, non expellit aliud simul, aut in instāti, sed successiuè, & in tēpore propter resistentiā eius. Et hac sola de causa cōuersio alimenti, quæ est nutritio successiuè, fit: ergo hac etiā sola de causa augmētatio fit successiuè, & in tēpore, & nō per se. Probatur consequētia, quia quātitas ex se nō habet contrariū: ergo ex se nō postulat acquiri successiuè, sed in instāti. Et si dicatur, habere ex se extensionē, & distantiam partium, & propterea non posse partes eius simul acquiri, sed vnam post aliam, sicut partes spatij non possunt simul pertransiri à corpore in motu locali, sed necessariò vna post alteram. Contra hoc est, quòd non sufficit extensio partiū sine contrarietate ad successionem, vt patet in illum in ratione; nam aër in quo producitur lumen, partes habet extensas, quæ tamen non sufficiunt, vt illuminatio sit per se successiua, sed potius est per se instantanea, quia lux non habet contrarium; ergo nec sufficiet extensio partium in quantitate, vt per se debeat produci successiuè, cum contrarietate careat, sed augmentatio solum erit successiua, & continua per accidens, sicut illuminatio; & non dicetur motus per se ad quantitatem,

Sed hæc opinio expresse contraria est doctrinæ Aristotelis 66
5. lib. Phys. text. 18. vbi docet, & probat tres esse species motus, nempe alterationem quæ terminatur per se ad qualitatem; latio, quæ terminatur per se ad vbi; & augmentatio, quæ terminatur per se ad maiorem quātitatem. Quod probat hoc argumento, quia hæc est differentia inter mutationem instantaneam, & successiuam, quæ est propriè motus, quod illa versatur inter terminos priuatiuè oppositos, vt generatio substantialis inter priuationem formæ substātialis in materia existentem, & formam ipsam substantialem: motus verò inter terminos positiuos habentes latitudinem cum contrarietate, saltem pro incompossibilitate sumpta, vt patet in motu locali, qui versatur inter hoc, & illud vbi; inter quæ est latitudo cum incompossibilitate, quia naturaliter repugnat simul esse mobile sub vtroque, & necessarium est, vt ad vnum accidens, recedat ab alio, & è conuerso recedens ab vno, accedat ad aliud; sed latitudo hæc cum contrarietate sic sumpta non minus reperitur in quantitate, quàm in qualitate, & vbi; ergo non minus dabitur per se motus successiuus, & continuus ad quantitatem, quàm ad qualitatem, & vbi. Minorem sic probat: sicut inter hanc, & illam præsentiam in spatio datur latitudo, quia præsentia in toto spatio habet suas partes in ordine ad diuersas partes spatij veri,

vel imaginarij : datur etiam contrarietas incompossibilitatis, quia naturaliter est impossibile idem corpus habere vtramque præsentiam ; sed necesse est, vt acquirens vnam discedat ab alia ; pari ratione inter maiorem & minorem quantitatem datur latitudo extensionis partium, vt per se est manifestum, atque etiam contrarietas pro incompossibilitate, quia repugnat simul esse corpus sub vtraque, & necessarium, quòd accedens ad maiorem desinat esse sub minori, non ita, vt corrumpatur quantitas, quæ erat minor adueniente maiori, sed ita vt desinat esse minor ; & repugnet idem corpus esse in se maius, & minus, sicut repugnat esse simul magnum, & paruum : ergo ita est per se motus augmentatio, sicut latio. Et certè in hoc valde probabilior, & magis veræ Philosophiæ consona est sententia Aristotelis, quàm Platonis, & Galeni, quia efficaciter probat argumentum Aristotelis, vel non dari per se motum ad vbi, vt ipsi dari concedunt, vel etiam dari ad quantitatem.

87 Secunda opinio asserit augmentationem esse per se motum ad quantitatem, non ita, vt per eum producatur noua quantitas, sed solum indiuisibile quoddam, nempe linea, vel superficies, per quam vnitur quantitas alimenti permanens in materia post corruptionem eius, & ratione huius vnionis fit propria eiusdem viuentis, & per eam augetur, & fit maius. Itaque secundum hanc opinionem augmentatio est per se motus, non productiuus nouæ quantitatis, sed vnitiuus vnius quantitatis cum altera, non per quem producatur quantitas ; sed per quem acquiratur. Ita sentiunt ferè omnes, qui ponunt nudam materiam esse subiectum quantitatis, & aliorum accidentium sensibilium, quos in quæstione de subiecto accidentium citauimus : nam si in materia subiectatur quantitas, & coæua est ei, numquam ab ea separabitur ; quare dum vnitur materia alimenti cum materia viuentis, etiam vnitur quantitas, eamque acquirit viuens. Quo supposito non potest produci noua in eo, nisi detur penetratio naturaliter impossibilis.

Sed diuerso modo defenditur à diuersis, nam quidam asserunt hanc actionem vnitiuam vnius quantitatis cum alia non esse realiter distinctam à nutritione, sed eandem ; ita tamen, vt per se, & ab intrinseco sit productiua partialis substantiæ, quadam verò ratione extrinseca terminetur ad quantitatem, in quantum ex vi productionis substantiæ partialis, & absque vlla noua actione, vel mutatione quantitas alimenti fit propria viuentis ; itaque non est necessaria noua actio pro quantitate acquirenda, sed ex vi nutritionis, vt nutritio est, sequitur quantitatem alimenti fieri propriam viuentis, & per illam augeri ; quare

quare augmentatio formaliter sumpta non dicit actionem, vel mutationem, sed solum extrinsecam terminationem nutritionem nutritionis ad illam. Vnde inferunt, quod si suspenderet Deus consecutionem quantitatis, nulla actio, vel mutatio deficeret, sed solum extrinseca termnatio nutritionis.

Alij verò ex opposito oppinantur augmentationem esse 68
actionem realiter distinctam à nutritione, & in eò differre ab ea, quòd nutritio per se est actio, & mutatio productiua substantiæ partialis: augmentatio verò actio, vel mutatio vnitiua quantitatis alimenti cum quantitate viuentis: per quam vnionem fit ei propria, & dicitur illud augere. Conueniunt itaque, & differunt duo isti modi, nam vterque negat augmentationem esse actionem, vel mutationem productiuam quantitatis, & solum asserit esse acquisitiuam: sed primus modus negat etiam esse vnitiuam, quia ponit quãtitatem alimenti per aliam actionem priorem, atque distinctam à nutritione, & augmentatione continuari, vel vniri cum quantitate viuentis. Asserit vero augmentationem esse eandem actionem realem cum nutritione, & solum addere supra illam quamdam denominationem extrinsecam, in quantum ex vi eiusdem mutationis, quæ nutritio est, sequitur absque alia actione acquisitio quantitatis. Secundus vero concedit esse vnitiuam, & ideo terminari ad quantitatem in quantum producit indiuisibile quoddam; quod est modus vnionis vtriusque quantitatis: sicut generatio hominis est productio eius, non ex eo quod per eam producatur materia, vel forma; sed solum ex eo quòd producitur modus vnionis, qui est quasi vinculum vtriusque partis. Tertius autem modus negat quidem produci quantitatem, negat etiam produci indiuisibile quantitatis, quod sit punctum, linea, vel superficies: asserit verò produci modum quemdam vnionis diuersum ab his, quia putat prçter hæc indiuisibilia dari in quantitate continua alium modum vnionis, quo pars quælibet proportionalis quantitatis inter quælibet duo proximiora puncta existens in se continuatur. Quæ continuatio magis est intrinseca quantitati, quam continuatio per alia indiuisibilia. Hunc verò modum vnionis diuisibilem esse asserit; & ideo posse successiuè produci, & partes successiue vniri; & ita augmentationem successiuam esse; quàm successionem non potest habere, si solum producatur indiuisibile continuatiuum.

Sed hæc etiam opinio siue vno, vel alio modo defendatur, 69
contraria est doctrinæ eiusdem Aristotelis, & falsa. Et quòd primus modus defendendi illam sit contra Aristotelem probo, quia 5. lib. Phys. loco citato docet expressè ad substantiam non

terminari motum per se,sed mutationem tantum ; ad quantitatem verò terminari per se:ergo sentit augmentationem distingui à mutatione, quæ versatur circa substantiam, & vt sic ab ea distinctum esse motum per se ad quantitatem;sed motus quilibet est vera,& realis mutatio,vera,& realis actio:ergo augmentatio ex mente eius,etiam vt distincta à nutritione realiter, vel formaliter,est actio realis successiua , & non sola denominatio extrinseca. Quod vero sit contra rationem , sic probo : primo, motus,vt definit Aristoteles 3.lib. Phys. in principio est : *Actus mobilis prout mobile est.* Sed augmentatio est motus,vt distincta à nutritione ; ergo vt distincta à nutritione est actus mobilis prout mobile est;sed esse actum mobilis,est esse aliquid intrinsice,& formaliter ei inhærens:ergo repugnat augmentationem, vt à nutritione distinctam, esse solam denominationem extrinsecam.Probatur consequentia,quia denominatio extrinseca alicuius non est actus eius, sed alterius tantum,in quo est formaliter,vt dexteritas non est actus columnæ,sed animalis. Secundo,motus est actus mobilis,vt in potentia passiua,agentis vero, vt actus potentiæ actiuæ ab ea procedens:ergo respicit mobile, vt actus in eo receptus,vt in subiecto;sed actus receptus in aliquo,vt in subiecto,non potest esse denominatio extrinseca, sed aliquid reale intrinsecum : ergo augmentatio , vt distincta à nutritione debet esse actus realis receptus in subiecto , & non sola denominatio extrinseca , & dicit mutationem , & actionem distinctam , quæ sit motus per se distinctus à nutritione, quæ versatur circa substantiam.

Probatur deinde falsitas eiusdem modi duplici argumento ad hominem , ex duobus , quæ asserunt de nutritione desumpto. Primum , quòd non semper , nec necessariò sit successiua, sed aliquando (etiam naturaliter) possit fieri in instanti : ergo idem tenentur concedere de augmentatione. Euidens est consequentia , quia euidens est nutritionem , & augmentationem simul,& in eadem duratione fieri, sed ex hoc sequitur,augmentationem non esse motum per se : ergo non possunt defendere isti , quod sit per se motus ad quantitatem. Probatur consequentia , quia motus per se , & propriè sumptus , vt distinguitur à mutatione instantanea , diuiditurque in tres illas species alterationem , lationem , & augmentationem , est per se successiuus ;sed augmentatio iuxta hanc sententiam non est per se successiua:ergo non est motus per se.Probatur minor,quia quod alicui conuenit per se, semper debet ei conuenire, & numquam oppositum ; sed augmentationi non semper conuenit esse successiuam , sed aliquando potest fieri in instanti , sicut nutritio,

cum qua

cum qua identificatur: ergo non est successiua per se, nec motus per se. Secundum, quod asserunt, est prius saltem natura 70
vniri quantitatem alimenti cum quantitate viuentis, quam conuertatur in substantiam aliti: ex quo ita arguo. Impossibile est aliquid esse terminum per se alicuius mutationis, vel motus, nisi per illam producatur secundum substantiam, vel saltem secundum vnionem partium. Nam si neutro modo per eam producitur, non attingetur realiter ab ea, nec proinde eam terminabit realiter: sed apud hos authores neutro modo attingitur quantitas ab augmentatione, immo nec à nutritione: ergo nec potest eam realiter terminare. Probatur minor; nam imprimis non attingit quantitatem producendo illam secundum entitatem suam, quia cum teneant quantitatem alimenti subiectari in nuda materia, consequenter asserunt permanere eamdem in viuente, & per eam augeri absque productione nouæ quantitatis: sed nec producitur vnio quantitatis eiusdem alimenti cum quantitate viuentis: nam secundo asserunt prius saltem natura vniri eamdem quantitatem alimenti cum quantitate viuentis, quàm fiat conuersio eius in substantiam aliti, vt vidimus quæstione præcedenti: ergo prius natura, quàm fiat nutritio, & consequenter prius, quàm fiat augmentatio; ex quo sequitur euidenter, quod per nutritionem, & augmentationem non producetur vnio vtriusque quantitatis, & ideo neque vllo modo attingetur quantitas, nec poterit esse terminus nutritionis, nec augmentationis.

Secundus modus dicendi, quod augmentatio est per se motus ad quantitatem, non quia per eam producatur, sed quia producitur indiuisibile quoddam, nempe linea, & superficies: quibus mediis vnitur quantitas alimenti quantitati viuentis, imprimis est sibi contrarius, nam qui eum defendunt asserunt quantitatem esse in materia nuda tamquam in proprio subiecto, & esse ei coæuam, & proinde ingenerabilem, & incorruptibilem sicut materiam ipsam, & ex alia parte dicit corrumpi superficiem, & de nouo generari, de quibus euidens est, esse veras species quantitatis, cum sint diuisibiles in partes longitudinis, & latitudinis: ergo falsum est primum, quod quantitas sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

Probatur deinde esse contra Aristotelem, & falsum, quia ex 71
eo sequitur augmentationem non esse motum per se ad quantitatem, vt docet expressè Aristoteles, & ipsi concedunt. Probo consequentiam, quia de ratione motus propriè sumpti duo sunt, nempe continuum esse, atque successiuum, sed neutrum potest habere augmentatio secundū hāc sententiā: ergo nec esse

motum per se ad quantitatem. Probatur minor, quia vt supra adduximus ex Aristotele, & omnibus, nihil potest terminare motum per se, nisi habeat latitudinem cum contrarietate incompossibilitatis; sed indiuisibile quantitatis per se sumptum nullam habet latitudinem: ergo non potest per se produci successiuè, nec per se terminare motum. Probatur minor, quia latitudo aut est extensionis, aut intensionis, sed neutra habet, quia nec habet partes extensionis, cum non sit quantitas, nec intensionis, cum non sit qualitas: ergo nullam habet latitudinem secundum se, vt per se possit produci successiuè. Quod vero non possit produci continuè, non minus est euidens, quia indiuisibilia quantitatis secundum se, nec sunt, nec esse possunt continua; immo nec immediata in eodem corpore, sed inter quælibet duo mediat pars: ergo nec secundum se possunt produci motu continuo; quare non erit motus per se augmentatio, si solum producitur per eam indiuisibile quantitatis. Sed respondent lineam, & superficiem non esse purè indiuisibiles, quia licet secundum latitudinem indiuisibilis sit linea; & superficies secundum profunditatem, vtraque tamen est diuisibilis secundum proprias partes extensionis; linea quidem secundum partes longitudinis; & superficies secundum partes latitudinis, & ideo possunt acquiri successiuè, & continuè. Contra hoc tamen sic arguo. Ideo augmentatio est motus per se ad quantitatem, quia licet eam non producat, producit tamen superficiem, quæ est modus vnionis, quo vnitur, atque continuatur quantitas alimenti cum quantitate viuentis, sed superficies non est modus vnionis duorum corporum, nec ea continuat in quantum est diuisibilis secundum longitudinem, sed præcisè, & formaliter in quantum est indiuisibilis, secundum profunditatem, vt per se est manifestum: ergo nec terminat motum augmentationis, nisi in quantum indiuisibilis; nam quòd partes habeat longitudinis, & latitudinis per accidens est ad vniendum, vel continuandum corpora. Vnde sequitur non posse terminare per se motum successiuum, & continuum. Probatur consequentia, quia latitudo, & continuitas motui propriæ repugnant superficiei, vt indiuisibili; ergo repugnat ei terminare per se motum augmentationis.

72 Tertius verò modus ponens præter indiuisibilia quantitatis continuæ, quæ sunt lineæ, superficies, & corpus, alios modos vnionis diuisibiles, quibus continuentur partes. Imprimis numquam fuit auditus in scholis, neque Aristoteles, vel alius Philosophus posuit aliud continuatiuum partium lineæ præter puncta; vel partium superficiei præter lineas; vel

partium

partium corporis præter ſuperficies:ergo ſine fundamento additur alter modus vnionis;& hoc ſufficeret,vt reiiceretur. Sed probo eumdem eſſe falſum. Primò, quia ſiue ſumantur partes corporis, vel alterius quantitatis aliquotæ, ſiue proportionales,non poſſumus deſignare duo aliqua puncta ſibi proximiora inter quæ contineatur talis modus vnionis : ſed neceſſe eſt infinita alia inter illa eſſe, quibus continuantur infinitæ partes proportionales; ergo non eſt intelligibilis talis modus vnionis, quem ponit modus iſte in parte contenta inter quælibet duo puncta ſibi proximiora. Secundò, modus iſte vnionis ponitur diuiſibilis : ergo non poteſt eſſe immediatum continuatiuum partium quantitatis. Probatur conſequentia, quia ſi diuiſibilis eſt;ergo habet infinitas partes proportionales medias inter quaſcumque partes quantitatis, quas continuare debet. Vnde ſequitur non poſſe per talem modum immediatè vniri, vel continuari. Et tandem, quia ſi diuiſibilis eſt, habebit infinitos alios modos vnionis, quibus continentur infinitæ partes eius. De quibus inquiro, an diuiſibiles ſint, vel indiuiſibiles? Et ſi diuiſibiles, dabitur proceſſus in infinitum, quia partes eius habebũt alios modos diuiſibiles,quibus vniantur, & ſic in infinitum : ſi verò ſint indiuiſibiles, & ſufficienter continuant partes, ſequitur indiuiſibilia quantitatis, vt puncta, ſufficienter continuare, nec eſſe neceſſarium alios modos vnionis multiplicare ad continuandas partes; & certè non eſt excogitabilis alius modus continuationis partium quantitatis magis intrinſecus præter eum,quem habent per puncta,lineas, & ſuperficies; cum neceſſe ſit, quemcumqne alium modum vnionis eſſe diſtinctum realiter à partibus,quas vnit,vel continuat, & eſſe extra rationem earum, ſicut ſunt puncta, lineæ, & ſuperficies:ergo fruſtra,& ſine fundamento ponitur quicumque alius modus vnionis.

His omnibus opinionibus refutatis noſtra ſententia eſt,aug- 73
mentationem eſſe per ſe motum ad maiorem quantitatem de nouo producendam. Quam tenet expreſsè Ariſtoteles 5. lib. Phyſic. cap.2. text.18. D.Thomas ibidem lectione 4.& omnes eius interpretes,qui aſſerunt,quantitatem,& reliqua accidentia corporea eſſe in compoſito tamquam in ſubiecto ; & nutritionem eſſe mutationem ſucceſſiuam, & continuam. Ex his enim duobus principiis euidenter ſequitur, quod per augmentationem producatur motu ſucceſſiuo maior quãtitas; quia euidens eſt in quantitate reperiri latitudinem cõtrarietatis requiſitam, & ſufficientem ad motum per ſe terminandum,vt probauimus refutantes primam opinionem. Et eamdem ſequuntur omnes

illi authores, qui tenent quantitatem ſubiectari in materia, vt informata forma ſubſtantiali: nam iſti etiam negant quantitatem,quæ erat in alimento permanere eo corrupto,& conuerſo in ſubſtantiam aliti, & ideo neceſſarium eſſe putant ſimul cum ſubſtantia partiali producta per nutritionem produci partialem quantitatem, per quam viuens augeatur. Probatur hæc ſententia ex refutatione aliarum;quia ſuppoſito, quòd ſint tres ſpecies motus, vt docet expreſsè Ariſtoteles vbi ſupra, & cum eo omnes ferè eius interpretes, & probauimus contra primam opinionem;& refutatis cæteris omnibus modis defendẽdi opinionem ſecundam, qui contendunt poſſe dari per ſe motum ad quantitatem,etiam ſi per ipſum non producatur,nõ reſtat alius modus probabilis, quo defendi poſſit augmentationem eſſe motum per ſe ad quantitatem,niſi producendo illam.

74 Ad teſtimonium Ariſtotelis pro prima opinione adductum reſpondeo, augmentationem eſſe continuam, duobus modis intelligi poſſe;primò, ita vt numquam interrumpatur,ſed perpetuam durationem habeat: alio modo,ita vt ſaltem pro tempore,quo durat,continuè fiat, & non per morulas diſcretas, vel inſtantia.Et in primo ſenſu negat Ariſtoteles eo loco augmentationem eſſe continuam,ſicut alterationẽ, & motum localem rectum:contendens probare, quòd ſolus motus circularis continuus ſit in hoc ſenſu,hoc eſt,perpetuus, & nunquam interruptus. De ſecundo verò modo continuationis non agit ibi, & ideo nec illum denegat augmentationi,vel aliis motibus.

Ad primum argumentum concedendum eſt antecedẽs,quòd quantitas conſequatur naturaliter ſubſtantiam corpoream, & partialem ſubſtantiam partialis quantitas;atque etiam quòd in prima generatione quantitas conſequatur ſine noua mutatione.ſed neganda eſt conſequentia, quòd etiam in augmentatione conſequatur partialis ſubſtantia ſine noua mutatione. Et ratio differentiæ eſt,quia in prima generatione non datur ſubiectum præſuppoſitum, quod mutari poſſit de non quanto ad quantum;ſicut non datur ſubiectum, quod mutari poſſit ad riſibilitatem,& alias paſſiones;ſed in eodem inſtanti, quo genita eſt res, conſequuntur quantitas & reliquæ paſſiones. Licet autem non detur noua mutatio ad quantitatem,datur tamen noua actio, quæ eſt quaſi emanatio quædam naturalis; nam cum quantitas ſit entitas realis diſtincta à ſubſtantia,diſtinctam dependentiam habet ab agente, & ideo per diſtinctam actionem producitur;ſed quæ vocatur emanatio, quia virtute generationis conſequitur.In nutritione verò datur ſubiectum præſuppoſitum,quod mutari poſſit,nempe viuens, quòd augetur; & cum

dari

dari debeat diſtincta actio, datur ex conſequenti diſtincta mutatio, quæ vere, & propriè motus eſt, vt vidimus.

Ad ſecundum concedendum eſt etiam antecedens, quòd pri- 75
ma generatio viuentis ſit inſtantanea; & neganda eſt conſequentia, quòd aggeneratio, quæ eſt nutritio, debeat etiam in inſtanti fieri. Et ratio differentiæ eſt, quia licet eiuſdem rationis ſit ſubſtantia partialis cum totali; petit tamen modum productionis diuerſum; nam ſubſtantia in prima ſua generatione poſtulat quantitatē determinatam, quæ vocatur minimum, quod ſic, propter rationes à nobis traditas 1. lib. Phyſ. in nutritione verò nō eſt neceſſaria talis determinata quantitas, ſed ad quamcumque minorem in infinitum extendi poteſt forma, quia dum viuens nutritur, iam præſupponitur habere ſufficientem quantitatem ad proprias operationes exercendas. Vnde ſequitur, quòd cum ſucceſſiuè diſponatur alimentum, & quodlibet minimum poſſit diſponi, & conuerti, prius diſponatur, & conuertatur proximior pars, quā remotior, & prius medietas eius, quam tota; & ſic in infinitum, ideóq; ſucceſſiuè, hoc eſt, pars poſt partem, & non tota ſimul, nec in inſtanti. Et cum ſimul ac producitur ſubſtantia per modum naturalis cōſecutionis producatur quantitas, neceſſe eſt augmentationem quoq; eſſe ſucceſſiuam.

Sed illud, quod additur in eodem argumento, nempe nutri- 76
tionem eſſe ſucceſſiuam, ſolum ratione alterationis præcedentis, per quam ſucceſſiuè diſponitur materia, & ideo non eſſe ſucceſſiuam per ſe, ſed per accidens: & ideo augmentationem ſolum eſſe ſucceſſiuam per accidens, & non eſſe motum per ſe ad quantitatem, maximam habet difficultatem in hac re. Cui reſpondeo concedendo antecedens, quod nutritio ſolum ſit ſucceſſiua per accidens, ſed negando, quod augmentatio quoque ſit ſucceſſiua per accidēs. Et ratio huius eſt, quia quantitas ex propria ſua ratione habet latitudinem contrarietatis requiſitam, & ſufficientem ad terminandum motum: hæc autem latitudo conſiſtit in extenſione partium, ſicut latitudo qualitatis conſiſtit in intenſione graduali: contrarietas verò quantitatis conſiſtit in incompoſſibilitate extremorum ſaltem naturali, quia naturaliter repugnat corpus ſimul eſſe ſub minori, & maiori quantitate, vel ſimul vtramque acquirere: ſed prius debet habere minorem, & prius medietatem eius, quàm totam. Itaque negandum eſt, quod augmentatio ſit ſucceſſiua ratione nutritionis, vel alterationis præcedentis, ſed ſua natura petit ſucceſſionem, quia in ſe, & ex ſe habet latitudinem, & contrarietatem requiſitam, & ſufficientem ad motum, qua caret ſubſtantia, modum potius indiuiſibilem ex ſe habens: quare non poteſt

per ſe

per se terminare mutationem successiuam, sed solum per accidens. Verum quidem est non posse naturaliter produci quantitatem, nisi ad productionem substantiæ; & ideo si substantia producatur in instanti, necesse est quantitatẽ eam consequentem in instanti produci; & propterea si nutritio esset instantanea, non esset augmentatio motus successius, sed etiam mutatio instantanea, petit autem natura quantitatis, per quam augetur viuens, successiuè produci, quia petit produci simul cum partiali substantia, sed propter latitudinem cõtrarietatis, quam habet sufficientem ad terminandum motum, per se petit produci successiuè, & terminat motum per se. Itaque vtraque petit naturaliter successionem, sed non vtraque natura sua, sed sola quantitas, propter latitudinem, quam habet in sua natura, substantia verò non natura sua, sed propter naturam successiuè alterationis cui naturaliter coniungitur, & ideo productio partialis substantiæ naturaliter est successiua, sed per accidens, productio vero partialis quantitatis est successiua naturaliter per se, quia sua natura habet latitudinem, substantia vero non habet eam natura sua, & ideo solum fit successiuè per accidens propter latitudinem dispositionum, quibus naturaliter coniungitur, sed quantitas per se propter latitudinem quam ex se habet; vnde non produceretur, vt petit propria natura, si consequeretur nutritionem instantaneam, quin potius eam successionem quam habet nutritio ratione alterationis præcedentis, habet etiam ratione quantitatis, quia non disponeretur, neque conuerteretur successiuè alimentum in substantiam aliti, nisi haberet extensionem partium, ratione cuius vna pars propinquior est agenti, quàm alia, & agens agit in omnes partes alimenti vniformiter difformiter, ac propterea actione successiua. Quod etiam colligitur ex motu locali naturaliter consequente augmentationem: nam simul ac augetur corpus, extenditur ad maiorem locum, & acquirit maiorem præsentiam; & talis extensio localis ex propria natura est successiua: ex quo sequitur augmentationem, quam consequitur, & à qua habet successionem, per se, & ab intrinseco esse successiuam, & motum per se ad maiorem quantitatem.

QVÆSTIO VII.

An augmentatio fiat secundum omnes partes viuentis, itavt dum augetur viuens, qualibet pars eius augeatur?

Vt intel

VT intelligatur quæstio, explicandæ sunt diuersæ partes viuentis, nam quædam sunt essentiales, vt materia, & forma, siue corpus, & anima. Aliæ verò integrantes, quæ licet sint substantiales, vel entitatiuæ, non tamen essentiales, quia sine vna, aut altera earum, aut etiam sine pluribus, immo sine vlla earum saluatur integra essentia rei; quamuis non existens actu: tales sunt manus, pes, brachium, & caput, nam sine tribus prioribus potest permanere homo: cum tamen sine aliqua essentiali non possit. Quæstio autem non procedit de partibus essentialibus, quia certum est in multis viuentibus, nec augeri, nec augeri posse præcipuam partem essentialem, quæ est forma, vt in homine, cuius forma est incorporea: & in cæteris animalibus perfectis, quorum animas esse indiuisibiles, non caret probabilitate. Solum ergo procedit de partibus integrantibus; quæ adhuc sunt in duplici differentia, nam quædam sunt homogeneæ, aut similares, vt caro, neruus, & os: aliæ eterogeneæ, aut dissimilares, vt manus, pes, caput: & istæ componuntur ex illis: vt manus, & brachium componuntur ex carne, & osse. Sed adhuc tertiò diuiduntur partes integrantes in æquales, vel aliquotas, quæ sunt certæ magnitudinis: & quælibet est extra aliam: & in proportionales, quæ includuntur in eisdem æqualibus, vt pars carnis certæ magnitudinis includit duas medietates, & quælibet harum medietatum duas alias, & sic in infinitum: & istæ dicuntur proportionales. Procedit autem quæstio tam de homogeneis, quam de eterogeneneis: an necesse sit omnes augeri, quotiescumque augetur viuens? 77

In qua quæstione duo sunt certa, quia expressè dicuntur ab Aristotele, recipiuntur ab omnibus, & probantur euidenti ratione. Primum est, quod in communi loquendo de partibus, augmentatio fit secundum omnes partes; ita vt omnes augeantur. Ita Aristoteles in hoc 5. cap. textu 32. his verbis; *Videtur itaque eius, quod augetur, quæcumque pars aucta esse: similiter autem & in diminutione minor generata esse.* Et ratio est manifesta, nam quælibet pars nutritur, dum nutritur totum corpus: ergo quælibet etiam augetur, dum augetur totum: euidens est consequentia, quia augmentatio sequitur naturaliter nutritionem. Sed probatur antecedens, quia nutritio est propria operatio vitæ, vnde hæc sola reperitur in plantis, in quibus solus etiam est gradus substantialis vitæ: ergo necesse est quamlibet partem viuentis nutriri, & ex consequēti augeri. Secundo, calor naturalis reperitur in toto corpore, & in quacumque parte eius, vt docet euidens experientia: sed calor naturalis per propriam operationem consumit aliquid substātiæ 78

eiusdem

eiusdem corporis viuentis, quod non potest reparari, nisi per nutritionem: ergo quælibet pars nutritur: vnde sequitur quamlibet etiam partem augeri, dum augetur totum. Hoc autem intelligendum est per se, & ex natura augmentationis, & corporis viuentis, ac partium eius: nam per accidens contingere potest, vt partes aliquæ sint ab extrinseco impeditæ, ne augeantur; vt constat de partibus aridis, nõ quidem omnino mortuis, sed ab officijs vitæ impeditis, quamuis non desunt, qui asserant aliquãtulum augeri, quia non videtur naturaliter possibile vitam participare, & nullam habere operationem vitalem.

79 Secundum, in quo omnes conueniunt est, sic augeri omnes partes viuentis, vt primò augeantur homogeneæ, & ratione harum, & quasi secundariò eterogeneæ: ita Aristoteles capit, præsenti text. 35. his verbis: *Ea, quæ sunt dissimilium partium augentur, quia ea, quæ sunt consimilium partium, augentur: componitur enim ex his vnumquodque.* In quibus continetur ratio satis manifesta: nam partes eterogeneæ, aut dissimilares componuntur ex homogeneis, vel similaribus, vt manus, & brachium ex carne, osse, & neruis: ergo non possunt augeri, nisi his auctis: quare istæ sunt, quæ primo augentur; illæ verò ratione harum, nam ideo manus maior fit, & similiter brachium, quia plus carnis, & ossis acquirit.

His suppositis, duo tantum sunt dubia circa hanc quæstionem. Primum est, an omnes partes similares tam aliquotæ, quàm proportionales augeãtur immediatè, & per se; vel solum aliquotæ: proportionales verò mediatè tantum ratione earum. Secundum, quonam modo fiat augmentario secundum omnes partes, sine penetratione alimenti cum corpore viuente.

Circa primum est prima opinio quorumdam recentiorum asserentium, augmentationem non fieri per se primo secundum omnes partes similares, sed solum secundum partes aliquotas, vel certæ magnitudinis: proportionales verò non augeri per se immediatè, sed mediatè, & ratione æqualium. Probant testimonio Aristotelis cap. præsenti textu. 35. vbi ait: *Adhuc autem quodcumque signum sensibile, aut maius, aut minus factum esse, & non vacuum esse corpus, neque duas magnitudines in eodem loco, &c.* Quibus verbis videtur declarare id, quod dixerat, nempe augmentationem fieri secundum omnes partes, ita esse intelligendum, vt fiat secundum signa sensibilia: hoc est, secundum partes sensibiles, & designabiles per sensum, quæ solum sunt partes certæ magnitudinis, nam proportionales in infinitum procedunt, & ideo non sunt omnes per sensum designabiles.

Probant

Probant deinde ratione, quia si partes proportionales augentur immediatè per se: ergo quælibet suscipit alimentum, & illud cõuertit immediatè per se: sed non potest suscipere illud, nisi per poros, vel per penetrationem, & penetratio est naturaliter impossibilis: ergo non nisi per poros illud suscipiunt. Ex quo sequitur omnes esse diuisas per poros, & ideo corpus viuens esse diuisum in omnes partes proportionales, quod repugnat: quare necessariò dicendum est, partes proportionales non augeri per se immediatè, sed per partes aliquotas, in quibus continentur, & quæ per se immediatè suscipiunt alimentum: & illud in se conuertunt. Secundò, quia si partes proportionales per se immediatè augerentur, quælibet per se fieret maior, ergo quotiescumque augetur corpus, fieret duplo maius quod est contra experientiam. 80

Hæc tamen sententia contraria est doctrinæ Aristotelis, & falsa. Probo primum ex text. 33. huius capitis, vbi ita ait Aristoteles: *Hæc autem sunt tria, quorum vnum quidem est, quamcumque partem maiorem fieri eius, quæ augetur magnitudinis, vt si caro, carnis.* Quibus verbis expressè, atque vniuersaliter docet carnem sic augeri, vt quælibet pars eius augeatur: sed partes proportionales eodem modo significantur nomine partis, sicut aliquotæ: ergo vniuersaliter, & sine distinctione loquens, de omnibus eodem modo intelligit: nam dum asseruit quamlibet partem corporis augeri, quia partes dissimilares non augentur per se immediatè, sed quia augentur similares, ex quibus componuntur, distinctione proposita de his partibus explicuit diuersum modum, quo augentur, quem, si intelligeret in partibus similaribus reperiri, quantum ad æquales: & proportionales, eadem distinctione illum explicaret: quare vniuersaliter, & sine distinctione loquens, non intellexit diuerso modo augeri has, & illas, sed eodem.

Sed probatur ratione falsitas eiusdem sententiæ, quia quælibet pars aliquota continet infinitas proportionales eiusdem rationis, hoc est similares sicut ipsa: ergo impossibile est augeri per se immediatè, quin simul, & eodem modo augeantur proportionales in ea contentæ. Probatur consequentia, quia non habet aliam entitatem, quæ augeatur per se immediatè præter easdem partes proportionales, à quibus solum differt per hoc, quod est extra aliam esse, vel in alia contineri: ergo repugnat augeri alio modo. Secundò, quia immediatè per se suscipere alimentum, & immediatè per se augeri duobus modis intelligi potest. Primò, ita vt immediatè, & per se ei applicetur alimentum, eique vniatur pars conuersa, & non per 81

per ſuas extremitates: & hoc modo nulla pars aliquota augetur per ſe immediatè; cum euidens ſit non ſuſcipere alimentũ, nec partem conuerſam ei vniri, niſi per ſuas extremitates; ſed ſolum in hoc rigore loquendo per ſe augetur illa pars proportionalis extrema, cui adhæret vltimum indiuiſibile terminans, iuxta quod immediatè eſt porus continens alimentum, indeterminata quidem, quia nulla datur determinata indiuiſibili terminanti immediata, vt per ſe eſt manifeſtum; & huius ratio eſt, quia ſolum huic parti proportionali indeterminatæ applicatur proximè alimentum, & ſolum ei proximè vnitur pars eiuſdem alimenti conuerſa. Secũdo modo poteſt ſumi id, quod eſt per ſe immediatè augeri, ita vt non per aliud à ſe extraneum, vel ſeparatum, ſed per aliquid pertinens ad propriam ſubſtantiam, & in hoc genere ſibi intrinſecum, augeatur: per ſe immediatè augentur partes aliquotæ, quia per extremitates proprias ſuſcipiunt alimentum, & illud ſibi vniunt, ſed non minus per ſe immediatè augentur proportionales. Quod primò probo, quia extremitates illæ ſunt partes proportionales indeterminatæ. Secundò, quia ſicut ſunt extremitates partis æqualis, ſic ſunt extremitates proportionalium, quæ in ea continentur; nam ideo ſunt extrema illius, quia ſunt vltimum quid ſub ea contentum, vltra quod non eſt aliud, ſed in eodem ſenſu ſunt vltima pars proportionalium licet indeterminata: ergo etiam ſunt extrema earum. Præterea, cum partes proportionales contineantur immediatè in parte æquali, & pertineant ad ſubſtantiam eius, eo ipſo quod ſunt extremitates partis æqualis, æquè immediatè ſunt extremitates earum, ideo non minus iſtæ augentur per ſe immediatè, quàm æquales.

82 Noſtra igitur ſententia eſt, quòd non ſolum omnes augeantur per ſe immediatè, ſed potiori ratione proportionales, quia ſecundum vtrumque ſenſum aliquo modo eis conuenit; aliquotis verò ſecundum poſtremum tantum, vt probatum eſt.

Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondeo per ſignum ſenſibile intelligere omnem partem deſignabilem per ſenſum, quæ neq; omnes æquales, neque omnes proportionales, ſed plures æquales, & plures proportiouales comprehendit, nam tam minimas æquales poſſumus per intellectum apprehendere, quæ non ſint deſignabiles per ſenſum, & plures proportionales poſſumus deſignare per ſenſum, vt patet in vlna, cuius primæ medietates ſunt æquales, primi palmi, & primi digiti, ſed medietates harum omnium iam ſunt proportionales: quamuis etiam alia ratione ſint æquales, & omnes ſunt deſignabiles per ſenſum: Ariſtoteles ergo non voluit excludere ab augmento per ſe

immediatè

immediatè partes non perceptibiles per ſenſum,quia ſi hoc vellet, plures partes excluderet æquales, ſicut plures proportionales, ſed ſolum docere,quod cùm augmentatio ſit motus Phyſicus corporis viuentis, ex partibus ſenſibilibus debent conſiderari, atque à nobis cognoſci conditiones eius.

Primum argumentum concedendum eſt, in quantum probat 83
partes proportionales ſuſcipere alimentum per poros ; negandum tamen, quod ex eo infertur, nempe omnes has partes eſſe diuiſas per poros,nam licet pori ſint diſperſi per totum corpus, non ſunt inter ſeſe immediati , vt ſtatim oſtendetur : ſed inter quoſlibet poros mediant partes æquales,& infinitæ proportionales quibus approximatur alimentum per extremitates, & per eaſdem eis vniuntur partes alimenti conuerſæ, quod ſufficit,vt omnes augeantur propriè,& vt augmentum fiat ſecundum omnes partes ; nec poteſt alio modo augeri corpus,viuens, vt euidenter probauimus. Patet ergo non eſſe neceſſarium,quod omnes partes proportionales ſint diuiſæ inter ſeſe per poros.

Ad ſecundum, conceſſo antecedenti, quòd omnes,& ſingulæ partes proportionales augeantur per ſe immediate;diſtinguendum eſt primum conſequens,quod quælibet fiat maior ; nam ſi intelligatur fieri maiorem ſecundum quantitatem , vel exceſſum determinatum, falſum eſt,ſi vero ſecundum proportionalem,verum;& neceſſarium.Quod hoc modo intelligendum eſt, vt ſicut partes proportionales ita ſe habent , vt vna ſit minor alia in infinitum ; & ſub qualibet comprehendantur infinitæ ea minores , & ideo ex omnibus non reſultet niſi finita, ac determinata magnitudo;ita etiam conſiderandum eſt,quod licet pars quælibet alimenti conuerſa, per cuius additionem fit augmentum,ſit finita,& aliquando maior,aliquando minor,ſemper habet infinitas partes proportionales maiores,vel minores,& ideo diſtribui poteſt per infinitas partes proportionales corporis;ita vt cuiq; tribuatur aliquid proportionale iuxta magnitudinem eius,non quidem ſeparatum ab eadem parte,ſed in ea incluſum. Ex qua proportione intelligitur, poſſe omnes, & ſingulas creſcere per quodlibet augmentum finitum, ſicut etiam omnes(licet actu infinitæ)non niſi finitam entitatem efficiunt, & nimis aliquando exiguam. Et hæc de primo dubio.

Explicatur modus , quo ſit augmentatio.

SEcundum dubium eſt circa modum , quo fit augmentatio. 84
Et videtur nullo modo fieri poſſe propter hoc argumentum; quia vel fit per intus ſumptionem , vel per iuxta poſitionem;

ſed primum eſt impoſſibile, & ſecundum falſum: ergo non eſt naturaliter poſſibilis. Maior eſt certa, cum euidens ſit non eſſe alium modum poſſibilem, quo augeatur corpus præter duos illos. Sed probatur minor, quia ſi fit per intus ſumptionem: ergo alimentum ingreditur partes corporis, vt intra illas conuertatur in ſubſtantiam, quod non poteſt fieri niſi per penetrationem alimenti cum eis, vel per diuiſionem earum; ſed experientia conſtat non diuidi, quia diuiſio cauſat dolorem, quem non ſentimus: ergo fit ingreſſus alimenti per penetrationem naturaliter impoſſibilem. Et ſi dicatur alimentum per venas, & poros tranſire ad omnes partes corporis, quia omnes ſunt venis, & poris plenæ; hoc non tollit difficultatem, quia venæ, & pori finitæ ſunt, & inter quaſlibet venas, & poros mediat pars ſolida, quæ augetur; vel ergo alimentum penetrat illam partem, vel permanens in venis, & poris conuertitur in ſubſtantiam, & iam conuerſum multóminus poterit penetrare carnem, vel oſſa; cum ſit iam factum caro, & os; vnde ſequitur non poſſe augere alias partes iuxta venas, & poros exiſtentes, niſi quia eis iuxta ponitur, & vnitur per continuationem, quod eſt augmentum viuentium, per iuxta poſitionem fieri: hoc autem apertè falſum eſt; nam iam non differret ab augmento non viuentium impropriiſſimo, vt ignis, & aquæ, quod fit per iuxta poſitionem lignorum, vel alterius corporis conuerſi in ſubſtantiam elementi, & ei additi, ac iuxta poſiti.

95 Pro ſolutione huius dubij tanquam certum ſupponendum eſt, quodlibet corpus viuens plenum eſſe venis, & poris, quæ ſunt concauitates quædam, & quaſi aquæ ductus, per quos ſanguis, qui eſt vltimum, atque proximum alimentum corporis, fluit, & ad omnes partes corporis defertur. Quod non eſt ſic intelligendum, vt aſſeruit Commentator. 1. libro de generatione commento 38, putans quamlibet partem minimam corporis habere ſuum porum; nam ſi ita eſſet, non eſſent magis porosæ aliquæ partes corporis, quàm cæteræ omnes; neque vnum corpus magis porоſum, quàm aliud, quod experientia patet eſſe falſum, & propterea falſum eſt, dari in corpore partes minimas; cum conſtet omnes eſſe diuiſibiles in infinitum, & ideo qualibet data etiam minima, dari aliam minorem. Sed ita debet intelligi, vt quælibet pars corporis ſit circumdata poris verſus quamlibet partem, magis tamen, aut minus diſtantes inter ſe ſecundum naturam cuiuſlibet partis. Eſt autem differentia inter venas, & poros, quod venæ ſunt longè maiores, & capaciores; pori vero anguſtiſſimi: vnde per poros non tam fluit ſanguis, quam ſugitur ab eiſdem venis, pori vero ideo fiunt à natura, quia

cum cor

cum corpus sit solidum, impossibile erat per venas ad omnes partes corporis deferri alimentum, esset enim tunc omni ex parte perforatum, & quasi spongia, & non posset conuenientes operationes exercere, ad quas exercendas requiruntur solida membra, atque instrumenta. Necesse ergo fuit per angustissimos aquæductus deferri alimentum non omnino pugnantes cum soliditate corporis requisita. Eiusmodi autem pori, licet multi sint per omnes partes corporis dispersi, non tamen sunt infiniti, sicut indiuisibilia corporis, nec immediati, nam hoc pugnaret cum prædicta soliditate corporis, sed inter quoslibet poros quantumlibet parum inter se distantes mediant partes, quibus per eosdem poros approximatur alimentum. Neque omnes sunt æquales, sed alij maiores aliis, non solum in eodem corpore secundum diuersas partes eius, sed etiam in diuersis, immo in eodem etiam secundum diuersas ætates; nam in ætate iuuenili maiores, & capaciores habet poros corpus, quàm in senectute, quia plus alimenti indiget; & per maiorem dilatationem partium in illa ætate ex maiori conuersione alimenti causata, sicut partes corporis magis dilatantur, ita pori fiunt maiores. Has vero partes nec potest alimentum 86
penetrare, & multo minus pars substantiæ per conuersionem alimenti producta, per quam augeri debent, quia quælibet penetratio corporum est naturaliter impossibilis, nec potest alio modo ad illas deferri; sed in eisdem poris debet fieri conuersio eius, & pars substantiæ producta per conuersionem vniri cum eisdem partibus, non quidem per se immediatè cum omnibus, sed per extremam illam partem poro immediatam, & tangentem alimentum in eo existens, quæ pars non est determinata, nec proinde aliquota, aut certæ magnitudinis, sed proportionalis indeterminata, nam euidens est partem illam, cui immediatè adhæret indiuisibile terminans esse indeterminatam, quia cum sit diuisibilis, ante quamlibet designatam datur alia, & alia in infinitum vsque ad indiuisibile terminans. Et ecce quo pacto nulla pars aliquota potest per se immediatè augeri, sed per extremam partem indeterminatam, cui vnitur indiuisibile terminans, quod necesse est corrumpi, dum vnitur pars alimenti conuersa, & loco indiuisibilis terminantis produci aliud indiuisibile continuatiuum, per quod fiat vnió, seu continuatio, & quia pars conuersa vnitur parti proportionali indeterminatæ, cui adhæret indiuisibile terminans, & post vnionem nouum indiuisibile continuans, dicitur vniri parti aliquotæ, cuius extremum est, & etiam omnibus partibus proportionalibus in

ea contentis, & ideo per eandem vnionem dicuntur iſtæ, & illa augeri. Ex hac doctrina colligo primo, quomodo ſit intelligenda propoſitio Ariſtotelis ab omnibus recepta, quod augmentatio viuentis ſit ſecundum omnes partes, cuius ſenſus eſt, quod dum augetur viuens, augentur omnes partes eius tam homogeneæ, quam eterogeneæ, tam aliquotæ, quàm proportionales, ſed tam iſtæ, quàm illæ iuxta propriam naturam: eterogeneæ quidem, vel diſſimilares non per ſe immediatè, ſed quia augentur ſimilares, ex quibus componuntur; ſimilares vero aliquotæ, & proportionales in eis cõtentæ per ſe immediatè, in quantum per extrema tangunt alimentum, & illud diſponunt, atque conuertunt in ſubſtantiam; eiſdemque per eadem extrema vnitur, & continuatur pars alimenti conuerſa, & ideo in ſe, & per ſe maiores fiunt; per ſe autem immediatè, ita vt immediatè, & per ſe tangat alimentum, & pars conuerſa ei immediatè vniatur, & cum ea immediatè continuetur, & non per ſuum extremum, quod ſolum habet illa pars proportionalis indeterminata, cui immediatè adhæret indiuiſibile terminatiuum ante conuerſionem, & poſt conuerſionem indiuiſibile continuatiuum productum, quo medio ei vnitur pars conuerſa, hæc enim pars proportionalis indeterminata eſt extremum partis aliquotæ, & proportionalium, quas continet.

87 Secundo colligo, augmentum viuentium fieri per iuxta poſitionem alimenti ad partes viuentis, non tamen per iuxta poſitionem partis ſubſtantialis conuerſa, ſed per additionem, quæ fit media vnione, & continuatione iam explicata. Probatur primum de iuxta poſitione alimenti, quia repugnat alimentum penetrare partes viuentis: ergo ſolum poteſt ad illas deferri per poros; ſed per poros non poteſt ad eas peruenire, niſi in quantum iuxta illas ponitur, & ab eis tangitur: ergo fit per iuxta poſitionem alimenti. Probatur ſecundum, quod non fiat per iuxta poſitionem partis ſubſtantialis conuerſæ, quia id quod alteri iuxta ponitur, ſolum eſt illi contiguum, hoc enim eſt iuxta illud poni; ſed pars alimenti conuerſa non ponitur iuxta partes corporis, nec illis eſt contingua, ſed eis vnitur, & continuatur, & per vnionem, & continuationem fit vnum numero cum eis: ergo non fit augmentum per iuxta poſitionem partis conuerſæ, ſed per additionem eius media vnione, & continuatione facta.

88 Secundò notandum eſt hos poros, per quos defertur alimentum, numquam eſſe vacuos, ſed ſemper plenos alimento, vaporibus, & excrementis quibuſdam, vt ex ſudore exeunte eſt manifeſtum; dum vero fit conuerſio partis alimenti, pars conuerſa,

atque

Digitized by Google

atque vnita parti corporis proximæ occupat partem concauitatis eiusdé pori, sed non ideo pori deficiunt, quia idem calor naturalis, cuius virtute concoquitur alimentum, aliquas partes eius in ipsa concoctione resoluit in vaporem, & vapor iste quasi impellens partes viuentis versus externum locum eas dilatat, & per talem dilatationem, & nouum efficit porum, & easdem partes efficit occupare maiorem locum; & ita per augmentationem dilatatur corpus, & simul mouetur localiter per extensionem ad maiorem locum, vt adnotauit Aristoteles cap.præsenti.

Notandum tertiò, partes corporis viuentis esse in duplici differentia, nam quædam sunt duriores,quæ appellantur spermaticæ, vt ossa, aliæ sunt molliores, quæ appellantur nutrimentales, vt caro: & istæ quidem certo tempore augentur, & vlterius diminuuntur, vt patet in infirmitate, & postquam diminutæ sunt,iterum augentur,& reparantur per conuersionem alimenti, quod deperditum ex eis fuit: quod in ossibus non ita contingit,non enim per infirmitatem diminuuntur,vel certe parum. Præterea tam istæ,quàm illæ partes augentur secundum omnem dimensionem, sed non tantum augentur secundum vnam dimensionem,quantum secundum alias;sed proportionabiliter,vt postulat natura corporis, quod non tam latum, nec tam profundum esse debet, quàm longum, vt commodius possit moueri ab anima, & aptum possit esse instrumentum ad exercendas operationes vitales; ideo magis crescit versus longitudinem, quàm versus alias dimensiones, & ideo ossa, quæ sunt partes magis consistentes, magis crescunt secundum longitudinem,quàm secundum latitudinem,& profunditatem;caro vero, & aliæ partes magis crescunt aliquando secundum alias dimensiones, & secundum longitudinem parum possunt ossa superare,vt experientia est manifestum.

Ex his tandem colligitur solutio argumenti propositi pro 89
ratione dubitandi,nam ad maiorem respondeo, augmentationem fieri vtroque modo,videlicet per intus sumptionem,atque etiam per iuxta positionem alimenti ad partes corporis, & per additionem partis conuersæ media vnione, & continuatione facta. Sed neganda est minor, quòd alimentum non possit deferri ad partes, nisi per penetrationem, defertur namque per poros sine illa. Et cum dicitur inter quoslibet poros medias esse partes,concedendum est, sed nec illas penetrat alimentum, sed eis iuxta ponitur, & in poris conuertitur in substantiam, vnitúrque per continuationē. Et dum tandem ex hoc infertur, augmentum fieri per iuxta positionem,sicut dum aqua additur

aquæ, neganda est similitudo, sed fit per iuxta positionem alimenti, & conuersionem eius, atque vnionem cum cæteris partibus, quod non reperitur in augmento aquæ, non tamen fit per iuxta positionem partis substantialis per conuersionem alimenti productam, sed per additionem eius continuatione factam. Differt autem augmentatio viuentium ab augmentatione non viuentium in tribus. Primò, quia illa fit per intus sumptionem; hæc vero per externam tantum iuxta positionem pabuli, vt patet in igne. Secundò, illa fit secundum omnes partes viuentis, quia omnibus approximatur alimentum ex proprio, & naturali modo; hæc verò solum secundum illam partem fit, per quam pabulum iuxta ponitur, & licet possit per omnes partes iuxta poni; hoc non petit natura corporis non viuentis, sed per accidens contingit; petit vero natura corporis viuentis, vt omnibus partibus approximetur alimentum; & tandem illa fit secundum partes formales, hæc vero potius secundum materiales, & propterea in infinitū abire potest; cum tamen illa certum habeat terminum à natura constitutum.

QVÆSTIO VIII.

An augmentatio duret toto tempore vitæ?

90 DIuersa quæstio est hæc, ac alia, quam in hoc tractatu agitauimus de continuatione nutritionis, & augmentationis; non enim quærimus modo, an augmentatio sit continua toto tempore vitæ, vel eo saltem tempore, quo fit, aut discreta; ita vt per minima fiat in solis instantibus temporis; quantum adhoc enim eadem prorsus ratio est de ipsa, ac de nutritione; vnde quod superius probauimus de nutritione, non sic esse continuam, vt per totam vitam nullo tempore interrumpatur: esse tamen continuam eo tempore, quo fit, & non per minima fieri in solis instantibus, sed per partes in partibus etiam temporis continui, eodem modo intelligendum est de augmentatione. Quod igitur nunc quærimus, est, an sicut nutritio prædicto modo facta durat vsque ad finem vitæ, sic etiam duret augmentatio? Et videtur probari his argumentis, quod vsque ad finem vitæ augeatur homo, sicut nutritur. Primò, quia sicut quantitas naturaliter consequitur substantiam, sic motus ad quantitatem naturaliter sequitur mutationem in substantiam, quæ est nutritio, & eodem tempore fit cum ea; sed motus ad quantitatem est augmentatio:

tatio : ergo durare debet vsque ad finem vitæ, ſicut durat nutritio. Et ſi dicatur, durare quidem motum ad quantitatem, non tamen augmentationem, quia non omnis motus ad quantitatem eſt augmentatio, ſed ſolus ille, per quem adquiritur maior quantitas, quàm deperdita fuit : conſtat verò non ſemper maiorem adquiri, ſed certo quodam tempore ; poſt illud verò æqualem tantum, vel minorem ; &ideo non ſemper durare augmentationem. Contra hoc eſt, quia terminus ad quem motus dicit ordinem ad terminum à quo, & reſpectu illius talis dicitur, vt patet in alteratione, per quam ſi magis perficitur calor in termino ad quem, quàm erat perfectus in termino à quo ; dicitur intendi, & alteratio per quam perficitur, vocatur intenſio : (licet non adquiratur per eam perfectior calor, quàm habuit aliquando ſubiectum) ergo vt motus ad quantitatem ſit augmentatio, non requiritur, quod per eum acquiratur maior quantitas, quàm habuit aliquando ſubiectum, ſed ſatis eſt, quòd acquiratur maior ea, quàm habebat in termino à quo, ſed impoſſibile eſt corpus moueri ad quantitatem, quin acquirat maiorem, quàm habuit in termino à quo, nam alioqui nullam de nouo acquireret : ergo cum motus ad quantitatem duret toto tempore vitæ, durabit etiam augmentatio.

Secundò, quia augmentatio procedit ab anima tamquam 92
à cauſa principali, & à potentia nutritiua, & calore naturali tamquam ab inſtrumentis eius naturaliter operantibus, atque ex determinatione ad vnum : ſed virtus naturalis horum non diminuitur procedente tempore, neque per continuam actionem circa alimentum hebetatur, quin potius calor naturalis augetur : ergo ſi maius alimentum ei iuxta ponatur, maiorem producet ſubſtantiam in qualibet ætate, & conſequenter maiorem quantitatem, per quam augebitur corpus vſque ad finem vitæ. Probatur minor, quia eadem eſt ratio de calore naturali corporis viuentis, ac de calore elementari ignis ; ſed calor iſte creſcit, quo plura ligna conuertit in ignem : nam cum eiſdem lignis conuerſis aduenit ei nouus calor: ergo calor etiam naturalis creſcet per aduentum caloris naturalis ex qualibet parte alimenti conuerſi in ſubſtantiam. Et ideo plus alimenti ſemper poteſt conuertere, & plus quantitatis producere.

Probatur tandem experientia, nam videmus plures poſt quadrageſimum annum ſuæ ætatis pinguiores fieri, & ideo maiorem quantitatem acquirere : ergo adhuc in ea ætate creſcunt, quod non poteſt fieri, niſi per verã augmentationem adhuc durantem: falſum eſt ergo, quod dici ſolet, hominem nõ creſcere,

nec augmentationem durare poſt eam ætatem, quam ſtatus, & non augmenti vocant.

93 Pro ſolutione huius quæſtionis notandum eſt primò ex doctrina Ariſtotelis. 3. lib. de anima tex. 59. corpora viuētia quantum ad nutritiuam virtutem triplicem habere ſtatum, nempe augmenti, ſtatus, ac decrementi, ſeu diminutionis. Tempus autem augmenti ſolet deſignari à principio vitæ vſque ad tertium ſeptennium, aut vigeſimumprimum annum ætatis, vt docet Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 147. artic. 4. ad ſecundum, quia vſque ad id tempus fortior eſt potentia nutritiua, & calor naturalis robuſtior ad conuertendum alimentum in ſubſtantiam aliti, ideo plus conuertere poteſt alimenti, quam de propria ſubſtantia conſumere. Tempus verò ſtatus ſolet deſignari à vigeſimoprimo anno, vſque ad trigeſimumquintum, in quo minorem iam vim habet calor naturalis, tantumque alimenti conuertere poteſt, quantum ſubſtantiæ propriæ cõſumere: quare neque augetur corpus in ætate iſta, nec diminuitur, ſed ſtatum habere dicitur. Ab hac autem ætate vſque ad vltimam ſenectutem numeratur tempus decrementi, vel diminutionis, quia calor naturalis debilitatus non tantum poteſt alimenti conuertere, quantum de propria ſubſtantia conſumit, ideo decreſcit corpus, ac tandem conſumitur. Ratio vniuerſalis horum ſtatuum ſumitur ex propria natura ipſius hominis, & eiuſdem caloris naturalis; virtus enim vtriuſque limitata eſt, & ideo tantum temporis durare poteſt homo, vt vita eius non poſſit vlterius procedere, & virtus caloris naturalis, cum ſit potentia actiua, limitata eſt per intrinſecum terminum, vt de omni potentia actiua docet Ariſtoteles 1. libro de cœlo & mundo cap. 4. Tantum ergo poteſt augere corpus, vt non poſſit vlterius in augmento procedere, ſed ſiſtere debeat; & tempus illud

94 augmenti vocatur, hoc vero ſtatus. Et tandem cum natura corporis viuentis paulatim deficiat, & extenuetur, neceſſe eſt idem corpus diminui. Ratio vero particularis ſumitur ex tribus, quæ docent Ariſtoteles in libello de longitudine, & breuitate vitæ non longe à principio, & ſectione 3. Problematum, Problemate. 14. & Diuus Thomas in 2. diſtinct. 3. q. 1. art. 1. ad quintum. Quorum primum eſt, vitam naturalem corporis, quæ certum temperamentum requirit, conſiſtere in calido, & humido, quod temperamentum perfecte habet corpus in prima generatione, ſed ab eodem deficit in ſenectute, de qua docet experientia eſſe ſiccam, propter nimiam conſumptionem humidi; deficiente autem humido, & calore coniuncto cum ſicco plus diſſipat alimenti, quàm conuertat in ſubſtantiam, quia

quia virtus eius maximè dependet ex coniunctione cum humido, quo dificiente valdè debilitatur; quare non potest iam in eo statu viuens augeri. Secunda ratio diui Thomæ est, quia substantia producta per nutritionem ex conuersione alimenti non est ita connaturalis viuenti, sicut prima, quam accepit per generationem, sed quodammodo extranea, cum ex materia, & corpore extraneo contrarias dispositiones, & qualitates habente producta sit; ideo non continet calidum, & humidum adeò connaturale; & ex alia parte prima substantia idem temperamentum perfectè continens incipit consumi à calore naturali; & ita procedente tempore substantia corporis viuentis ex connaturali, & extranea permixta minoris virtutis fit, & calor naturalis in ea existens eodem modo permixtus quasi retunditur, & hebetatur, ita vt non possit tãtum conuertere, quantum de propria substantia corporis consumit; vel certe non plus, & tunc non potest augeri corpus, nec vlterius procedere motus augmentationis. Quod exemplo vini, cui permiscetur aqua, explicuit Aristoteles, cuius virtus eo magis debilitatur, quo plus aquæ ei admiscetur. Tertia ratio Diui Thomæ est, 95
quia anima, quæ est forma corporis limitatam habet virtutem informandi materiam, & agendi in corpore: vnde quo plus diffunditur, vel extenditur ad informandam ampliorem materiam superuenientis alimenti, eo minor est virtus eius ad agendum per potentias, & instrumenta corporea propter illud vniuersale principium: Virtus vnita fortior est se ipsa dispersa: sed quo plus augetur homo vsque ad statum, eo magis extenditur anima ad nouam materiam informandam: ergo minor est virtus eius ad agendum per potentiam nutritiuam, & calorem naturalem; minúsque alimenti conuertere potest, quàm prius; & tandem eo perueniet, vt non plus possit conuertere, quàm consumitur; & tunc dicetur corpus peruenisse ad statum, ac tandem ob maiorem permixtionem extraneæ substantiæ minus adhuc conuertere poterit, & dicetur corpus peruenisse ad statum decrementi, vel diminutionis.

His suppositis duabus conclusionibus respondetur quæstioni. Prior sit, motus ad quantitatem durat toto tempore vitæ. Hanc probat primum argumentum in principio positum, quia nutritio durat vsque ad finem vitæ: quia vsque ad illum sumitur alimentum, & conuertitur aliquid eius in substantiam; ergo durat semper nutritio, sed partialem substantiam consequitur naturaliter quantitas partialis terminans motum per se: ergo durat etiam motus ad quantitatem vsque ad finem vitæ.

Posterior concluſio. Motus augmentationis ſolum durat vſque ad ſtatum. Probatur ex doctrina tradita, quia motus augmentationis tendit per ſe ad maiorem quantitatem corporis, ea, quam habebat prius; ſed hæc maior quantitas adquiritur tantum vſque ad ſtatum, vt probatum eſt: ergo ſolum vſque ad ſtatum durat motus augmentationis, & non vſque ad finem vitæ.

Ad primum argumentum conceſſa maiori, quod motus ad quantitatem durat per totam vitam, neganda eſt minor, quòd omnis motus ad quantitatem ſit augmentatio: nam Ariſtotel. 5. lib. Phyſ. tex. 18. docuit, motum ad quantitatem ſub hac ratione quaſi communi innominatum eſſe, ſub ſpecialibus vero vocari augmentationem, & diminutionem. Et cum dicitur omnem motum ad quantitatem eſſe ad quantitatem maiorem ea, quam habebat corpus in termino à quo; negandum eſt; quia licet aliquid quantitatis acquiratur per omnem motum, ſed plus deperdi ſolet per actionem eiuſdem caloris naturalis eodem tempore, quo fit motus: & ideo non eſt neceſſarium, quod motus ad quantitatem terminetur ad maiorem reſpectu termini à quo; nam adhuc reſpectu illius minorem habet corpus in termino ad quem talis motus, vt per ſe patet.

97 Ad ſecundum, neganda eſt etiam minor, quòd virtus animæ, & caloris naturalis non diminuatur procedente tempore; nam virtus animæ minor eſt diſperſa, vel diffuſa ad maiorem materiam informandam, & calor naturalis valde debilitatur in ſenectute deficiente humido, ex cuius ſocietate fortior erat in iuuentute, atque per coniunctionem cum ſicco, vt oſtendimus; & propterea non poteſt plus alimenti, immo nec tantum conuertere, quantum de ſubſtantia corporis diſſipatum eſt; & ideo non poteſt toto tempore vitæ augeri corpus.

Ad vltimum reſpondeo, non augeri ſimpliciter corpus, niſi ſecundum longitudinem fiat maius: quòd vero verſus alias dimenſiones creſcat vltra tempus augmenti, ſolum eſt maius fieri ſecundum quid; & hoc quidem aliquando contingit: quod vero maius fiat ſecundum longitudinem, numquam. Et ratio vtriuſque eſt, quia oſſa duriora ſunt, & ſicco temperamento conſtant, atque ex difficiliori alimento nutriuntur, nempe ex medulla facta ex ſanguine, ideo difficilius augentur, & propterea virtus caloris naturalis extra ſtatum augmenti non eſt iam ſufficiens ad ea augenda, bene tamen aliquando ad augendam carnem molliorem, ac magis humidam, atque ex faciliori alimento nutriendam, propter peculiarem diſpoſitionem corporis.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

An corpus viuens toto tempore vitæ, quo nutritur, permaneat idem numero, saltem secundum aliquas partes, vel secundum omnes varietur?

VT intelligatur quæstio, tamquam certum est præsuppo- 98
nendum, quod ante, & post nutritionem, & augmentationem permanet corpus, quod augetur idem numero; quod Aristoteles non solum asserit capit. præsenti, sed sæpe repetit, vt textu 25.31.33.& 35. asserens vnam ex conditionibus necessariis ad veram augmentationem esse, quod res, quæ nutritur, & augetur, permaneat eadem numero ante, & post nutritionem, & augmentationem. Quod probatur euidenti ratione, quia si non permaneat corpus idem numero ante, & post nutritionem, sequitur nutritionem non distingui à generatione, & corruptione. Probatur consequentia, quia si non manet idem numero: nec manet idem secundum substantiam; sed corrumpitur substantialiter corpus, quod erat ante nutritionem, & generatur aliud: erit ergo nutritio generatio, & corruptio substantialis: quod est falsum.

Hoc supposito iam intelligitur difficultas quæstionis in eo 99
consistens, nam actione caloris naturalis duo fiunt, consumitur ex vna parte substantia propria corporis, & resoluta in vapores, & excrementa diminuitur corpus: ex alia vero parte conuertitur alimentum in substantiam eiusdem corporis, vt reparetur id, quod deperditum est: & si maior sit pars alimenti conuersa, quàm deperdita ex corpore, augetur corpus. Ex quo sequitur corpus semper mutari, recedentibus partibus, quas habebat, & accedentibus aliis distinctis saltem ex parte materiæ, & aliquando ex parte formæ, si anima sit diuisibilis; tunc enim necessariò videtur corrumpi pars formæ cum parte materiæ, quam informabat, & nouam quoque partem formæ produci ad informandam materiam eiusdem alimenti conuersi. Et cum transmutationes istæ fiant per totam vitam, sicut fit nutritio, non videtur ad finem vitæ permanere vlla pars earum, quæ habuit corpus, dum primò fuit genitum. Mutatis autem partibus substantialibus, tam ex parte formæ, quàm ex parte materiæ, mutatur entitas, & substantia rei: ergo merito dubitatur, an maneat idem corpus numero ante, & post nutritionem, & augmentationem toto tempore

vitæ,

vitæ,vt voluit Aristoteles, & probatur ex differentia inter generationem,& nutritionem.

100 Sed certum est secundò,idem numero manere corpus, cuius anima est indiuisibilis,saltem ex parte formæ,vt in hominibus, atque etiam in animalibus perfectis, quorum animæ non sine probabilitate ponuntur à multis indiuisibiles. Et huius ratio est manifesta, quia cum anima careat partibus, sequitur per diminutionem corporis nullam partem earum deperdi posse; sed solum deperditur pars materiæ, quam informabat anima indiuisibilis:tota verò ipsa anima, quæ illam inadæquatè informabat, desinit eam informare permanens tota in reliquis partibus: vnde sequitur permanere eamdem numero formam in nutritione horum corporum per totam vitam; & cum identitas numerica rei præcipuè sumatur à forma, permanebit idem numero corpus ex principaliori saltem parte. Solum ergo habet locum difficultas quæstionis in viuentibus, quorum animæ sunt diuisibiles secundum sententiã Aristotelis,& communem Scholæ,vt in plantis, & imperfectis animalibus,qualia censentur reptilia.

Et prima opinio asserit in nutritione, & augmentatione horum idem numero corpus permanere toto tempore vitæ, quia licet deperdantur partes materiæ, & aliæ diuersæ acquirantur per conuersionem alimenti, & ideo ex parte materiæ non omnino permaneat idem numero corpus, nulla tamen pars formæ deperditur,quia illa pars formæ, quæ informabat partem materiæ deperditæ, quasi retrahitur ad aliam partem proximam ex his,quas informabat prius, & ita manet eadem numero forma, à qua præcipuè sumitur identitas numerica corporis: & ita eadem anima numero, & secundum omnes partes permanet semper.Ita albertus Magnus opusc.de nutritione titulo primo, capit.3.& titulo 2. capit. 1. Philop.1. lib. de Generatione,capit.5. Nimphus ibid.tex. 220. & Albertus. Saxoniæ quæst.12.Burleus tractat.de intensione, & remissione formarum.cap.3.

101 Probant testimonio Aristotelis textu 36.& 37.huius capitis asserentis augmentum fieri secundum partes formales corporis,non secundum materiales;& reddit rationem, quia cum in augmento debeat permanere illud,quod augetur, & forma rei permaneat semper, vt forma carnis, & ossis;materia verò ex parte recedat, & ex parte adueniat de nouo per conuersionem alimenti, necesse est secundum formam fieri augmentum, & non secundum materiam. Hæc autem ratio nihil valeret, si forma rei variaretur secundum partes aduenientes, & recedentes,

dentes,nam tunc non magis augmentatio fieret secundum formam,quàm secundum materiam.Probant deinde ratione, quia si cum parte materiæ deperditur etiam pars formæ, & cum noua parte materiæ aduenientis ex conuersione alimẽti aduenit etiam noua pars formæ eductæ de potentia eius, sequitur aliquando contingere,vt nulla pars materiæ, neque formæ, ex his,quæ habuit corpus, dum primo fuit genitum, permaneat in senecture,aut in fine vitæ, & ideo nec permanere idem numero corpus,sed esse aliud numero diuersum: quod patet esse contra rationem nutritionis,& augmentationis.Probatur consequentia, quia motu quodam continuo desinunt partes, & adueniunt aliæ; ergo per totam vitam variantur omnes. Sed omnibus variatis, necesse est variari totum, quod non habet aliam entitatem præter entitatem partium:ergo non manebit idem corpus numero.

Hæc tamen sententia falsa est;quod probo ex natura animæ diuisibilis, quæ ita dependet à materia, sicut nata est eam informare,nempe tota forma totam materiam, & pars partem; ergo dependet quælibet pars formę à sua parte materiæ,& cum educatur talis forma de potentia materiæ, quælibet pars eius determinata educetur de parte determinata materiæ,à qua nata est dependere:ergo consumpta hac parte substantiæ viuentis per actionẽ caloris naturalis desinit hæc pars formæ, à qua informabatur hæc pars materiæ,eam informare; & non potest naturaliter permanere separata à materia propter naturalem dependentiam ab illa:ergo peribit. Probatur consequentia, quia naturaliter repugnat informare aliam partem materiæ eiusdem corporis,cum quælibet sit informata sua parte formæ, & non possit naturaliter eadem pars materiæ informari duplici parte formæ sicut materia totalis non potest informari duplici totali forma.Ex quibus sequitur necessarium esse, quod consumpta naturaliter qualibet parte corporis, & recedente materia,pereat etiam pars formæ.Et eadem ratione probatur, 102
quòd nouæ partes formæ adueniant cum nouis partibus materiæ alimenti,nam partes materiæ,quæ adueniunt,non possunt informari à partibus animæ præexistentibus in corpore; quia quælibet pars formæ dependet à qualibet parte materiæ determinatæ, sicut tota forma à tota materia; ergo sicut hæc non potest naturaliter simul informare duas totales materias, ita non potest eadem pars formæ simul informare duas partes materiæ: quare necesse est, educi nouas partes animæ de nouis partibus materiæ aduenientis à quibus informentur.

Ideo secunda opinio concedit, quòd consumpta qualibet parte

parte ſubſtantiæ viuentis corporis, ſicut recedit pars materiæ, ita perit pars formæ à qua informabatur, & ſicut adueniunt nouæ partes materiæ ex conuerſione alimenti, ita adueniunt cum eis nouæ partes harum animarum eductæ de potentia earum. Negat tamen, quòd omnes partes materiæ, & formæ varientur, quia diſtinguit duplices partes integrantes in quolibet corpore viuente, quaſdam quaſi fluentes, ex quibus conſumuntur aliquæ per continuam actionem caloris naturalis, & loco earum ſuccedunt aliæ, & ita per continuam corruptionem earum, & aduentum aliarum, in fine vitæ omnino variatæ cenſentur, tam ſecundum formam, quàm ſecundum materiam: & ſecundum has partes non manet idem numero corpus per totam vitam. Sed aliæ ſunt partes integrantes permanentes, quas numquam conſumit calor naturalis, neque aliquid detrahit ab eis, ſed ſaluæ, & integræ permanent à principio vſq; ad finem vitæ: vnde licet augeantur, non tamen diminuuntur, & ideo eædem numero permanent, & ratione earũ permanet ſemper corpus idem numero, licet ratione aliarum quodam modo varietur. Ita Magiſter ſenten. in 2. diſtinct, 30. & ibidem Ricardus, Albertus in ſumma de homine quæſt. 1. de potentia generatiua, art. 2. & quæſt. de nutritione, & nutrito; Alexand. & Philop. text. 35. huius capitis, Nimphus etiam quæſtion. 5. huius libri, eamdem opinionem tamquam probabilem defendit.

103 Sed in aſſignandis his partibus inuariabilibus diuiſi ſunt authores iſti: nam quidam eorum diſtinguunt duplices partes integrantes in corpore viuente, quædam ſpermaticæ, quæ immediatè generantur ex ſemine, & ſunt omnes illæ ex quibus componitur ſubſtantia primò producta per generationem. Aliæ ſunt nutrimentales, quæ quidem producuntur per nutritionem ex conuerſione alimenti, & adduntur primis; de quibus aſſerũt nullo modo, neque vllo tempore conſumi, aut variari, ſed omnino integras, & quaſi intactas permanere à principio vſque ad finem vitæ; nutrimentales verò paſſim conſumi, & alias loco earum ſuccedere. Probant iſti primo, quia ſi omnes partes integrantes corporis variantur, & non dantur aliquæ ſemper manentes, ſequitur nec permanere corpus idem numero vſque ad finem vitæ, ſed tunc iam eſſe aliam numero arborem, & aliud numero animal, immo & alium hominem, quod eſt falſum. Probatur conſequentia, quia totum corpus non habet aliam entitatem, vel ſubſtantiam præter entitatem, & ſubſtantiam partium integrantium: ergo ſi omnes iſtæ ſucceſſiuæ variantur, & non manent aliquæ eædem numero, non manebit idem numero corpus. Secundò, quia ſi omnes partes variantur,

ergo

Digitized by

ergo ſemper renouatur corpus per nutritionem, & numquam ſeneſcet, nec ſenio conficietur, quia nulla pars eius permanet toto tempore vitæ, ſed nouas ſemper habet, quod experientia probatur falſum. Ita ſentiunt Alexand. Albert. Nimphus, quos ſequitur Toletus.

Alij verò, vt Philoponus, quem ſequuntur aliqui ex nouio- 104
ribus, alio modo diſtinguũt partes corporis viuentis, ſiue ſpermaticæ, vel nutrimentales, nam quaſdam eſſe aiunt duriores, & ſolidiores, vt oſſa, nerui, & cartilagines, quæ ſemper manent eædem numero, quia non poſſunt conſumi à calore naturali. Aliæ verò ſunt molliores, vt caro; & iſtæ ſemper conſumuntur, & aliæ loco earum ſuccedunt per conuerſionem alimenti: itaque duriores, & ſolidiores augentur, ſed non diminuuntur, & ideo nec variantur, ſed permanent ſecundum identitatem numericam, licet augmentum ſuſcipiant, molliores verò augentur, atque diminuuntur, & propterea variantur ſemper: corpus igitur permanet idem numero à principio vſque ad finem vitæ, propter numericam identitatem illarum, quamuis aliquo modo varietur propter variationem harum.

Probant primo experientia, quia videmus hominem ob grauem infirmitatem deperdere totam ferè carnem; immo & omnes alias partes ſubtiliores, & molliores: oſſa verò, neruos, immo, & cutem cum cæteris partibus durioribus integras permanere abſque vlla diminutione: ergo euidens ſignum eſt, quòd numquam iſtæ partes conſumuntur, vel diminuuntur. Probatur conſequentia, quia nulla poteſt dari fortior cauſa diminutionis. Probatur ſecundo ratione, quia calor naturalis non habet ſummam intenſionem, quam habet calor ignis, ſed valde tẽperatus eſt; & præcipuè reſidet in partibus mollioribus, vt in carne, vt probat experientia: ergo quamuis poſſit molliores partes conſumere parum reſiſtentes, non poterit conſumere duriores, ac ſolidiores; in quibus inuenit reſiſtẽtiam maximam: vnde ſequitur integras permanere ſemper.

Sed hæc opinio quantum ad vtrumque modum eam defen- 105
dendi, contraria eſt doctrinæ Ariſt. & falſa. Probo primum aduerſus vtrumque modum, quia Ariſtoteles eiſdem verbis aſſerit, quòd dum augetur viuens, quælibet pars eius augetur, & dum diminuitur, quælibet pars eius diminuitur; ſed per augmentationem augentur omnes partes, ſiue ſpermaticæ ſint, vel nutrimentales, ſiue duriores ſint, vel molliores: ergo omnes etiam diminuuntur. Euidens eſt Syllogiſmus, & maior non ſolum in ſe eſt certa, ſed conceditur ab authoribus vtriuſque modi. Probatur autẽ minor ex textu 32, huius capitis, vbi ita ait Ariſtoteles:

Aristoteles: *Videtur itaque eius, quod augetur, quæcumque pars aucta esse. Similiter autem, & in diminutione minor generata esse, &c.* & text. 35. *Adhuc autem quodcumque signum, aut maius, aut minus factum esse, &c.*

Primus autem modus dicendi est etiam expressè contra Diuum Thomam 1.p.q.119. art.1.ad 2. Et probatur, quòd sit falsus: primo, ratione eiusdem Diui Thomæ, quia partes nutrimẽtales eiusdem rationis sunt cum spermaticis, & ideo corruptibiles sicut illæ vt os, & caro, quæ de nouo adueniunt per nutritionem eiusdem rationis sunt cum osse, & carne productis per primam generationem, & corrumpi possunt sicut illa, & calor naturalis, à quo corrumpi possunt est idem, & debitè approximatus omnibus: ergo sicut hæc potest corrumpere, sic illa: & est agens naturale: ergo agit circa omnia in quantum potest, & omnia corrumpit: falsum est ergo, quòd illæ partes fi-
106 ne corruptione permaneant per totam vitam. Secundo, quia si prima substantia, in qua generatur homo, non potest corrumpi, sequitur pueros postquam primò geniti sunt, non indigere alimento ad reparandum id, quod per actionem caloris, naturalis deperditum est, sed solum vt augeantur: sed consequens est falsum, & contra experientiam: ergo falsum est etiam, quod nihil corrumpatur de prima illa substantia. Probatur minor, quia euidens est, quod si paruulus statim post quam natus est, non alatur: deficit atque consumitur: quod non potest ex alia causa prouenire, nisi quia calor naturalis incipit statim agere in illam substantiam, eamque consumere, & ideo indiget alimento primo ad reparandum id, quod consumptum est, deinde ad augmentum. Probatur deinde falsum esse secundum modum de partibus durioribus, & solidioribus numquam corrumpendis: primo quia partes istæ nutriuntur per totam vitam, sicut molliores, vt fatentur, qui eum defendũt: & probatur euidenter ex illo principio Aristotelis ab omnibus recepto, quod nutritio fit secundum omnes partes, sicut augmentatio: ergo per totam vitam additur illis aliquid substantiæ nouum: & nihil ab eis detrahitur: ergò fiunt semper maiores, & longiores etiam post statum, & tempore decrementi: & consequenter totus ipse homo procerioris fiet staturæ: immo consequenter sequitur per totam vitam augeri has partes, & nullum habere statum, nec augmentationem intrinsecum terminum. Probatur consequentia, quia si nihil substantiæ ab eis detrahitur per totã vitam: ergo nihil etiam detrahitur quantitatis. Et si semper additur eis noua substantia: ergo etiam noua quantitas, & ita semper fierent maiores, quia nec potest detrahi, nec addi sub-

stantia,

ſtantia,niſi addita,vel detracta quantitate. Secundò,quia de his partibus durioribus, ac ſolidioribus duo ſunt certa; primum, quòd corrumpi poſſint,cum conſtent materia ſublunari; deinde, quòd in eis ſit calor naturalis, quamuis non tantum in eis vigeat, quantum in mollioribus. Ex quibus probatur, quòd corrumpi poſſint,quia calor naturalis eſt agens debitè approximatum reſpectu earum,ſicut reſpectu aliarum:ergo ſicut poteſt illas corrumpere,ita & has, quamuis difficilius,& tardius propter maiorem reſiſtentiam earum. Quemadmodum guttæ aquæ cadentes ſuper lapidem durum, & mollem; vtrumque quidem excauare poſſunt,& excauant,quamuis citius mollem;& durum tardius, etiamſi ſit duriſſimus, propter continuationem:ergo cum ſit continua actio caloris naturalis,aliquid ſemper poterit ab his partibus quantumlibet duriſſimis extrahere.

His opinionibus refutatis,noſtra ſententia explicatur tribus 107
aſſertionibus, quarum prima eſt, in nutritione viuentium imperfectorum, quorum animæ ſunt diuiſibiles, ſimul cum noua parte materiæ aduenit noua pars animæ eductæ de potentia eiuſdem partis materiæ. Ita Scotus in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. artic. 1. Ægidius in 1.diſtinct.5.artic.2.quæſt.3. Marſil. 1.lib.de Generatione,quæſt.11.& 12. Petrus de Mantua tractatu de primo,& vltimo inſtanti. Palat.2.lib. de Anima. Toletus quæſt.9. huius capitis, & iuniores multi. Quàm efficaciter probant argumenta facta contra primam opinionem.

Secunda aſſertio, ſicut omnes partes viuentis augentur; ita omnes diminuuntur; in viuentibus quidem imperfectis, tam ſecundum formam, quàm ſecundum materiam; in viuentibus vero perfectis, ſecundum materiam, & ſecundum extenſionem animæ ad eam informandam. Hæc eſt expreſſa apud Ariſtotelem loco,& verbis citatis contra ſecundam opinionem; & eam tenent Auerroes 1.lib.de Generatione, comm.38. Diuus Thomas in hoc libro lect.14. ad finem,& lect.15. in principio,& 1. p.quæſt.119.artic.1. ad 2.& ibidem Caietanus, Conimbr.1.lib. Phyſic.cap.9.quæſt.5.artic.2. in fine,& omnes ferè nouiores. Et probatur etiam efficaciter argumentis factis contra eamdem opinionem ſecundam.

Aſſertio tertia, non eſt neceſſarium ita diminui omnes partes viuentis, ſaltem duriores, & ſolidiores, vt oſſa, & nerui ſecundum materiam, aut ſecundum formam, vel extenſionem eius, vt nulla earum, quas habuit à principio ſuæ generationis, permaneat eadem numero in fine vitæ, ſed multæ permanent inuariatæ magna ex parte. Hæc eſt contra iuniores quoſdam neceſſarium putantes, quòd omnes partes varientur. Et proba-

tur hoc argumento, nam partes illæ ex propria natura resistunt maxime actioni caloris naturalis, & ex alia parte calor ipse non ita viget in eis, neque ita intensus est: quare licet agat in eas semper, remississima absque dubio actione, & ferè nihil corrumpente; vt probat experientia in infirmitatibus, in quibus licet caro, & aliæ partes molliores multum diminuantur, duriores vero, & solidiores ferè nihil: ergo talis actio caloris in has partes; licet continua sit, non est tamen sufficiens, vt eas totaliter corrumpat. Probatur etiam exemplo guttarum cadentium super durissimum lapidem, quæ licet motu continuo cadant, & per totam vitam, non possunt totum lapidem corrumpere propter maximam resistentiam eius: ergo licet continua sit actio caloris naturalis, numquam corrumpet totaliter duriores, ac solidiores partes viuentis, propter maximam resistentiam earum.

108 Ad testimonium Aristotelis pro prima opinione adductum respondeo, quod dum asserit, augmentationem non fieri secundum partes materiales, sed secundum partes formales; per partes formales non intelligit formam substantialem Physicam, vt Philoponus, & Albertus Magnus affirmant; sed nec partes porosas, hoc est, concauitates illas, quas vocamus poros, vt dicunt Marsil. & Albertus Saxoniæ. Nec etiam partes habentes aliquam operationem in corpore, vt sunt membra eius, vt voluerunt alij. Nec demum partes spermaticas, vt docuit Alexander. Sed ex ipsis verbis Aristotelis duplex expositio vera, & tenenda colligitur: prior est, quod per formam partis intelligatur natura, & species eius, vt caro secundum formam significat carnem secundum speciem, & naturam carnis, per partem verò secundum materiam intelligatur hæc pars, & illa secundum rationem indiuidualem huius partis, vt caro hæc, aut illa, quæ modo producitur per nutritionem, vel deperditur per diminutionem: nam ratio specifica cuiusque rei formalis vocatur, sed indiuidualis quasi materialis; & quia necessaria conditio ad proprium augmentum est, quod permaneat semper idem, quod augetur: & natura, atque species carnis, vel ossis semper manet. hæc verò, aut illa pars carnis, vel ossis deperditur, ac variatur; ideo dixit Aristoteles augmentum fieri secundum formam, aut secundum partes formales, & non secundum materiam, vel partes materiales. Secunda expositio est, quòd per formam partis intelligat Aristoteles, non substantialem, sed illam, quæ constituit quartam speciem qualitatis; & vocatur etiam figura; vt figura manus, brachij, capitis, aut pedis: de qua euidens est, quod permaneat semper eadem

eadem in partibus corporis: per materiam vero, vel materialem partem, hanc vel illam partem manus, vel brachij, quæ accedit, & recedit per nutritionem, vel diminutionem; de quibus constat non semper manere, ideo secundum formam, vel figuram semper manentem dicuntur augeri partes, non secundum hanc, vel illam entitatem materialem passim recedentem, vel de nouo aduenientem. Verba autem Aristotelis, ex quibus vtraque hæc expositio satis apertè colligitur, hæc sunt: *Oportet enim intelligere, quemadmodum si quis mensurabit eadem mensura aquam, semper enim alia, & alia, sic vtique augmentatur materia carnis, & non cuicunque partium aliquid adijcitur, sed hoc quidem defluit, hoc autem aduenit, figura autem, & forma cuicumque particulæ. In his autem, quæ sunt dissimilium partium, hoc magis manifestum, vt manus, quòd proportionaliter aucta est, materia enim altera existens manifesta est magis ipsa forma sui, quàm in carne, & his, quæ similium partium, ideo & mortui magis videbitur esse adhuc caro, & os, quàm manus, & brachium, &c.* Priorem vero expositionem tenet Diuus Thomas 1. par. quæst. 119. artic. 1. ad secundum, & cum eo Toletus quæst. 9. huius capitis, quam sequuntur ferè omnes recentiores. Posteriorem verò sequuntur alij. Testimonium autem sic expositum iuxta mentem Aristotelis nihil probat contra nostram sententiam.

Ad argumentum eiusdem opinionis respondet Diuus Tho- 109
mas in eodem articulo ad quintum, duobus modis contingere, quod varientur partes integrantes alicuius corporis, simul quidem omnes, ita vt loco earum aliæ simul succedant numero diuersæ, vel successiuè paulatim desinentes vna post aliam, & succedentibus etiam successiuè aliis loco earum; & si primo modo varientur, certum est, non posse manere eamdem rem numero, sed dicetur potius desinere esse, & conuerti in aliam, cuius forma succedit in eadem materia. Si verò varientur secundo modo, manebit quidem eadem res numero, licet varientur omnes partes materiales eius. Et hoc modo variantur partes viuentis in augmentatione, & diminutione; nam per actionem caloris naturalis quædam consumuntur, & aliæ succedunt ex conuersione alimenti, & vniuntur eidem corpori viuenti per realem, ac Physicam continuationem, & ideo efficiunt vnum numero, quia vnum continuum, & vnum numero idem sunt, vt docet Aristoteles 5. lib. Phys. itaque licet concedamus in viuentibus imperfectis, variari totam materiam, & totam formam, quam habuit à principio; ita vt nulla pars materiæ, vel formæ permaneat, ex his, quæ in principio generationis habuit;

negandum eſt, quod non ſit idem corpus numero in fine vitæ cum eo, quod genitum fuit in principio: & ratio huius eſt, quia ſolum variantur partes materialiter, non formaliter; hoc eſt, ſolum variantur, vt ſunt entitates incompletæ realiter diſtinctæ, non vt efficiunt vnum numero completum; nam quantum ad conſtitutionem vnius completi, idem, atque eodem modo illud conſtituunt ſuperuenientes, ac illud conſtituebant recedentes, quia continuatio realis efficit eamdem rem numero, licet ex diuerſis partibus entitatiuè diſtinctis; quod in motu, & tempore ſatis manifeſtum eſt; nam licet partes præcedentes deſinant eſſe, & ſubſequentes incipiant, & ideo ſemper ſint diuerſæ partes ſecundum entitatem, ex quibus conſtituuntur ſucceſſiua hæc; realis tamen continuatio efficit, vt ſemper ſint eadem numero, niſi realiter interrumpantur; nam tunc ceſſante continuatione ceſſat identitas numerica.

10 Et ſi dicatur ex hoc ſequi, non alio modo eſſe vnum numero corpus viuens à principio vitæ vſque ad finem, ac dicitur vnus populus, vel fluuius à principio vſque ad finem, quamuis in fine, immo poſt paucos annos nullus homo permaneat ex his, quos habebat prius. Reſpondeo aliquam eſſe ſimilitudinem in exemplo populi, ac fluminis; ſed maximam differentiam, quia populus non eſt vnus numero identitate Phyſica, ſed morali, in quantum diuerſi homines ſuccedentes ſubordinantur eiſdem legibus; corpus vero eſt idem numero identitate Phyſica propter Phyſicam continuationem partium ſuccedentium cum præcedentibus, & præexiſtentibus, & quamuis flumen ſit idem numero identitate Phyſica ratione realis continuationis aquæ, maiorem longe habet identitatem Phyſicam corpus, quod augetur, quia fluuius nullam habet partem aquæ eamdem numero, cum ea, quam habebat prius, ſed omnes fluunt, & ideo ſolum poſſunt idem numero flumen efficere per continuationem, ſed non omnes partes viuentes fluunt, etiam per totam vitam, quin potius ſolidæ, ac præcipue omni ferè ex parte permanent, vt probauimus, quare longe perfectius eſt idem numero in fine vitæ, quàm flumen, cum ſit idem non ſolum per realem continuationem omnium partium, ſed per realem, ac materialem plurium, ac præcipuarum. Hæc autem vera ſunt, etiam ſi admitteremus omnes partes integrantes materiæ, & formæ variari; ſed cum permaneant duriores, & ſolidiores magna ex parte, quę ſunt quaſi fundamentum cæterarum, maiori ratione dicetur permanere idem corpus numero, etiam in viuentibus, quorum animæ ſunt diuiſibiles; & ſi contingat nullas habere partes duriores, vt videtur contingere in quibuſdam reptilibus imperfectis,

fectis, adhuc in his dicimus non variari omnes partes, quia quamuis molliores sint, calor tamen naturalis in eis est debilissimus,vnde numquam eas consumet omni ex parte.

Ad primum argumentum primi modi defendendi secundam 112
opinionem respondeo primò,negando antecedens,quòd omnes partes corporis varientur, nam licet fortè varientur molliores totaliter, de durioribus probatum à nobis est non variari totaliter; & ideo ex parte illarum non sequitur totum variari. Secundo, respondeo, quòd etiam si concedamus variari omnes, neganda est consequentia: quòd non permaneat idem numero corpus in fine vitæ.Et cum dicitur totum non habere aliam entitatem præter entitatem partium, si intelligatur simul vnitarum,concedendum est:minor vero,quod entitas partium sit diuersa, distingui debet; nam duobus modis considerari possunt omnes partes per totum vitæ tempus fluentes,primò secundum entitatem materialem,per quam inter sese distinguuntur realiter;& hoc modo diuersam entitatem habent:si vero considerentur vt vnitæ per continuationem realem,& Physicam, quamuis successiuam,efficiunt eamdem entitatem completam vnam numero; & hoc modo acceptæ non habent aliam entitatem præter entitatem totius,nec totum aliam entitatem præter entitatem earum, sed cum per totam vitam continuentur, efficiunt compositum vnum numero permanens per totam vitam.

Ad secundum neganda est consequentia, quod corpus per totam vitam sic renouetur,vt numquam seneſcat; nam licet renouetur in quantum nouæ partes semper ei aduenium; deficit vero ex parte virtutis conuersiuæ, quæ est calor naturalis; hic enim repatitur semper ab alimento habente contrarias qualitates, & ideo quasi hebetatur, & impotentior fit ad conuertendum alimentum,& dum non tantum potest conuertere, quantum consumpsit de substantia corporis, diminuitur corpus, & debilius redditur, atque consenescit:& quo plus debilitatur calor,magis,ac tandem moritur. Itaque materialiter, hoc est ratione partium aduenientium renouatur, sed formaliter,hoc est ex parte virtutis deficit, atque consenescit.

Sed aduersus hanc doctrinam sic arguo;calor naturalis, quo 113
plus procedit, magis debilitatur, & ideo tempore diminutionis minorem partem alimenti potest conuertere: ergo eadem ratione minorem quoque partem substantiæ consumet, quare numquam diminuetur corpus. Probatur consequentia, quia omnis actio est inter contraria:ergo sicut repatitur à contrario in cõuersione alimenti, & ideo debilior fit virtus eius ad talem conuersionem, repatietur etiam agendo circa partes corporis,

& eas consumendo, & debilior efficietur virtus eius ad easdem consumendas,& minores poterit consumere. Respondeo,concedendo, quod repatiatur in vtraque actione, qua agit circa alimentum, & circa partes corporis, sed multo minus in illa actione, quàm in hac, quia alimentum magis dissimile est, & maiorem habet contrarietatem cum calore naturali ex parte qualitatum,ac dispositionum,quibus afficitur,quam partes corporis,vt per se est manifestum:& ideo longè difficilior est conuersio eius in substantiam,quam conuersio partium in vapores, & excrementa,& plus repatitur calor in vna cõuersione, quàm in alia:quare licet debilitetur in ordine ad vtramque efficiendam, & quo plus procedit, minorem efficiat vtramque : sed multo magis debilitatur in ordine ad conersionem alimenti longe difficiliorẽ, & propterea minus potest de alimento conuertere in statu diminutionis,quàm de substãtia corporis consumere ; & hæc est causa propter quam, quo plus procedit vita hominis magis diminuitur,& tandem moritur.

Sed arguo secundò aduersus eamdem solutionem,quia ex ea sequitur nullo tempore posse augeri viuens, quod est falsum. Et consequentiam probo, quia si aliquo tempore augeri posset, maximè à prima sui generatione vsque ad statum : sed hoc tempore non potest:ergo numquam. Probatur minor, quia si hoc tempore potest augeri, ideo erit ; quia calor naturalis fortior est;& ideo potest plus alimenti conuertere, quàm de substantia corporis consumere : sed hoc est impossibile. Probatur ex solutione præcedenti ; nam si alimentum magis contrarium est,quàm substantia corporis viuentis,vt dicebamus : & consequenter fortius resistit ; & propterea difficilius conuertitur, & magis debilitatur calor ex actione circa illud,quia magis ab eo repatitur : ergo minus conuertere poterit de alimento, etiam tempore augmenti, & plus consumere de substantia corporis minus resistenti : minúsque proinde debilitante eumdem calorem : & ita neque hoc tempore augebitur corpus. Respondeo diuersam esse rationem de tempore augmenti ac de statu, &
114 tempore diminutionis.Et differentia consistit in duobus, quorum primum se tenet ex parte corporis viuentis,& aliud ex parte alimenti : nam dum corpus primò genitum est, duo possunt in eo considerari,primum est,quòd purissimam habeat substantiam ex materia seminis immediate genitam, & ideo nullam habentem admixtionem alicuius aduentitiæ substantiæ, vel qualitatis, aut dispositionis extraneæ, ex parte cuius maioris virtutis est ad resistendum calori, & minori resistentia indiget quia quo purior est,magis est ei cõnaturalis calor,& minorem habet

habet cum eo contrarietatem, & ex consequenti remissius aget calor in eam : quod adeò verum est, vt plures censeant numquam pati, neque consumi ab eo, vt vidimus, & refutauimus. Aliud est, quod in eadem substantia primò producta considerari debet, nempe paruitas materiæ, & quantitatis; defectu cuius tenera, atque imbecilliora sunt membra eius ad exercendas operationes: & licet ratione primi, minus consumatur per actionem caloris; sed ratione secundi, parua consumptio debiliorem eam efficit. Et propterea, nisi breui ei succurratur subministrato alimento, breui etiam peribit. Secundum verò, in quo consistit differentia vtriusque status, tenet se ex parte alimenti, quod in ætate illa subministrari debet: proportionatum quidem teneritudini, ac imbecillitati corporis, quam habet in parua illa quantitate geniti, & ideo talis conditionis, vt facile possit conuerti in substantiam. Et ex vtraque differentia sic explicata intelligitur corpus viuens in prima ætate plus alimenti conuertere, quàm de propria substantia consumatur, sed quo magis augetur, minoris virtutis efficitur eius substantia; quia substantia ei adueniens ex conuersione alimenti aduentitia est, atque extranea, neque ita connaturalis calori natutali propter maiorem admixtionem extraneæ qualitatis: per admixtionem igitur huius aduentitiæ substantiæ puritatem illam amittit prima, cum qua genita est, & debilior efficitur ad resistendum; & maiorem contrarietatem acquirit cũ calore naturali, & ideo magis ab eo consumitur: sed ex alia parte crescente quãtitate eius magis roboratur ad agendum circa alimentum, quod valdè necessarium est, quia alimentum postulat magis solidũ, & ideo difficilius conuertendũ. Quibus ex vtraq; parte cõsideratis intelligitur toto tempore primæ ætatis plus alimenti posse conuertere calorẽ, quàm sit substantia corporis ab eo cõsumpta, & ideo toto illo tẽpore crescere posse.

Ad primum argumentum secundi modi defendendi eam- 115
dem opinionem, negandum est antecedens, quòd tempore infirmitatis non diminuantur partes duriores corporis, semper enim diminuuntur, & sempet reparatur aliquid, vel etiam totum, quod de substantia earum consumptum est, vt probauimus refutantes hunc modum dicendi. Sed quod ex his partibus diminuitur, siue tempore infirmitatis, siue quouis alio pauciſſimũ est, & imperceptibile per sensum, & hoc propter maximam resistentiã earum, & remissam valde actionem caloris naturalis: & ideo nõ iudicat sensus, quod aliquid sit detractum ab eis, sed iudicat intellectus propter efficaces rationes à nobis adductas, per quas sensus debet corrigi, vt sæpe in rebus aliis contingit.

Ad ſecundum conceſſo antecedente, quòd calor naturalis minus vigeat in partibus ſolidioribus, & ideo remiſſius agat circa illas,& magis ipſæ reſiſtant,quàm molliores, neganda eſt conſequentia, quod nihil earum conſumatur per actionem eius, ſed conſumitur quidem pauciſſimum, & quod ſenſu non poteſt percipi, vt iam probauimus.

QVÆSTIO X.

An augmentatio, & diminutio diſtinguantur ſpecie?

116 DVo ſunt circa hanc quæſtionem diſputanda; primum eſt, an augmentatio, & diminutio diſtinguantur tamquam duo motus poſitiui? Secundum, an diſtinctio earum ſit ſpecifica, vel ſolum accidentialis? Et ideo in duas partes diuidenda eſt quæſtio claritatis gratia. Et circa primum aſſerit prima opinio aliquorum;augmentationem, & diminutionẽ eſſe duos motus poſitiuos. Probant teſtimonio Ariſtotelis 5. lib. Phyſ. text. 18. vbi poſtquam ſeparauit motus poſitiuos & propriè ſumptos, qui verſantur inter terminos poſitiuè contrarios, à mutationibus, quæ verſantur inter terminos priuatiuè ſolum oppoſitos, qualis eſt generatio; numerat motus poſitiuos,& aſſerit eſſe tres,nempe motum circa quantitatem, circa qualitatem, & circa vbi: deinde motum circa quantitatem in communi conſideratum aſſerit, non habere proprium nomen, benè tamen in ſpeciali,quia diuiditur in eum,qui tẽdit ad maiorem quantitatem,& vocatur augmentatio;& in eum qui tendit ad minorem, & vocatur diminutio:ergo numerat augmentationem & diminutionem inter proprios motus,& vt tales eos diſtinguit per terminos poſitiuos. Probant idem ratione, quia motum eſſe poſitiuum,vel negatiuum,cognoſci debet ex termino ad quem, à quo accipit quilibet motus ſuam ſpeciem, ſed non minus tendit diminutio in terminum ad quem poſitiuum, quàm augmentatio;ergo non minus eſt motus poſitiuus, quam illa.Probatur minor,quia dum viuens conuertit plus alimenti, quàm amiſit de propria ſubſtantia per actionem caloris naturalis, dicitur augeri, quia acquirit maiorem quantitatem, quàm habebat, & ideo augmentatio dicitur motus poſitiuus, quia terminatur ad maiorem quantitatem: ſi verò minus conuertat de alimento, quàm amiſerat de propria ſubſtantia, dicitur diminui, quia non tantam acquirit quantitatem, quantam habebat prius, ſed minorem; minor verò quantitas eſt terminus poſitiuus: ergo non minus habet terminum poſitiuum

tiuum diminutio, quam augmentatio ; & ideo non minus erit motus positiuus.

Secundò, quia diminutio non est sola deperditio quantita- 117
tis, alioqui non distingueretur à corruptione ; sed tunc dicitur aliquid diminui, quando deperdit aliquid ex quantitate, quam habebat prius,& aliquid etiam retinet,& ideo minorem habet: ergo diminutio tendit per se in minorem quantitatem per deperditionem alicuius;sed minor quantitas est terminus positiuus: ergo diminutio motus positiuus est ; licet negationem etiam quantitatis deperditæ includat.

Secunda opinio tenet augmentationem, & diminutionem non differre tanquam duos motus positiuos,sed tanquam motum positiuum, & negatiuum:ita vt augmẽtatio sit motus positiuus,diminutio verò negatiuus eo fere modo, quo differunt sub genere mutationis generatio, & corruptio. Ita Fonseca 5. Metaph.c.13.q.9.section.4.Conimb.4.lib.Phys.q.2.ar.2.& omnes ferè recentiores:& hæc est probabilior,& tenenda.

Sed, vt eam probemus : tanquam certum supponendum est, diminutionem per se includere deperditionẽ alicuius quantitatis,quæ verè est corruptio eius.quod sic probo;Non est intelligibile aliquid diminui, nisi deperdat aliquid ex quantitate, quam habebat prius,& per hoc diminuitur,quia aliquid deperdit:ergo diminutio per se includit deperditionẽ,vel corruptionem alicuius quantitatis. Antecedens probo,quia diminui est minus esse,quam erat prius:sed non est minus,nisi per deperditionem alicuius,quòd habebat prius:ergo diminutio per se dicit deperditionem, vel corruptionem alicuius quantitatis præhabitæ. Secundò supponendum est,quòd diminutio præter deperditionem non includit acquisitionem alicuius quantitatis: quod non minus efficaciter probat hoc argumentũ.Tota ratio diminutionis in eo completur,quòd aliquis quantitatis præhabitæ deperdatur,& aliquid eiusdẽ permaneat : ex his enim solis intelligitur corpus diminutũ;vt per se patet:sed quantitas permanens non est de nouo acquisita,sed præhabita ante diminutionem simul cũ deperdita:ergo per diminutionẽ nulla quantitas acquiritur.Tertio supponendũ est,quòd præter deperditio- 118
nẽ alicuius quantitatis præhabitæ,& permanentiã alterius,duo solum positiua possunt intelligi in diminutione:vnũ est relatio quantitatis permanentis ad totã illam, quam habebat corpus prius,quã diminueretur, vel ad aliam æqualẽ alterius corporis: dicitur enim quantitas permanens post diminutionem minor, vel inæqualis respectu totius quãtitatis præhabitæ,vel respectu alterius quantitatis æqualis præhabitæ. Et ratio minoris, vel

inæqualis,relatio quædã eſt;& ideo entitas poſitiua. Aliud verò, quod acquirit de nouo quantitas permanens poſt diminutionem, eſt modus eſſendi completus: nam cum eſſet pars totius quantitatis præhabitę ante diminutionem,poſt eam habet modum totius eo modo,quo vna pars aquæ diuiſa ab alia acquirit nouum modum eſſendi completum, cũ ſit iam totũ per ſe ſubſiſtens. Sed neutrum horum poteſt terminare motum poſitiuum per ſe:non relatio, quia ad relationem non datur motus per ſe, nec modus eſſendi completus, quia non indiget motu, ſed ſine illo acquiritur, & per accidens omnino ſequitur reſpectu diuiſionis,vt patet in exemplo diuiſionis aquæ:quia diuiſio ſolũ eſt motus localis,per quẽ nõ poteſt per ſe acquiri,niſi localis præſentia,vel vbi. Eadem autẽ ratione ſequitur modus ille eſſendi completus quantitatis permanentis deperditionem quantitatis præhabitæ,quia nõ indiget motu aliquo,per quẽ producatur,& reſpectu deperditionis per accidens ſequitur:nã cum deperditio ſit corruptio quædam,nõ poteſt per ſe producere,vel per ſe terminari ad modum illum poſitiuum:ergo non terminat motum aliquem per ſe. Probatur conſequentia,quia à nullo agente particulari per ſe producitur:nõ enim à calore naturali corrũpente quantitatẽ deperditam,qui ſolum poterat per ſe intendere productionem alterius corporis in quod reſoluitur ſubſtantia deperdita:& non eſt aliud agens particulare, à quo poſſit produci per motum, ergo nec poteſt per ſe terminare motũ poſitiuum.

219 Ex his tribus ſuppoſitis, & probatis colligitur hoc argumentum efficaciter probans diminutionem non eſſe motum poſitiuum, ſed ſolam deperditionem, vel corruptionem alicuius quantitatis præhabitæ. Per diminutionem non acquiritur per ſe aliquis terminus poſitiuus, ſed ſolum non eſſe quantitatis partialis:ergo non eſt motus poſitiuus, ſed negatiuus. Euidens eſt conſequentia:& antecedens probatum eſt efficaciter ex tribus ſuppoſitis. Licet autem non terminetur per ſe diminutio ad minorem quantitatem permanentem,ſed ad non eſſe deperditæ,connotat tamen ordinẽ ad illã, ratione cuius dicitur quaſi partialis corruptio diſtincta à totali: ſi enim nulla permaneret quantitas,eſſet totalis corruptio eius,& non diminutio. Itaque non diſtinguitur diminutio quantitatis à corruptione eius,niſi tamquam partialis à totali; & hanc diſtinctionem cognoſcimus ex connotato, nempe ex ordine ad quantitatem permanentẽ. Nam ſi aliquid eius permanet,non eſt totaliter corrupta.

Ad teſtimonium Ariſtotelis reſpondeo diminutionem inter motus poſitiuos enumeraſſe;quia licet eſſentialiter ſolum terminetur ad non eſſe quantitatis partialis, conſequenter

connotat

connotat minorem quantitatem permanentem, vel ordinem ad illam quæ ratio quædam positiua est, per quam distinguitur aliquo modo à corruptione totali, & cæteris mutationibus in terminum pure negatiuum tendentibus.

Ad primum argumentum neganda est minor, quod diminu- 120
tio tendat per se in terminum positiuum, nempe in minorem quantitatem, sed solum tendit per se in non esse quantitatis, quæ deperditur. Et dum dicitur motum illum consequentem conuersionem minorem alimenti, per quam producitur minor quantitas, quàm fuerat deperdita, esse diminutionem; negandum est, quia repugnat rem diminui, nisi ratione alicuius deperditionis. Per illum verò motum nihil quantitatis deperditur: ergo non potest esse diminutio, sed per se loquēdo est motus ad quantitatem, quam sequitur per accidens relatio minoris respectu totius quantitatis præhabitæ: diminutio verò in sola deperditione consistit, connotans quantitatē permanētem.

Ad secundum negandum est antecedēs, quòd diminutio non consistat in sola deperditione quantitatis. Et cum dicitur non distingui à corruptione; respondeo non distingui tāquam motum positiuum ab ea; sed tamquam negatiuum partialem à totali; quam distinctionem cognoscimus per cōnotationē quantitatis permanentis, & non censemus esse specificam, vel essentialem, sed accidentalem tantum, quia sicut totum, & pars eius non distinguūtur specie: ita neque corruptio totius, & partis. Propter hanc vero distinctionem accidentalem explicatam per connotatū diminutionis sortiuntur distincta nomina, & numerantur pro diuersis motibus, vel pro motu, & mutatione, nam corruptio inter mutationes, diminutio vero inter motus, quia per se est successiua, sicut augmentatio, licet non sit positiuus motus, sed negatiuus. Et dum dicitur, illud diminui, quod aliquid quantitatis deperdit, & aliquid retinet, distinguendum est, nam licet vtrumque contineat diminutio, non tamen per se, sed solam deperditionem: retinere verò aliquid quantitatis, non per se, sed ex connotato dicit, vt expositum est.

Dubium secundum de modo distinguendi augmentationem, & diminutionem.

SEquitur secunda pars quæstionis, an augmentatio, & dimi- 121
nutio distinguantur specie, vel solum accidentaliter? Circa quam prima opinio aliquorum ex his, qui putant diminutionem esse motum positiuum, tenet distingui specie tamquam duos motus positiuos. Probāt primò, motus positiui per se tendētes in terminos per extremū oppositos, sunt oppositi; & ideo

specie

ſpecie diſtincti,quia oppoſita ſunt ſpecie diſtincta;ſed augmentatio,& diminutio tendunt per ſe in maximam, & minimam quantitatem, quæ ſunt extrema oppoſita quantitatis corporis viuentis: ergo ſunt motus poſitiui per extremum oppoſiti, atque ſpecie diſtincti.Probatur minor,quia viuens per ſe poſtulat maximam quantitatem, vltra quam non poteſt creſcere; & etiam minimam,vltra quam non poteſt diminui, & quælibet augmentatio tendit per ſe in maximam, & quælibet diminutio in minimam:ergo per extremum opponuntur. Secundò probant, quia per diminutionem acquirit quantitas præhabita nouum modum poſitiuum eſſendi formaliter diſtinctum ab eo,quem habebat prius, nempe modum totius completi, cum prius haberet modum partis: ergo habet terminum ad quem formaliter diſtinctum ab augmentatione; ſed motus diſtinguũtur ſpecie per diuerſos terminos formales: ergo augmentatio,& diiminutio diſtinguũtur ſpecie tãquam motus poſitiui.

Secunda opinio aliorum, qui etiam tenent eſſe motus poſitiuos,negat omnino diſtingui ſpecie propter hoc argumẽtum. Quia diſtinctio ſpecifica motuum ſumitur ex terminis ad quos; ſed termini in quos per ſe tendunt augmentatio, & diminutio, ſolum diſtinguũtur accidentaliter: ergo motus ipſi non poſſunt diſtingui ſpecie.Probatur minor, quia terminus per ſe augmentationis eſt maior,vel maxima quantitas; diminutionis verò minor,aut minima;ſed maior, & minor quantitas ſunt eiuſdem ſpecie, vt per ſe patet;eum maius, vel minus in quantitate non variet ſpeciem, ſicut non variat eam magis, & minus in qualitate: ergo ſolum ſunt termini accidentaliter diuerſi.

122 Vt noſtram ſententiam explicemus, hæc diſtinctio præſupponenda eſt:diſtingui aliqua ſpecie, vel genere dupliciter contingit,poſitiuè,& negatiuè. Illa diſtinguuntur ſpecie poſitiua, quæ ſunt entitates poſitiuæ eſſentialiter diuerſæ, vt albedo, & nigredo.Illa vero diſtinguũtur ſpecie negatiua, quorũ vtrumque importat rationem negatiuam formaliter diuerſam; vel vnum rationem negatiuam, & aliud poſitiuam. Et hoc modo diſtinguũtur genere,vel ſpecie generatio, & corruptio, vt in principio huius libri oſtendimus.

Hoc ſuppoſito,noſtra ſententia duo eſſerit:primum eſt,augmentationem, & diminutionem non diſtingui diſtinctione ſpecifica poſitiua tamquam duo motus poſitiui, vt diſtinguũtur calefactio, & infrigidatio contra primam opinionem. Secundum eſt,diſtingui diſtinctione ſpecifica negatiua eo modo, quo diſtinguuntur generatio, & corruptio contra ſecundam.

Proba

Probatur primum ex dictis in præcedenti dubio, in quo probauimus diminutionem solum per se consistere in deperditione alicuius quantitatis;augmentationem vero in productione quantitatis positiuæ maioris: & ideo non distingui tamquam duo motus positiuos, sed tamquam motum positiuum, & negatiuum. Ex quo sequitur non posse distingui specie positiua, quia distinctio positiua non potest reperiri, nisi inter extrema positiua.Probatur secundum, quòd distinguantur specie negatiua,quia motus distinguũtur specie per terminos,in quos tendunt;sed augmentatio, & diminutio tendunt ad terminos distinctos specie negatiua:ergo distinguũtur specie negatiua.Minorem probo quia terminus ad quẽ augmentationis est quantitas maior:diminutionis verò non esse eiusdem: ergo distinguũtur tamquam species positiua,& negatio eius quæ vocatur species negatiua.

Ad primum argumentum primæ opinionis neganda est minor ex ea parte,qua dicit diminutionem per se tendere in minorem quantitatem,sed solum tendit per se in non esse maioris cõnotãdo permanentiã minoris,vt probaui in primo dubio.

Ad secundum distinguendum est antecedens, quod per di- 123
minutionem acquirat quantitas præhabita nouum modum essendi:nam per se loquendo,neque quantitas minor,neque modus essendi eius acquiritur per diminutionem:cum diminutio per se solum sit corruptio alicuius quantitatis præhabitæ: per accidens verò sequitur talis modus essendi quantitatis permanentis, sicut ex diuisione alicuius corporis sequitur per accidens modus essendi completus vtriusque partis. Et ex hoc intelligitur talem modum essendi, vel quantitatem sub eo, non esse per se terminũ diminutionis,sed ad summum per accidens, & ideo non distingui specie positiua,sed solum negatiua, quia distinctio specifica solum sumitur ex termino per se.

Ad argumentum secundæ opinionis neganda est minor ex ea parte,qua asserit diminutionem per se tendere in minorem quantitatem,non enim tendit per se, nisi ad non esse quantitatis maioris,vt probauimus,& ideo non distinguitur accidentaliter ab augmentatione,sed essentialiter,quia esse,& non esse eiusdem rei essentialiter suo modo distinguũtur, vt per se est manifestum. Quæ autem de distinctione augmentationis, & diminutionis dicta sunt,eodem modo debent intelligi de distinctione intensionis,& remissionis sub alteratione,& propterea hanc quæstionem non disputauimus in tractatu de alteratione,sed in præsentem de augmentatione remisimus.

TRACTA

TRACTATVS SECVNDVS,

De rarefactione, & condensatione.

124 RArefactio,& condensatio magnam habent similitudinem, & affinitatem cum augmentatione,& diminutione, vt ex rationibus earum constabit, & ideo proprius locus agendi de illis est post explicationem augmentationis, & diminutionis: tria verò explicanda sunt de vtraque.Primum,an per eas acquiratur noua quantitas,vel deperdatur antiqua:secundum,an terminentur per se ad qualitatem,vel ad quantitatem,aut ad vbi, vel localem præsentiam,tertium, an corpus paruum, cui nihil additur,possit fieri magnum sine rarefactione per diuinam potentiam. Ad hæc verò explicanda,præsupponendum est, quid nominibus ipsis rarefactionis, & condensationis significetur. Rarefactio apud omnes Philosophos antiquiores,ac recentiores significat mutationem corporis,per quam partes eius magis distantes fiunt inter sese, & maiorem extensionem acquirunt,maioremque locum occupant,vel occupare possunt,vt varias opiniones circa quidditatem eius comprehendamus.Densitas verò mutationem corporis, per quam partes eius minus inter sese distantes fiunt, & quasi ad minorem extensionem se recipiunt,minoremque locum occupant, vel occupare aptæ sunt.

Intellecta autem nominum significatione, facilè intelligetur,rarefactionem,& condensationem esse in rerum natura, quod certum fuit semper apud omnes Philosophos: deinde euidens experientia id nobis ostendit: nam videmus rarefieri aquam,& vapores condensari, dum illa maiorem extensionem acquirit,quam prius habebat,& vapores minorem, dum in nubem transeunt.Quid autem vtraque sit, ex tribus quæstionibus propositis constabit,quarum prima est.

QVÆSTIO I.

An per rarefactionem acquiratur noua quantitas, & per condensationem deperdatur?

125 VT perueniamus statim ad difficultatem huius quæstionis,tamquam certum præsupponendum est illud, in quo omnes conueniunt, videlicet per rarefactionem non acquiri nouam

nouam ſubſtantiam, aut nouam aliquam materiam, nec per condenſationem deperdi Cuius ratio eſt manifeſta, quia corpus,quod rarefit,vel condenſatur, ſolum mutatur accidendaliter per nouam aliquam extenſionem,vel quid ſimile:ergo permanet integrum ſecundum ſubſtantiam: quare nullam ſubſtantiam,vel materiam acquirit,vel deperdit. Euidens eſt conſequentia,& antecedens probatur: nam ſi mutaretur ſubſtantialiter, vel deſineret tota eius ſubſtantia, & conuerteretur in alteram,vel aliqua pars eius.Non primum,quia iam rarefactio eſſet generatio ſubſtantialis;ſed nec ſecundum, quia eſſet idem quod nutritio:& vtrumque eſt falſum, & contra omnes, qui tamquam certum præſupponunt,rarefactionem diſtingui à generatione,& nutritione,vt probat euidens experientia;cum videamus aquam condenſari,& poſtmodum rarefieri, & tandem perſeuerare poſt vtramque mutationem: aërem etiam in vtre incluſum per facilem compreſſionem digito factam condenſari, & per dilatationem rarefieri:abſurdum verò eſſet affirmare, quòd per contactum ita facilem corrumperetur tota eius ſubſtantia,vel aliqua pars,& in aliam cõuerteretur.Solum ergo poteſt dubitari,an mutetur corpus, dum rarefit circa quantitatem:ita vt maiorem acquirat,quàm habebat prius:& dum condenſatur aliquam deperdat,& ad minorem reducatur,& de hoc eſt quæſtio præſens.

Circa quam prima opinio tenet, per rarefactionem corpo- 126
ris corrumpi totam quantitatem,quam habebat prius, & produci nouam aliam maiorem, & per condenſationem produci minorem corrupta maiori.Ita Gotifredus, quem citat Scot. in 4.d.22.q.4.Hiſpalenſis in 2.d.18.Pomponacius 2. lib. de Generat.q.10. Probatur,quia ſi non produceretur aliqua quantitas diuerſa per rarefactionem, nec per condenſationem corrumperetur præexiſtens, & produceretur alia minor: ſequeretur totam ipſam quantitatem, vel aliquas partes eius ſimul eſſe in diuerſis locis,vel ſe penetrare in eodem; ſed vtrumque eſt falſum:ergo falſum eſt, quòd ſine productione alterius quantitatis,& corruptione præexiſtentis fiant rarefactio, & condenſatio. Probatur conſequentia, quia corpus per rarefactionem extenditur ad maiorem locum, & per condenſationem reducitur ad minorem:ergo ſi eadem permanet quantitas, occupabit illa eadem antiquum locum,& etiam nouum, ad quem extenditur:& ſi per condenſationẽ eadẽ permanet, occupabit minorem,quod non videtur intelligibile, niſi quædam partes reducantur ad locum aliarum,quod patet non eſſe poſſibile, niſi ſe recipiãt ad eũdẽ locũ,quod eſt ſe penetrare, Secũda opinio non

concedit

concedit produci nouam quantitatem totalem, nec antiquam totalem corrumpi per rarefactionem, sed sine corruptione aliqua totius quantitatis, vel alicuius partis eius asserit posse fieri, non tamen sine productione nouæ partis; neque etiam condensationem, quia aliqua pars quantitatis præexistentis corrumpatur. Ita Scotus vbi supra, Marsil. 1. lib. de Gener. q. 15. Herueus quodlib. 2. q. 15. Buridan. 4. lib. Phys. ad textum 84. Toletus ibi-
127 dem q. 11. & ex recentioribus nonnulli. Probant primò, quia extensio partium in ordine ad locum est propria passio quantitatis: ergo repugnat ex alia causa prouenire, quam ex eadem quantitate, sicut repugnat, risibilitatem ex alia causa procedere, quam ex natura rationali; sed corpus per rarefactionem acquirit maiorem extensionem in ordine ad locum, & natum est occupare maiorē locum: ergo acquirit maiorem quantitatem. Probatur consequentia, quia sicut extensio non potest procedere, nisi à quantitate, ita maior extensio non potest procedere, nisi à maiore quantitate. Et confirmari potest, quia causa efficiens, vel formalis inuariata non potest habere perfectiorem effectum; sed extensio partiun in ordine ad locum procedit à quantitate, & ab ea sola, tamquam à causa efficienti, vel formali: ergo repugnat, corpus habere maiorem, vel perfectiorem extensionem, inuariata quantitate eius; sed corpus per rarefactionem acquirit maiorem extensionem: ergo variatur quantitas eius, & de minori fit maior, quod non est intelligibile, nisi adueniente noua quantitate.

Secundò, quia sic se habet extensio ad quantitatem, sicut intensio ad qualitatem; sed non potest qualitas intendi sine acquisitione nouæ partis qualitatis: ergo nec potest extēdi quantitas sine additione nouæ partis: cōstat verò per rarefactionem extendi; ergo acquirit nouam partem quantitatis.

Tertiò, quia cum aqua in vase rarefit, acquirit noua puncta: ergo nouas partes. Euidens est consequētia, & antecedens probatur: nam si vas solum fit vsq; ad medietatem repletum, puncta aquæ solum correspondent punctis medietatis vasis; post rarefactionem verò cum plenum fit vas, correspondent omnibus punctis totius vasis: ergo acquisiuit aqua per rarefactionem infinita alia puncta, per quæ correspondet infinitis punctis vasis, quibus non correspondebat prius. Probatur consequentia, quia repugnat, quod eadem puncta correspondeam pluribus, & paucioribus.

128 Tertia opinio negat contra duas priores per rarefactionem produci aliquam quantitatem totalem, vel partialem, aut per condensationem corrumpi; sed rarefactionem fieri docet per exten

extensionem eiusdem quantitatis præexistentis ad maiorem locum, condensationem verò per reductionem, vel contractionem eiusdem ad minorem. Ita D. Thom. expressè 4. lib. Physic. lectione 14. his verbis: *Ideò rarum & densum non fiunt per additionem partium subintrantium, vel per subtractionem earumdem, sed per hoc, quòd vna est materia rari, & densi*, & 12. quæst. 52. artic. 1. ad 1. vbi ait: *Alio modo contingit augmentum per solam intensionem absque omni additione, sicut est in his, quæ rarefiunt, vt dicitur in 4. Physic.* Durand. in 1. distinct. 17. quæst. 7. nu. 22. & in 2. dist. 18. q. 1. Capreol. in 4. dist. 12. art. 3. ad 4. Sonzinas 8. lib. Metaph. quæst. 27. §. dico igitur, Nimphus 1. lib. de Generat. comm. 120. & q. 7. Sot. cap. de quantitate in Longica q. 2. & recentiores ferè omnes: & hæc est probabilior, & tenenda. Probatur testimonio Arist. 4. lib. Physic. text. 84. in fine, vbi inquit: *Magnitudo, & paruitas sensibilis mollis, non insuper accipiente aliquid materia extenditur, sed quia potentia est in materia vtriusque, &c.* Quibus verbis excludit quamcumque additionem, totalem, aut partialem in rarefactione.

Sed ratione probatur, primò quòd per rarefactionem non corrumpatur tota quantitas præexistens, & tota alia producitur de nouo, contra primam opinionem, quia quantitas est propria passio materiæ, eique coæua, vel compositi; sed passio non potest corrumpi naturaliter, nec de nouo generari, nisi corrupto, vel de nouo genito composito: ergo si tota quantitas corrumpitur, & alia noua generatur, corrumpentur materia, vel compositum per rarefactionem, & aliud de nouo generabitur, & ita non distinguetur rarefactio à generatione, & corruptione substantiali, quod constat esse falsum.

Secundò, quia omnia accidentia sensibilia inhærent compo- 129
sito, vel materiæ media quantitate, & omnino dependenter ab illa: ergo corrupta quantitate corrumpentur omnia; sed euidens experientia docet, in cera rarefacta, aut etiam in aqua condensata eadem permanere accidentia sensibilia, vt idem calor in cera, eadem frigiditas in aqua: ergo falsum est, quòd quantitas corrumpatur, & generetur alia.

Probatur deinde, quod non producatur per rarefactionem pars quantitatis, nec per condensationem corrumpatur, contra secundam opinionem, ex illo principio ab omnibus admisso, quod per rarefactionem non producitur aliqua pars substantiæ, neque aduenit noua pars materiæ. Ex quo ita arguo. Si per rarefactionem producitur pars quantitatis, vnum ex duobus sequitur, nempe dari accidens sine subiecto, vel penetrationem corporum; sed vtrumque est naturaliter impossibile: ergo etiam

erit impossibile,quòd producatur per rarefactionem pars quantitatis. Probatur consequentia,quia non adueniente noua parte substantiæ, vel materiæ inquirendum est, in quonam subiecto inhæreat pars illa quantitatis de nouo producta : & si dicas in aliqua parte materiæ,vel substantiæ præexistentis,sequitur dari penetrationem. Probatur consequentia,quia quælibet pars materiæ,vel substantiæ, habet suam partem quantitatis : ergo non potest nouam partem quantitatis productam in se recipere, quin habeat duas quantitates, & dabitur penetratio earum : si verò dicas non recipi in aliqua parte materiæ, vel substantiæ præexistentis ; sequitur non habere subiectum, quia nulla pars de nouo aduenit,in qua recipi possit.

130 Tertiò probatur ex mysterio Eucharistiæ, quia experientia constat,species sacramentales vini consecrati condensari posse, & condensari aliquando, postea verò rarefieri, & post rarefactionem continere sanguinem Christi, non minus quàm ante illam : si ergo acquiritur noua pars quantitatis in rarefactione, tria sequuntur inconuenientia. Primum, quod per creationem producatur, & concurrente ad illam causa naturali, tamquam agente proprio. Probo vtrumque sequi, quia nullum est ibi subiectum, de cuius potentia educatur : ergo fit ex nihilo per creationem : & si fortè dixeris educi de potentia quantitatis præexistentis in speciebus, quia cum sit sine subiecto, & ideo per se, habet vicem substantiæ, à qua sustentantur cætera accidentia. Probo esse falsum, quia si de potentia quantitatis educitur : ergo in eadem recipitur tamquam in subiecto,& ita fiet, quod duplici quantitati extensæ correspondeat idem locus, vel spatium, dabiturque penetratio vtriusque. Deinde certum est, non minus propriè concurrere aërem infrigidantem ad condensationem specierum, quàm ad condensationem alterius vini non consecrati ; nam vtraque condensatio naturaliter fit: ergo si per eam producitur quantitas, sequitur produci ab eadem causa condensante species, tamquam ab efficiente proximo, & producitur ex nihilo per creationem : ergo concurrit causa naturalis condensationis ad creationem eius,quod patet esse impossibile. Secundum inconueniens est, quod producatur, & in nullo subiecto inhæreat, sed sine illo sit, quia nulla est ibi substantia, in qua inhæreat. Tertium, quòd detur quantitas sine subiecto,sub qua non contineatur Christus,contra communem modum sentiendi totius scholæ. Probatur consequentia, quia Christus non continetur,nisi sub speciebus consecratis;sed pars illa quantitatis de nouo creata non fuit consecrata:ergo sub ea non continetur Christus : & ideo non potest dari sine subiecto;

quia

Digitized by Google

quia accidentia panis ſolum manent ſine ſubiecto ex vi tranſubſtantiationis,per quam deſinit eſſe ſubſtantia panis conuerſa in corpus Chriſti, in qua inhærebant ; ſed pars illa quantitatis non fuit vmquam in ſubſtantia panis deſinente,tamquam in ſubiecto : ergo ex vi deſitionis eius non poteſt permanere ſine ſubiecto. Ex quibus ſequitur, quòd ſpecies ſacramentales non poſſunt naturaliter rarefieri,neque condenſari,contra communem modum ſentiendi omnium ſcholaſticorum, & contra veritatem ipſam , quia certum eſt, poſſe ab agente naturali calefieri:ergo etiam condenſari;& rarefieri.

Probatur tandem , quia ſi per rarefactionem acquiritur pars 131
quantitatis,& per condenſationem deperditur,idem erunt cum augmentatione, & diminutione ; quia per ſe terminabuntur ad maiorem & minorem quantitatem:conſequens autem eſt contra Ariſtotelem,& omnes ; nam Ariſtoteles ſemper loquitur de his mutationibus tamquam de diuerſis.

Ad argumentum primæ opinionis neganda eſt conſequentia ; & cum dicitur , quantitatem per rarefactionem occupare maiorem locum , concedendum eſt , ſed negandum , quod ex eo infertur , nempe ſingulas partes quantitatis occupare duplicem locum , videlicet antiquum , & nouum , ad quem ſe extendunt ; hoc enim ſequeretur, ſi rarefactio fieret ſine vlla mutatione loci , ita vt quælibet pars corporis immutata prorſus occuparet nouam partem , & antiquam loci ; non tamen ita fit , ſed quælibet extenditur ad nouam partem loci deſerendo antiquam ; maiorem tamen partem loci acquirit , quàm habebat , ſicut maiorem extenſionem ad locum , & ex hoc acquirit totum corpus maiorem locum. Quo autem modo hoc fiat , explicabitur in ſolutione argumentorum ſecundæ opinionis , & eo explicato , conſtabit ex rarefactione non ſequi, quòd partes corporis ſint in diuerſis locis ſimul , vel ſe penetrent in eodem.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis concedendum 132
eſt , extenſionem partium in ordine ad locum eſſe propriam paſſionem quantitatis , vel certè actum propriæ paſſionis eius: nam aptitudo formalis occupandi locum eſt propria paſſio, vt in prædicamento quantitatis explicando proprietates eius adnotauimus. De hac igitur extenſione actuali in ordine ad locum etiam eſt concedendum , quòd non poſſit prouenire ab alia cauſa , niſi à quantitate ſecundum diuerſos modos , vel diſpoſitiones , quibus poteſt ſe habere in ordine ad locum, vel ſpatium loci ; & ideo ſecundum eos poteſt correſpondere maiori , vel minori ſpatio : itaque quantitas ex ſe habet for-

malem aptitudinem, vt sit actu extensa in loco, & etiam habet aptitudinem, vt sic, vel aliter afficiatur in ordine ad locum, & secundum diuersum modum, quo afficitur; diuerso etiam modo se habet ad locum: per raritatem verò ita afficitur, vt partes eius magis sint inter sese distantes; & ideo maiorem habeant extensionem in ordine ad locum, & maiori loco correspondeant; & per condensationem ex opposito sic afficitur, vt partes eius magis sint inter sese coniunctæ, & minus distantes, & ideo minori loco, vel spatio correspondeant. Ex quo intelligitur, non tenere argum. dum sic arguitur. Actualis extensio in loco, vel spatio procedit à quantitate, & à sola quantitate: ergo maior extensio à maiori; nam consequens distinguendum est, ita vt maior extensio procedat à maiori quantitate, vel ab eadem melius affecta in ordine ad locum, quia sicut quantitas est apta ad occupandum locum, ita eadem quantitas est apta, vt diuersis modis afficiatur, & vt diuerso modo se habeat in actuali extensione ad locum, maiorem, vel minorem habens: nam cum actualis extensio in loco sit accidens quantitatis, ex diuersis etiam modis accidentalibus potest variari, sine variatione eius secundum entitatem.

133 Confirmatio verò concedenda est, nempe quòd immutata, vel inuariata quantitas non possit habere maiorem, vel minorem extensionem ad locum; sed dupliciter variari potest, secundum additionem partium, vel secundum diuersum modum se habendi secundum easdem partes; & ita potest vtroque modo, vel ex vtroque capite variari actualis extensio eius in ordine ad locum, siue procedat ab ea tamquam à causa efficiente, siue tamquam effectus formalis secundarius; vtroque enim modo se habens accidentalis effectus eius est, & ita potest ex aliquo accidenti variari, modum enim accidentis habet, respectu quantitatis habere plures, vel pauciores partes, quamuis partes pertineant ad entitatem, vel substantiam eius; & etiam habet modum accidentis, habere easdem partes magis, vel minus distantes inter sese, & illud consequitur per augmentationem, aut diminutionem, hoc verò per rarefactionem, vel condensationem; itaque maior, vel minor extensio actualis in ordine ad locum, non minus potest prouenire ex eadem quantitate accidentaliter variata per rarefactionem, quàm per augmentationem: quamuis extensio partium vt sic, proueniat ex quantitate secundum se considerata, hoc est, abstrahente ab his accidentibus sibi naturalibus, & proportionatis. Et exemplum esse potest in calore secundum probabilem opinionem eorum, qui dicunt, perfectiorem posse effectum producere, si sit in materia densa,

quàm

Digitized by Google

quàm in materia rara, quamuis eumdem habeat gradum intensionis in vtraque. Quo supposito, non sequitur, calefacere prouenit à calore secundum se: ergo perfectius calefacere prouenit à perfectiori calore, nisi fortè sumas calorem perfectiorem pro perfectiori accidentaliter, & quasi extensiuè, & tunc eodem modo se habet quantitas eadem rarefacta; est enim maior accidentaliter per maiorem distantiam partium inter sese, quam habet per rarefactionem. Et ita possumus ad formam argumenti sic respondere; cum dicitur. Extensio in ordine ad locum prouenit à quantitate: ergo maior extensio à maiori quantitate. Distinguo consequens, à maiori substantialiter, aut entitatiuè, vel à maiori extensiuè, & accidentaliter: & in primo sensu non est necessariò verum, benè tamen in primo, vel secundo; & quia eadem quantitas per rarefactionem sit quodammodo extensiuè maior propter maiorem distantiam partium ratione raritatis, quàm erat secundum entitatem, hoc sufficit, vt possit habere perfectiorem effectum accidentaliter, hoc est, maiorem extensionem actualem in ordine ad spatium.

Ad secundum, concesso antecedente, quod per intensionem 134
qualitatis acquiratur noua pars gradualis intensionis, neganda est consequentia, quod per extensionem quantitatis producatur necessariò noua quantitas. Et ratio differentiæ consistit in diuersa natura quantitatis, & qualitatis, nam illa non potest intendi, nisi in ordine ad eamdem partem subiecti per nouam eductionem de potentia eius; noua autem eductio est noua productio partis gradualis, vt per se patet; quantitas verò perficitur per ordinem ad extrinsecum, nempe ad locum, vel spatium, in quo extenditur; & quia in ordine ad spatium potest ex duplici capite extendi magis; videlicet per additionem nouæ partis, atque etiam per maiorem dilatationem earumdem, quam acquirunt per raritatem, à qua habent magis inter sese distare: ideò potest acquirere quantitas maiorem extensionem in spatio sine noua parte acquisita, quod contingit in rarefactione, vt superius expositum est; licet non possit qualitas acquirere nouam intensionem, nisi per additionem nouæ partis.

Ad tertium negandum est antecedens, quòd per rarefactio- 135
nem producantur noua puncta; & cum dicitur, ante rarefactionem aquæ singula puncta eius correspondere singulis punctis medietatis vasis, post rarefactionem verò correspondere etiam infinitis aliis in alia medietate vasis contentis, distinguendum est; nam si intelligatur vtrisque simul correspondere, videlicet his, quibus correspondebant prius, & aliis, quibus correspondent postea, negandum est; si verò successiuè,

concedendum est, ita vt aliis quidem post rarefactionem correspondeant, & non his, quibus correspondebant prius, quod possibile esse intelligitur: quia per rarefactionem eadem quantitas dilatatur, & acquirit maiorem extensionem in loco, & ex consequenti minor quantitas correspondet maiori spatio, quod necessariò debet fieri per mutationem præsentiæ, ita vt totum se extendens ad maiorem locum amittat præsentiam, quam habebat prius, & acquirat aliam, & singulæ etiam partes, & indiuisibilia amittant partialem, aut indiuisibilem præsentiam, quam habebant, & acquirant aliam, & ex consequenti aliis partibus, & indiuisibilibus spatij correspondeant, & non prioribus, quibus ante rarefactionem correspondebant, alioqui permanerent omnino immotæ, quod pugnat cum dilatatione.

136 Sed contra hoc est argumentum difficile, quia ex hac solutione sequitur, nouas partes, & puncta produci per rarefactionem, vel tot partes; & indiuisibilia habere corpus paruum, ac habet magnum, quod non est intelligibile. Probatur consequentia: nam aqua illa ante rarefactionem duplo maior erat vase, post rarefactionem verò adæquatur illi: ergo omnibus, & singulis partibus, & punctis vasis correspondent partes, & puncta aquæ: quare tot partes, & puncta habet post rarefactionem, ac habet vas: ergo etiam ante illam, vel nouas acquisiuit per rarefactionem.

Huic argumento respondent Conimbri. qui nostram sententiam sequuntur c. 5. huius lib. quæst. 17. artic. 4. concedendo, quòd tot habeat puncta, & partes paruum corpus, ac magnum, cum vtrumque habeat actu infinita, & vnum infinitum non sit maius altero. Quod probant hoc argumento; si dentur duo circuli concentrici, hoc est, habentes idem centrum, quorum vnus includat in se alterum, tunc omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam maioris circuli intersecabunt circulum maiorem in puncto, hoc est, tangent in suo transitu punctum aliquod eius: ergo tot erunt puncta in minori, ac in maiori, & consequenter tot partes. Probatur consequentia, quia ad omnia puncta maioris circuli ducuntur lineæ, & per omnia puncta minoris transeunt: ergo non habet maior circulus plura puncta, quàm minor, & consequenter nec plures partes; nec ideò vnum infinitum erit maius altero. Nec soluitur argumentum, si dicatur, non posse duci lineas ad omnia puncta maioris circuli per punctum minoris, vel non nisi per penetrationem, ita vt multæ lineæ transeant per idem punctum minoris circuli; quia euidens est in Mathematicis, quòd à quolibet puncto, in quod

in quodlibet punctum potest duci linea recta: ergo nullum est punctum in minori circulo, per quod non possit linea recta duci, & ideò sine penetratione; nam alioqui aliqua linea posset duci à centro ad circumferentiam maioris circuli, quæ non inueniret punctum, quod tangeret in circumferentia circuli minoris: quod patet esse absurdum.

Hæc tamen solutio supponit falsum, & ideò non potest esse 137
vera; supponit quidem falsum, nempe, quòd tot habeat partes, & indiuisibilia corpus paruum, ac habet magnum, quod falsum esse ostendimus 3. lib. Phys. agentes de infinito, atque efficaciter probantes, quòd licet vnum infinitum sub ratione formali infiniti non sit maius altero, quia ratio formalis infiniti consistit in negatione, aut priuatione, vel per illam saltem explicatur, & intelligitur, priuatio autem, vel negatio in facto esse, qualis est hæc, consistit in indiuisibili, & ideò non suscipit magis & minus, sub ratione tamen materiali pro entitate consurgente ex partibus infinitis euidens est, vnum infinitum esse maius altero, hoc est alias partes continere præter omnes partes alterius. Quod sic ostendo in eodem exemplo maioris & minoris circuli, qui si extendantur in modum lineæ rectæ, euidens est efficere duas lineas rectas, quarum vna sit longior alia. Quo supposito ita arguo: linea maior resultans ex maiori circulo habet totam longitudinem minoris, & plus: ergo habet aliquam longitudinem non contentam in ea, & ex consequenti aliquam entitatem realem præter entitatem eius. Ex quo euidenter sequitur plures partes habere, quia habet tot, quot habet linea minor, & alias præter illas, nempe eas omnes, ex quibus constat longitudo, per quam eam excedit, & consequenter sequitur esse maiorem materialiter, hoc est plus entitatis continentem: quia eo ipso, quòd in eodem puncto concurrerent, non essent lineæ rectæ. Quod argumentum, nisi euidens esset, non posset probari, quod totum esset maius sua parte: nam eodem argumento, & non alio probatur sic procedente. Quidquid continet totum, quod continet aliud, & aliquid præter illud, maius est illo: sed totum continet quidquid continet quælibet pars eius, & aliquid aliud, nempe cæteras partes: ergo est maius qualibet parte.

Et si dicatur, argumentum hoc conuincere in corporibus, 138
vel quantatibus finitis, non verò in infinitis; quia eo ipso, quòd corpus sit actu infinitum secundum magnitudinem, vel multitudinem, repugnat excedi ab alio. Hæc solutio imprimis est manifesta petitio principij, quia pro ratione reddit illud, de quo est controuersia: nam de hoc contendimus, an vnum

infinitum excedere poſſit aliud, aut eſſe maius illo. Deinde eſt contra rationem, quia vna quantitas finita eſt maior alia, quia continet quidquid illa habet, & aliquid aliud non contentum ab illa: ſed hoc idem habet vnum infinitum comparatum alteri, vt per ſe patet: ergo eſt maius illo. Et ſi rurſus dicas, non ſatis eſſe, quòd aliquid contineat vnum, quod non continet aliud, vt ſit maius illo, ſed requiritur, vt id habeat tamquam finita quantitas: & ideo non ſatis eſſe, quòd idem habeat quantitas infinita, quia habet tamquam infinita: apertè petis principium, nam de hoc eſt controuerſia, an infinitum hoc habens ſit maius, ſicut ex hoc eſt maius corpus finitum.

Ad argumentum de maiori & minori circulo concedendum eſt antecedens, quòd à centro ad circumferentiam maioris circuli poſſunt duci lineæ terminatæ ad omnia, & ſingula puncta eius per puncta minoris circuli, ita vt plures non concurrant in eodem puncto eius: ſed neganda eſt conſequentia, quod tot habeat puncta minor circulus, ac maior, ſed habet pauciora in infinitum; per illa tamen poſſunt duci lineæ ad omnia puncta maioris: quia ratione diſpoſitionis circularis pauciora puncta poſſunt correſpondere pluribus: quod probatur euidenter exemplo quadrati hoc modo, ſi ducatur linea inter angulos magis diſtantes quadrati, quæ vocatur diametralis, euidens eſt in Mathematicis poſſe duci lineas rectas ab omnibus punctis vnius coſtæ, ad omnia puncta alterius coſtæ oppoſitæ per puncta diametri, ita vt non concurrant multæ in eodem puncto eius, ſed ſingulæ pertranſeant per ſingula puncta. Deinde non eſt minus euidẽs, quòd ſi eadem linea diametralis ponatur iuxta alteram coſtam, erit duplo longior illa, vel ſaltem eam excedet longitudine aliqua minori determinata. Et tandem euidens eſt, quòd omnes lineæ rectæ, quæ duci poſſunt à punctis eiuſdem coſtæ ad puncta eiuſdem diametri, non poſſunt terminari ad omnia puncta eius, ſed tantum ad illa, quæ continentur in longitudine æquali; quia ſecundum hanc tantum longitudinem poſſunt ſe correſpondere per lineas rectas, vt
139 per ſe eſt manifeſtum. Ex quibus euidenter ſequitur, quòd omnia puncta coſtæ, & omnes lineæ rectæ ductæ ab eis, non ducuntur, nec duci poſſunt ad omnia puncta diametri, cum non ducantur ad puncta illius longitudinis, per quam exceditur coſta ab eodem diametro ſic diſpoſito; nec proinde his punctis diametri correſpondent in hac diſpoſitione, ſed punctis tantum illius longitudinis, ſecundum quam cenſentur æquales, & puncta coſtæ non ſunt tot, quot puncta diametri: ergo eadem puncta coſtæ, & eædem lineæ rectæ ab eis ductæ,

non

non correſpondent tot punctis diametri in hac diſpoſitione poſiti,ac correſpondebant in priori diſpoſitione.Probatur conſequentia, quia in priori diſpoſitione correſpondebant omnibus punctis eiuſdem diametri, & in poſteriori non correſpondent omnibus, ſed ſolum punctis certæ longitudinis eius, vltra quos reſtant puncta alterius longitudinis, per quam diameter in tali diſpoſitione excedit coſtam, quibus non correſpondent. Et ex hoc ſatis aperte colligitur,quòd variata diſpoſitione poſſunt pauciora puncta correſpondere pluribus. Quod eodem modo probatur in eiſdem circulis maiori, & minori: nam ſi protendantur in duas lineas rectas, euidens eſt, lineam rectam maioris circuli longiorem eſſe: ſit ergo in duplo longior, & tunc ſi quælibet ponatur iuxta aliam, medietas lineæ maioris circuli erit æqualis integræ lineæ minoris,& duci poterunt lineæ rectæ ab omnibus punctis huius integræ lineæ,ad omnia puncta medietatis lineæ maioris ei correſpondentis, non verò ad puncta alterius medietatis (per quam exceditur) ſibi non correſpondentis:vnde ſequitur,quòd in prima diſpoſitione circularis figuræ pluribus punctis correſpondebant puncta circuli minoris: in ſecunda verò diſpoſitione lineæ rectæ correſpondent paucioribus.

Et ex tota hac doctrina clarè deducitur ſolutio argumenti 140
principalis à nobis propoſiti de aqua rarefacta correſpondente toti quantitati vaſis, cum ante rarefactionem ſolum medietati illius correſponderet,quod conſequenter habent partes,& puncta eius; correſpondent enim omnibus partibus, & punctis eiuſdem vaſis;ſed non ſequitur,nouas partes,vel puncta acquiſiiſſe;quia poſſibile eſt, immo & neceſſarium, vt probauimus, quòd pauciores partes,& puncta ſecundum diuerſitatem diſpoſitionem correſpondeant pluribus, adquirunt vero diuerſam diſpoſitionem partes, & puncta aquæ per rarefactionem; cum magis diſtent inter ſeſe, & maiorem extenſionem habeant ad locum,ad quem ex conſequenti mouentur,dum rarefiunt.

QVÆSTIO II.

An rarefactio, & condenſatio,per ſe primò terminentur ad quantitatem,vel ad qualitatem, aut ad vbi,ſeu localem præſentiam.

VT intelligatur quæſtio, annoto, quantitatem dupliciter 141
ſumi poſſe. Primò pro ea,quæ eſt ſubiectum, quo medio

inhærent ſubſtantiæ cætera accidentia corporea. Secundò ſumitur pro extenſione ad locum eiuſdē quantitatis, vel alterius rei per ipſam, qua extenſione carere poteſt eadem quantitas, & cætera omnia, quæ eam participant ab eadem quantitate, vt patet in corpore Chriſti, cuius quantitas non habet extenſionem localem, nec dicitur eſſe in loco, niſi fortè per accidens ratione ſpecierum ſacramentalium; & ex hoc infero, extenſionem hanc eſſe modum quantitatis diſtinctum ex natura rei ab eadem quantitate. Hoc ſuppoſito, dum quærit titulus quæſtionis, an rarefactio ſit motus per ſe primò terminatus ad quantitatem, non intelligitur de quantitate primo modo ſumpta, quia ex præcedenti quæſtione conſtat, per rarefactionem, non acquiri nouam quantitatem, ſed de quantitate pro extenſione ad locum.

Secundò certum eſt, per rarefactionem acquiri nouam extenſionem ad locum; atque ex conſequenti nouam præſentiam localem, vt docet expreſsè Ariſt. 4. lib. Phyſic. text. 86. & probat euidens ratio, nam corpus per rarefactionem maiorem locum occupat, quam ante illam: ergo maiorem habet extenſionem ad locum, & maiori ſpatio præſens eſt; ſed nec poteſt habere maiorem extenſionem ad locum, nec maiorem præſentiam localem, niſi deſtructis minoribus; cum conſtet maiorem extenſionem ad locum, & maiorem præſentiam, eſſe nouum, atque diuerſum modum ſe habendi in ordine ad locum, vel ſpatium, incompoſſibilem cum minori: ergo neceſſe eſt, corpus per rarefactionem nouam, atque diſtinctam extenſionem acquirere, nouámque præſentiam localem: an verò res ſint diſtinctæ, vel ſaltem modi realis diuerſi ex natura rei, attingemus poſtea. Quærit ergo titulus quæſtionis, an extenſio localis, vel localis præſentia, vel vtraque ſimul, (ſi eadem entitas realis ſit) per ſe primò terminent motum rarefactionis, & ita non ſit alteratio, ſed motus localis, vel motus ad quantitatem pro extenſione ad locum, aut hos duos motus ineludat, vel potius ſit per ſe primò alteratio terminata ad raritatem, quæ ſit qualitas; conſequenter vero, & quaſi ſecundariò terminetur ad extenſionem, vel localem præſentiam.

142 Et prima opinio aſſerit, rarefactionem per ſe terminari ad maiorem diſtantiam partium inter ſeſe, condenſationem verò ad minorem hoc modo factas, vt cum corpus ſit poris quibuſdam plenum, quæ ſunt concauitates quædam, quaſi partibus eius inſertæ, aliquando partes ipſæ comprimuntur, & per compreſſionem quaſi occludunt eoſdem poros, minoréſque efficiunt, quò magis ad ſe inuicem accedunt, & ex hoc fiunt minus

diſtantes

diſtantes inter ſeſe, & quaſi contrahuntur, & hæc contractio corporis eſt denſitas,& acquiſitio eius condenſatio; aliquando verò dilatantur partes corporis, & maiores fiunt pori & magis ſeparantur partes corporis inter ſeſe; & hæc ſeparatio eſt raritas,eiúſque acquiſitio eſt rarefactio; & cum maior, vel minor ſeparatio, vel coniunctio partium pertineat ad extenſionem in loco,vel ad præſentiã localem,aſſerit hæc ſententia rarefactionem,& condenſationem eſſe motus locales compreſſionis, vel dilatationis.Ita ſenſerunt antiquiores quidam Philoſophi,quos citat,& impugnat Ariſt.4.lib.Phyſ.c.6.ita etiam ſenſit Valleſ.4. lib.Phyſ.tex.84.& controuerſia 27.ad Tyrones,in eo ſolum differens ab eis, quòd illi ponebant poros vacuos omni corpore, Valleſius verò ponit eos corpore aliquo ſubtili, vt vaporibus repletos,& dum comprimuntur partes corporis,cedere eis corpus illud ſubtile,non tamen relinqui poros vacuos, ſed plenos adhuc ſubtiliori alio corpore loco prioris ingrediente, vel eos replente,ſed per compreſſionẽ partium, & per maiorẽ coniunctionẽ inter ſeſe minores fiũt pori,& partes ipſe minus diſtantes,& per dilatationem magis,quod eſt condenſari,& rarefieri.

Argumentum huius ſententiæ vnicum eſt, quia impoſſibile eſt condenſari corpus,vel rarefieri,niſi partes eius comprimantur,vel dilatentur, & magis vel minus diſtantes inter ſeſe fiant, ſed etiam impoſſibile eſt,magis,vel minus diſtantes fieri partes ſolidas, niſi per penetrationem, ſi non ponatur interuallum aliquod inter eas,vel vacuum omni corpore,vel plenum ſubtili,quod facilè cedere poſſit:ergo admittendum eſt hoc neceſſariò,vel impoſſibilis cenſenda rarefactio, vel condenſatio, quo admiſſo, magis vel minus diſtantes fieri partes contingit per motum localem, quo magis ad ſe accedunt, vel magis à ſe recedunt:ergo motus iſte localis acceſſus, aut receſſus eſt rarefactio,aut condenſatio.

Hæc tamen ſententia falſa eſt, & experientiæ repugnat. Et 143
quantum ad primam partem eius ponentem poros vacuos intra corpora,ſufficienter impugnata eſt ab Ariſtotele eodem loco; deinde quantum ad vtrumque ſenſum, probatur eſſe falſam multis experientiis: nam in corporibus cæleſtibus dantur partes quædam denſiores aliis, & tamen intra illas non ſunt pori, & multo minus eſſe poſſunt ſubtiliora corpora, cum & ipſa ſint ſubtiliſſima, atque perfectiſſima, quæ nullum patiuntur aliud corpus intra ſe conſiſtere. Præterea ignis,& aër ſunt corpora rariſſima, intra quæ repugnat dari alia ſubtiliora corpora intra poros eorum conſiſtentia:& de igne euidens eſt, quod tale corpus intra ſe non pateretur, ſed illud conſumeret,

atque

atque etiam aër nullum pati posset præter ignem subtiliorem se; quòd verò ignem intra se non habeat, probat euidens experientia: quia per visum, atque etiam per tactum sentiretur: constat vero non sentiri. Alia denique experientia probari potest falsitas huius sententiæ: quia si aqua calidissima concludatur intra vas vndequaque opertum, dum se reducit ad antiquam frigiditatem, simul condensatur, & cum se etiam reducat ad minus spatium vasis occupandum, disrumpitur vas, ne detur vacuum in illa concauitate vasis, quam deserit, quod non esset necessarium, si poros, intra se haberet aliquo corpore repletos: nam tale corpus ab eo egressum illam concauitatem vasis replere posset.

144 Secunda opinio tenet, raritatem non esse maiorem distantiam partium inter seſe, nec densitatem minorem, nec etiam rarefactionem fieri per dilatationem partium, vel condensationem, aut per compressionem, ita vt vel poros vacuos partes compressæ repleant, vel subtiliore alio corpore repletos patiantur: nec raritatem, aut densitatem esse qualitates aliquas, nec rarefactionem, & condensationem alterationes ad illas terminatas, sed raritatem non esse aliud, quàm maiorem extensionem corporis in ordine ad locum, vel (quod idem est) maiorem præsentia localis, & rarefactio, non aliud, quam acquisitio huius præsentiæ maioris: densitas verò minor præsentia, minorq; extensio in ordine ad spatium, & condensatio acquisitio eius; & cum præsentia localis sit idem, quod vbi ad quod per se terminatur motus localis, consequenter asserit hæc opinio, rarefactionem, & condensationem esse motus locales per se terminatos ad præsentiã localem, vel vbi, sicut cæteros, seu ad maiorem, vel minorem præsentiam, maiorem, vel minorem extensionem in spatio, quæ idem est cum maiori, vel minori præsentia: quare dum rarefit corpus, non mouetur pluribus motibus, sed vnico motu locali sic explicato. Ita recentiores non pauci, ex quibus nonnulli asserunt moueri duplici motu, quia extensionem distinguũt ex natura rei à præsentia locali, & ideo dicunt primò, & per se moueri ad extensionem, & hunc motum esse rarefactionem, vel cõdensationem propriè, ac per se, quam consequitur motus localis ad maiorem præsentiam: & quia extensio localis est aliquid quantitatis, vel proprius effectus eius, & per se diuisibilis sicut ipsa, asserunt constituere speciem aliam distinctam quantitatis continuæ à tribus, nempe, linea, superficie, & corpore: & ideò rarefactionem, & condensationem per se terminari ad hanc speciem quantitatis, & esse motus per se ad maiorem, vel minorem quantitatem, non quidem ad

maiorem,

maiorem,vel minorem quantitatem,prout eſt ſubiectum , quo medio inhærent ſubſtantiæ accidentia corporea (quo pacto augmentatio & diminutio terminantur ad quantitatem) quia nulla talis quantitas acquiritur, vel deperditur per rarefactionem,& condenſationem , vt præcedenti quæſtione probatum eſt;ſed ſunt motus per ſe ad maiorem , vel minorem quantitatem ſumptam pro ſola extenſione maiori , vel minori ad locum.

Probatur hæc ſententia. Primò,quia raritas,& denſitas non 145
ſunt qualitates,ſed ſolum dicunt poſitiones partium in ordine ad locum pertinentes ad extenſionem localem , vel localem præſentiam;ergo rarefactio & condenſatio non ſunt alterationes,ſed motus locales per ſe terminati ad maioré præſentiam localem. Euidens eſt conſequentia : quia motus omnes deſumunt ſpecie à termino ad quem:antecedens verò expreſſum in primis eſt apud Ariſtot.in prædicamento qualitatis his verbis; *Rarum vero, & ſpiſſum, & aſperum , & lene putabuntur quidem qualequid ſignificare:ſed aliena huiuſmodi putãtur eſſe à diuiſione, quæ circa quale eſt: quamdam enim poſitionem magis videntur partium vtrumque monſtrare, &c.* Deinde apud D. Thom. 2.lib.de gener.lect.2.vbi ita ait:*Rarum autem , & denſum, vt in 4. Phyſ. dicitur,non ſunt qualitates Phyſicæ, ſed poſitio partium materiæ ſecundum propinquum in denſo,vel ſecundum remotum in raro.*

Secundò, quia non ſunt multiplicandæ entitates , & multò 146
minus motus ſine vrgenti neceſſitate:ſed nulla vrget neceſſitas ponendi qualitatem,quæ ſit raritas,præter maioré præſentiam localem,nec alterationem per ſe terminatam ad illam, quæ ſit rarefactio:ſed ſufficit pro raritate maior præſentia localis , & minor pro denſitate,& pro rarefactione,& condenſatione ſufficiunt motus locales per ſe terminati ad illas: ergo non eſt ponenda qualitas,neque alteratio,pro raritate,& rarefactione. Minor ſic probatur,ſi aliqua eſſet vrgens neceſſitas ponendi qualitatem præter localem præſentiam,maximè vt modus,quo fiunt raritas,& denſitas,faciliùs intelligatur,vel vt aſſignetur cauſa proxima,& quaſi effectiua maioris extenſionis, vel præſentiæ localis,ſed vtraque ratio,vel cauſa eſt inſufficiens : ergo non eſt multiplicanda propter illam. Probatur minor de cauſa priori,quia tota difficultas intelligendi modum, quo fiat rarefactio,in eo conſiſtit , quod idem numero corpus per rarefactionem poſſit occupare maiorem locum,vel habere maiorem præſentiam in eo abſque aliqua noua cauſa,per quã alio modo afficiatur eadem quantitas,cum idem,in quãtum idem , ſemper ſit natũ facere idem,hoc eſt,non maius,neque minus, ſecũdum

intenſio

intenſionem, vel extenſionem vt poſſit occupare maiorem locum, vel correſpondere maiori ſpatio, quam correſpondebat prius, ſed ad tollendam hanc difficultatem ſufficit aſſignare pro cauſa maioris extẽſionis primas qualitates corporis,nempe calorem,frigiditatem,humiditatem,& ſiccitatem tali modo attemperatas: ergo prima cauſa non eſt ſufficiens; ſed nec ſecunda de cauſa proxima effectiua maioris extenſionis,vel præſentiæ,nempe qualitate, quæ ſit raritas:quia talis qualitas aliquam debet habere cauſam proximam ſuæ productionis in corpore; & hanc ſufficeret aſſignare pro cauſa maioris extenſionis,vel præſentiæ,abſque qualitate media, nempe tale temperamentum corporis,vel diuerſum, ſecundum primas qualitates,à quo poterit ſufficienter prouenire,vt maiorem, vel minorem præſentiam habeat ſucceſſiuè in loco.

147 Probant tandem experientia: quia per ſolam compreſſionem digito factam condenſatur aër in vtre incluſus; ſed non eſt poſſibile,quòd per actionem tam facilem producatur noua qualitas in eodem aëre,quæ ſit denſitas:ergo non eſt ponenda, & conſequenter nec motus,per quem producatur, quæ ſit condenſatio,ſed ſufficit motus localis eiuſdem aëris, quem facilè intelligimus digito poſſe fieri.

Præterea, eadem condenſatio aëris fit per impulſum digito impreſſum,ſed impulſus non eſt productiuus alterius qualitatis,ſed ſolius motus localis,& localis præſentiæ, vt per ſe eſt manifeſtum:ergo denſitas producta in aëre non eſt aliud,quàm minor præſentia localis, neque condenſatio erit aliud, quàm motus localis,per quem per ſe primò producitur. Tertia opinio negat,raritatem,& denſitatem eſſe maiorem, aut minorem extenſionem localem, maiorem aut minorem præſentiam: aſſerit verò eſſe qualitatem quamdam diſtinctam realiter ab his,& priorem natura eis, tamquam cauſam vtriuſque, ita vt per eam diſponatur corpus ad maiorem extenſionem,& maiorem præſentiam localem habendam,vel acquirendam: rarefactionem verò, & condenſationem eſſe motus alterationis per ſe primò tendentes ad has qualitates, ſicut calefactio ad calorem:maiorem verò extenſionem in loco, & maiorem præſentiam conſequi naturaliter rarefactionem. Hæc eſt communis apud antiquos Philoſophos, & interpretes Ariſtotelis:immo eam tenet ex ſanctis Patribus Auguſtinus capit. 12. Cathegoriarum in 1. tomo,Damaſc.capit,12. ſuæ Phyſicæ, Boecius,& Albert. Mag. in prædicamen. quantitatis, autor ſex principiorum capit. de ſitu,comm. 4.lib. Phyſ. text. 84. & ibidem Burleus,Capreol.in 2.diſt. 19.quæſt.1. art.3. Argen.in 2.d.18. quæſt.

quæst.vnica art.4.Durand.ibid.q.1.atque etiam Hispalen.Sonzinas 8. Metaph.q.27.Caietan.3.p.q.77.artic.5. etiamsi simul asserat, rarefactionem fieri cum additione nouæ partis quantitatis:& ex recentioribus multi,& videtur mihi longè probabilior,& tenenda.

Nam in primis eam absque dubio tenet expressè Arist.7.lib. 148
Phy.cap.2.tex.11.& 2.lib. de partibus animalium, c.1. quibus locis enumerat qualitates tangibiles, & inter eas raritatem, & & densitatem:vnde non potest, vel apparens expositio adhiberi his testimonijs ab authoribus secundæ opinionis:testimonium verò ex prædicamento qualitatis adductum ab eis, optimè à nobis exponetur suo loco, sed clarius adhuc loquitur Arist. 4. lib.Phys.text. 86. his verbis:*Densum enim, & rarum secundum hanc contrarietatem lationis factiua sunt, secundum autem ipsum durum,& molle,passionis, & impassibilitatis,& non lationis, sed alterationis magis*. Quibus densum, & rarum causam esse docet duplicis contrarietatis qualitatum, nempe grauitatis, & leuitatis;atque etiam duritiei, & mollitudinis, & in quantum sunt causa primæ contrarietatis, asserit esse causam effectiuam motus localis ab ea effectiuè procedentis.Ex quo euidens argumentum desumo aduersus secundam opinionem hoc modo; Rarum & densum sunt causa efficiens motus localis media grauitate & leuitate : ergo sunt causa efficiens extensionis localis,& localis præsentiæ, quæ sunt terminus per se motus localis Ex quo euidenter sequitur, raritatem, & densitatem, non consistere in extensione locali, vel præsentia locali, sed esse his priora secundum naturam, cum sint causæ efficientes harum. De raro autem & denso loquitur proprijssimè Arist. eo loco, vbi agebat aduersus antiquos Philosophos, qui ponebant dari vacuum intra corpora rara: nam cum videantur partes eorum esse separatas, videtur esse intra illas vacuum: sed arguit Arist, quia vacuum non potest esse causa motus localis,cum eum potius impediat, sed rarum, & densum sunt causa efficiens motus localis,media grauitate & leuitate, quas causant:ergo non potest vacuum consistere in raro. Quod argumentum nullius momenti esset, nisi de raro & denso propriè loqueretur.Idē D.Tho.expressissimè.1. lib.de gen,lect.14. his verbis:*Si aër rarefiat,vel condensetur:dicendam est, quòd talis transmutatio non potest propriè dici augmentum, sed alteratio, fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum, scilicet rari,& densi, &c.*& 3.p.q.77.art.2.ad 3. vbi ita ait, *Rarum, & densum sunt quædam qualitates consequentes corpora ex hoc, quòd habent multum,vel parum de materia sub dimensionibus*.

Deinde

149 Deinde probari potest efficacioribus argumentis, & sit primum: impossibile est eãdem quantitatem prorsus immutatam habere, vel acquirere maiorẽ extensionẽ ad locũ, aut maiorem præsentiam: ergo assignari debet, aliqua mutatio in quantitate prior natura, quã maior extensio, vel maior præsentia, à qua hęc procedát, tãquam à causa proxima; sed non est alia assignabilis præter raritatem: ergo prior natura est hæc maiori extensione, maiorique præsentia: quare nulla harum potest esse raritas, neque acquisitio eius rarefactio. Probatur minor, quia calor, vel frigus, aut temperamentum, quod assignatur ab authoribus secundæ opinionis pro causa maioris extensionis, vel præsentiæ, non potest esse proxima, sed solũ remota: ergo necesse est aliam qualitatem assignare pro causa proxima, & hæc erit raritas. Probo iterum minorem, quia rarefactio est motus localis, per quem corpus mouetur ad maiorem extensionẽ, & præsentiam localem: ergo illa erit causa proxima maioris extensionis, & maioris præsentiæ, quæ fuerit causa motus localis, per quem producitur: sed primæ qualitates, & tale temperamentum earum sunt causa remotissima motus localis: ergo etiam maioris extensionis, & præsentiæ. Probatur minor. Primò, quia proxima causa motus localis, sunt grauitas, & leuitas corporis, & causa proxima harum raritas, & densitas, vt docet expressè Arist. loco proximè citato: & causa raritatis & densitatis proxima est tale temperamẽtum primarum qualitatum, vt docet expressè idem Aristot. 2. lib. de partibus animalium capit. 1. in princip. his verbis: *Humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas materia corporum sunt compositorum, cætera autem differentia eas sequuntur, vt densitas, raritas, grauitas, leuitas, asperitas, lenitas, & reliqua id genus affectiones.* Ergo de primo ad vltimum remotissima causa eiusdem maioris extensionis, maiorisque præsentiæ localis erit tale temperamentum primarum qualitatum. Proximior verò raritas, & densitas media grauitate & leuitate, quæ ex eis sequuntur. Secundò probatur eadem minor, quia per primas
150 qualitates, vel per tale temperamentum earum, non disponitur corpus immediatè ad occupandum locum, vel ad maiorem præsentiam in spatio: ergo non possunt esse causæ, per quas quantitas eis affecta occupet maiorem locum, sed alia erit necessariò assignanda, quæ non potest esse, nisi raritas. Probatur antecedens, quia benè sequitur. Per tale temperamentum non disponitur immediatè corpus ad motũ localem, sed per grauitatem, & leuitatem: ergo neque ad terminũ eius, quæ est maior extensio, vel præsentia, quæ sunt terminus per se illius: solum ergo potest esse remota dispositio. Quòd verò non sit alia

proxima

Digitized by Google

proxima præter raritatem,& denſitatem: probatur,quia cõrpus rarefieri,eſt partes eius magis ſeparari inter ſeſe, & condenſari, magis vniri, atque coniungi ; ſed hæc eſt proxima diſpoſitio ad maiorem,vel minorem extenſionem, & præſentiam,quæ ſtatim ſequitur ex maiori diſtantia partium inter ſeſe: ergo raritas & denſitas afficientes corpus ſunt immediata cauſa,ratione cuius quantitas eius extenditur ad maiorem locum, & acquirit maiorem præſentiam in eo , & ex conſequenti maior præſentia, atque extenſio non poſſunt eſſe raritas , & denſitas, ſed effectus harum.

Secundò ſic probatur. Raritas , & denſitas poſſunt ſeparari 151
ab extenſione,& præſentia locali corporis: ergo non poſſunt in his conſiſtere,ſed diſtingui debent ab eis ex natura rei. Euidens eſt conſequentia, & probatur antecedens in myſterio Euchariſtiæ : nam quædam partes corporis Chriſti ſunt denſiores aliis, aliæ aliis rariores , vt oſſa denſiora ſunt carne , & humores rariores carne , & oſſibus, & tamen conſtat non habere extenſionem in ordine ad locum , neque præſentiam localem, ſicut nec eam habet ipſum corpus : ergo raritas & denſitas reperiuntur ſine maiori extenſione, ac maiori præſentia locali, & ideò non poſſunt in his conſiſtere:& idem poteſt probari de quocumque corpore raro & denſo,vt de aëre,& terra;quia ſicut poteſt Deus conuertere panem in corpus Chriſti , ita poteſt conuertere aërem in terram , quamuis requiratur contrarietas ad conuerſionem:nam aër,& terra contraria ſunt : facta autem tali conuerſione eſſet terra ſub accidentibus aëris nullam habens extenſionem ad locum, nec localem præſentiam,ſicut neutram habet corpus Chriſti ſub accidentibus panis exiſtens ; & tamen haberet naturalem ſuam denſitatem,ſicut cætera accidentia naturalia frigoris & ſiccitatis : ergo raritas,& denſitas non conſiſtunt in maiori extenſione, aut maiori præſentia locali.

Huic argumento reſpondent autores ſecundæ opinionis ne- 152
gando , quod partes Chriſti in Euchariſtia exiſtentes habeant raritatem , vel denſitatem, ſed dicunt eſſe diſpoſitas , vt raritatem, & denſitatem inducant, ſi ſuæ naturæ relinquantur : ideo autem videtur nobis raras eſſe,vel denſas : quia apprehendimus eas ſecundum modum,quem habent in cœlo,aut in cęteris corporibus humanis , & eodem modo negabunt , terram habere denſitatem,ſi eſſet ſub accidentibus aëris in eam conuerſi. Hæc tamen ſolutio falſa eſt, quia rarum & denſum ſic definiuntur,vt docet D. Thom. 1. p.q.92.art.3.ad 1.in 2.d.30.q.2.art.1.& 3.p. q.77.art.2.ad 3.colligens definitiones eorum ex Ariſtot.4.Phyſ. text.84. & lib.7. text. 15. rarum eſt. *Quod parum habet materiæ*

ſub magnis dimenſionibus; denſum verò, *quod multum habet materiæ ſub paruis dimenſionibus*. Sed definitiones iſtæ conueniunt partibus Chriſti in Euchariſtia exiſtentis: ergo ibi habent veram,& formalē raritatem, & denſitatem. Probatur minor,quia euidens eſt, oſſa eius plus materiæ habere, quàm carnem, & iecur plus quàm ſanguinem, & reliquas partes, & hoc ex proprio, ac naturali temperamento, quod in Euchariſtia habere, non poteſt negari, cum habeant ſuum eſſe naturale partes iſtæ; habent etiam ſub minoribus dimenſionibus. Quod ſic probo. Partes iſtæ ſic exiſtentes ſunt occupatiuæ minoris loci, & minorem occupant in cœlo,vbi habent localem extenſionem:ergo minores habent dimenſiones. Probatur conſequentia; quia dimenſiones per ſe primò ſunt maiores, vel minores, non per actualem occupationem maioris loci, ſed per aptitudinem, quam euidens eſt non amittere,etiamſi actuali ordine ad locum careant,ex quibus ſequitur,denſiores eſſe alias,alias verò rariores,quia maioris loci ſunt occupatiuæ.

153 Probatur tandē,quia cum æquali extenſione locali, & etiam cum æquali præſentia ſtat, vnum corpus eſſe magis denſum,vel rarum, quam aliud:ergo raritas, & denſitas non conſiſtunt in maiori,vel minori extenſione,aut præſentia locali: euidens eſt conſequentia. Antecedens ſic probo. Ponamus duo vaſa eiuſdem menſuræ, quorum vnum ſit plenum aqua, aliud verò non plenum,ſed quod minus aquæ eiuſdem prorſus conditionis habeat, quæ calefacta ab igne rarefiat, & ſic rarefacta vas ipſum non minus,quam alia adimpleat.Quo ſuppoſito,ſic arguo. Iſtæ duæ aquæ habent eandem prorſus extenſionem localem, eandemque præſentiā, ita vt neutra habeat maiorem extenſionem, quàm alia,nec maiorem præſentiam;& euidens eſt,poſteriorem habere multo minorem denſitatem:ergo denſitas non conſiſtit in minori extenſione, vel in minori præſentia. Et idem argumentum effici poteſt de raritate, ſi ponamus medietatem eius plenam aqua, & aliam medietatem plenam aëre, tunc enim æqualem habent extenſionem localem,æqualemque præſentiam, & aqua eſt denſa,aër verò rarus: ergo non conſiſtunt raritas,& denſitas in maiori extenſione,vel maiori præſentia locali.

154 Vt autem veritas noſtræ ſententiæ melius intelligatur,& argumenta aliarum facilius ſoluantur, explicandum eſt, quæ ſit ratio eſſentialis raritatis, & denſitatis, vel in quo conſiſtant qualitates iſtæ, & qui ſint effectus formales, ac primarij earum; ex his enim intelligetur quidnam ſit rarefactio, & condenſatio. Notandum igitur eſt primo, raritatem,& denſitatem quatuor præſtare corpori. Primum eſt, quòd partes eius magis

ſint ſe-

sint separatæ, vel disiunctæ inter se, aut magis coniunctæ, vel minus separatæ sine discontinuatione; illud enim habent per raritatem, hoc per densitatem. Secundum, quod præstat corpori, est, quòd minorem habeat multitudinem materię, ac partium quantitatis sub maioribus dimensionibus, vel maiorem multitudinem sub minoribus; illud enim habet corpus rarum, vel rarefactum, hoc verò corpus densum, vel condensatum. Tertium est, quòd maiorem, vel minorem habeat extensionem localem corpus ipsum, & partes eius, maiorem quidem per raritatem, vel rarefactionem, & minorem per densitatem, vel condensationem. Sed in nullo horum trium consistit effectus formalis primarius raritatis, sed duo priora quasi materialia sunt respectu primarij, ac formalis effectus, & ideo ab eo connotantur, quare non potest sine vtroque intelligi. Tertius verò effectus secundarius est, formalis quidem, vel certè in genere causæ efficientis ab ea procedens, secundum diuersos modos loquendi authorum nihil ad præsens institutum referentes: nam cum extra primarium effectum sit, parum refert, vocare talem effectum formalem, vel secundarium efficientis causæ. Vltimum igitur, quod raritas, & densitas præstant corpori, est, quòd maiores dimensiones, aut maiorem molem, vel magnitudinem habeat, vel suscipiat, sine additione nouæ materiæ, aut nouæ quantitatis: & hoc est primarius effectus eius, qui non debet sic intelligi, vt maiores ipsæ dimensiones, aut maior magnitudo sint effectus primarius, & formalis raritatis, vel densitatis; nam maior, aut minor magnitudo corporis, vel maior moles, seu maior dimensio, à quantitate prouenit, non tamen nudè accepta, sed affecta raritate, vel densitate; ergo non potest esse effectus formalis raritatis, aut densitatis, quæ sunt qualitates quædam, sed effectus formalis primarius earum est, constituere corpus rarum formaliter, hoc est, ita illud afficere, vt sic affectus maiorem magnitudinem, & molem, maioresque dimensiones habeat, eadem eius materia, & eadem eius quantitas.

Quatuor ergo modis possunt definiri raritas, & densitas, se- 155
cundum hos quatuor effectus, vt sigillatim explicentur, & testimoniis Aristot. & D. Thom. confirmentur. Primo possunt definiri hoc modo: *Rarum est, quod habet partes distantes à se inuicem:* densum verò, *Cuius partes sibi ipsis propinquæ sunt*, & per has definitiones explicantur secundum primum effectum per rationem intrinsecam eorum connotatum, quas tradit Arist. in prædicamento qualitatis. Secundò definiuntur sic. Rarum est, *quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus*; & densum, *quod multum habet materiæ sub paruis*; & his definitionibus

definiuntur per multitudinem partium etiam connotatam in ratione earum intrinseca; quas definitiones tradidit D.Thom. 3. part. quæstion. 77. artic. 2. ad 3. ex Aristot. collectas 4. lib. Physicor. text.84. & 85. Tertio modo possunt definiri per maiorem, vel minorem extensionem localem, aut localem præsentiam, tamquam per effectum remotum, in hunc modum. Rarum est, *quod sub eadem materia, & quantitate, maiorem habet extensionem localem, aut maiorem præsentiam*, & densum, *quod minorem*; & has definitiones non inuenio apud Aristot. vel D. Thom. nam dum Aristot. cap. de qualitate asserit, rarum, & densum magis monstrare quamdam positionem partium, quàm rationem qualitatis, non de positione partium in ordine ad locum intelligit, sed de positione partium inter sese, vt definitiones ab eo ibidem assignatæ euidenter ostendunt. Vltimo definiri possunt hac ratione. Raritas est *qualitas apta sic afficere corpus, vt ex eius affectione maiorem magnitudinem, vel dimensiones habeat sub eadem materia, & quantitate.* Densitas verò *qualitas apta sic afficere corpus, vt ex affectione eius maiorem habeat magnitudinem, vel minores dimensiones sub eadem materia, & quantitate.* Quas definitiones deductas ex Aristot. 4. Phys.text.84.& 85. attulit D.Thom.1.p.q.92.art.3.ad 1. his verbis comprehensas: *Hoc autem est rarefieri scilicet, materiam eamdem accipere maiores dimensiones*; & censeri debent essentiales; quia assignantur per verum genus raritatis,quod est qualitas, & per ordinem ad effectum formalem, atque primarium eius, vt si definiamus albedinem dicentes: Albedo est qualitas apta facere corpus album.

156 Secundo notandum est, quòd cum essentia quantitatis consistat in extensione partium, secundùm molem, vel magnitudinem, ita vt vna sit extra aliam, & cuilibet debeatur distincta pars loci, perfici potest quantitas in subiecto accidentaliter secundum hanc extensionem, sicut qualitas perficitur accidentaliter secundum intensionem,quamuis diuerso modo;quia qualitas perficitur per additionem partium gradualium pertinentium ad entitatem eius,quantitas verò perficitur secundum extensionem sine additione nouæ partis pertinentis ad entitatem eius; sed ex eo quòd afficitur qualitatibus procedentibus ex tali temperamento subiecti, quæ sunt raritas & densitas, quarum ratione accidentaliter crescit extensio, vel magnitudo eius.Et ratio huius differentiæ sumitur ex diuersa natura quantitatis, & qualitatis; nam cum essentia quantitatis consistat in extensione partium, apta est magis dilatari, vel contrahi, secundum partes, quas iam habet actu per aduentum alicuius extrin

extrinseci, ratione cuius maiorem extensionem acquirũt, quod non habet qualitas; non enim perfici nata est, nisi per partes de nouo educendas de potentia subiecti, vt per se est manifestum. Et ex his intelligitur sensus quorumdam verborum D. Tho. 12. q. 52. art. 2. ad 1. quibus asserit, quantitatem augeri in his, quæ rarefiunt, per intensionem, absque noua additione, quod difficile visum est multis eius interpretibus, ex eo quòd quantitas non suscipit magis & minus, id est, intensionem, & remissionem, vt docet Aristoteles in prædicamento quantitatis: ergo non potest esse verum, quòd augeatur per intensionem in rarefactione. Sensus tamen D. Thom. non caret veritate, & proprietate, iuxta hanc nostram doctrinam; nam cum extensio quantitatis augeatur media raritate, quæ est qualitas habens gradus intensionis in subiecto, verè, & propriè dicitur augeri per intensionem, non propriam, sed raritatis eam afficientis, & augentis eius extensionem.

Ex hac doctrina manet explicatus effectus formalis primarius raritatis & densitatis, qui non est aliud, quàm constituere corpus rarum, vel densum; hoc est, sic eum afficere, vt ex tali esse formali maiorem, vel minorem habeat extensionem accidentalem partium inter se, quæ non est aliud, quàm maior, vel minor magnitudo, aut molles, seu maior dimensio sub eadem materia & quantitate. Deinde colligitur id, in quo decepti sunt authores secundæ opinionis, nempe in eo, quòd vltimum, atque remotum effectum raritatis posuerunt pro essentia eius, nempe maiorem extensionem localem, vel maiorem præsentiam. Quod à priori potest probari esse falsum hoc argumento ex eadem doctrina deducto. Prius intelligitur quantitatem habere maiorem extensionem partium inter se, maiorémque magnitudinem, & mollem, quam intelligatur habere maiorem extensionem in ordine ad locum, maioremq; præsentiam; nam hæc ex illa oritur tamquam effectus ex causa: ergo prius intelligitur; sed eo ipso, quod habet maiorem magnitudinem, sine additione nouæ partis, intelligitur rarefacta, quia non potest intelligi habere maiorem magnitudinem in se secluſa additione partis, nisi per rarefactionem: ergo raritas non consistit in maiori extensione locali, sed in alio priori. 157

Tertio colligitur; quidnam sint rarefactio & condensatio, vel in quo consistat essentialis ratio earum. Est enim rarefactio *motus alterationis per se tendens in raritatem*; & condensatio *motus alterationis per se tendens in densitatem*; cætera enim, quæ per rarefactionem & condensationem fiunt, non pertinent ad essentiam earum, sed vel materialia sunt, & ideò con- 158

notantur per illas, vt dilatatio partium, diſiunctio, vel coniunctio maior earum, maior etiam multitudo partium eiuſdem materiæ, & quantitatis ſub minori magnitudine, remotos quoſdam effectus continent ex eadem quantitate his qualitatibus affecta prouenientes. Vt maiorem extenſionem localem, vel maiorem præſentiam.

Vltimo colligitur, raritatem, & denſitatem poſſe eſſe in corpore non extenſo in ordine ad locum per potentiam Dei abſolutam; quia extenſio maior in ordine ad locum eſt effectus quantitatis rarefactæ, & diſtinctus ab ea ex natura rei; ideò poteſt ab ea ſeparari, & verè ſeparatur in corpore Chriſti in Euchariſtia exiſtenti, cum ſua raritate & denſitate naturali, & ſine vlla extenſione ad locum. Ad argumentum primæ opinionis neganda eſt minor, quòd partes corporis non poſſint fieri magis & minus diſtantes inter ſeſe, niſi per penetrationem, nam per rarefactionem, & condenſationem poſſunt, quia ſic afficiuntur ab his qualitatibus, vt maiores, vel minores dimenſiones recipiant, maiorem, vel minorem magnitudinem, vel molem habeant, & ſub ea maiorem, vel minorem multitudinem partium, & tandem maiorem, vel minorem extenſionem in loco. Quæ omnia conſtant in aëre & aqua, quibus ſi duo vaſa æqualis menſuræ eis repleantur, conſtat maiorem multitudinem partium habere aquam, magiſque inter ſeſe coniunctas, quam aër ſine penetratione.

159 Ad primum argumentum ſecundæ opinionis negandum eſt antecedens, quòd raritas & denſitas non ſint qualitates, etiam ex mente Ariſtot. qui tam expreſsè eas connumerat inter ſecundas qualitates duobus illis locis citatis, ſed quoniam multa operantur in ſubiecto, ideò de illis loquitur diuerſis in locis ſecundum diuerſa, ex quibus illud eſt magis ad ſenſum manifeſtum, quòd partes corporis magis, vel minus diſiunctas, vel coniunctas efficiant inter ſeſe, quod eſt talem poſitionem incontinuo illis conferre, vel diuerſam, & ratione huius effectus materialis non pertinentis ad earum eſſentiam, niſi tamquam connotatum, ſicut pertinet ſubiectum ad rationem accidentis in concreto ſignificati, loquitur de illis in prædicamento qualitatis: in aliis verò locis eas conſiderat ſub propriis rationibus, & effectibus formalibus, atque primariis; & ideò inter qualitates ſenſibiles eas connumerat. Et in eodem ſenſu intelligi debet teſtimonium D. Thom. cum in aliis à nobis citatis de illis loquens ſub propriis rationibus expreſſius doceat eſſe qualitates.

160 Ad primũ argumentũ conceſſa maiori, quòd non ſunt multiplicandæ entitates ſine vrgenti neceſſitate, negãda eſt minor,

quòd

quòd nulla vrgeat necessitas ponendi qualitatem, quæ sit raritas, vel densitas, præter maiorem extensionem localem corporis, aut maiorem præsentiam: quia non est intelligibile, quod corpus immutata prorsus quantitate habeat maiorem extensionem localem: quare necessaria est qualitas aliqua præcedens, per quam sic afficiatur, vt maiores dimensiones acquirat, maiorémque magnitudinem, à qua procedat maior extensio localis, & maior præsentia: hæc autem qualitas non potest esse prima nec temperamentum primarum, quia istæ remotum tantum fundamentum esse possunt maiorum dimensionum: cum per eas, vel earum temperamentum, non ordinetur proximè corpus ad illas, & multò minus ad extensionem localem, sicut nec ordinantur proximè ad motum localem, per quem producitur localis præsentia.

Ad vltimum concedenda est etiam maior, quòd per compressionem digito factam condensetur aër in vtre inclusum: sed minor neganda, quod per tam leuem actionem producatur qualitas: quia si leuis est actio, leue est etiam corpus aëris, & facilè comprimitur, parua est etiam raritas, quæ producitur, sicut solet in subiecto nimis dispositio, vt in stupa leuissima quædam scintilla calorem & flammam producere. Et quod tandem de impulsu obiicitur, quòd non sit productiuus alterius qualitatis, sed solius motus localis, difficultate caret: quia impulsus non producit raritatem per se, sed per accidens, medio motu locali, cuius est principium per se, sicut etiam solet producere calorem per accidens, in quantum motus localis est causa per accidens caloris in corporibus calidis.

QVÆSTIO III.

An corpus paruum, cui nihil materiæ, nec quantitatis additur, possit fieri magnum sine rarefactione per potentiam Dei absolutam.

PRima opinio concedit esse possibile. Ita Magister sententiarum in 2. d. 18. cap. 5. Durand. ibidem. q. 1. Argentina art. 4. Henric. quodlib. 7. q. 9. Altisiodor. lib. 4. summæ q. de veritate humanæ naturæ, Ægid. quodlib 2. q. 11. pro qua referuntur etiam nonnulli expositores sacræ Scripturæ, vt Nissen. oratione 3. de resurrectione, Hugo de sancto Victore lib. 1. de sacramentis p. 6. c. vlt. Nicolaus de Lyra in cap. 2. Genes. Probat Durand. primò, quia si corpus paruum, cui non additur materia, neque 161

Digitized by Google

quantitas, non posset fieri magnum sine rarefactione, ideo esset, quia non posset tale corpus maiores dimensiones accipere, nisi per rarefactionem; sed hoc est falsum:ergo nulla reperitur implicatio contradictionis. Probatur minor,quia maiores, vel minores dimensiones acquirere corpus, prouenit à quantitate, & ad illam pertinet;sed rarefactio tendit ad qualitatem,quæ est raritas:ergo sunt mutationes realiter diuersæ,sicut quantitas,& qualitas realiter distinguuntur, & ideò poterunt separari per diuinam potentiam,& corpus fieri ex paruo magnum per productionem maiorũ dimensionum,nulla existente rarefactione.

Secundò, quia Deus potest facere, quidquid potest materia recipere,siue per potentiam naturalem, vel obedientialem; sed magnum, & paruum sunt in potentia naturali materiæ respectu agentis naturalis,& in potentia obedientiali respectu agentis supernaturalis: ergo potest Deus constituere materiam, vel corpus,cui nihil addatur sub quibuscumque magnis dimensionibus absque rarefactione.Probatur consequentia,quia magnæ dimensiones non minus sunt in potentia eius obedientiali, quàm quantitas, à qua procedunt.

162 Tertiò,quia corpus,cui nihil additur, potest acquirere maiores dimensiones ex eo,quòd partes eius separentur inter sese, & ponantur in diuerso situ, & positione;sed Deus potest partes corporis sic separare sine rarefactione:ergo poterit tribuere tali corpori maiores dimensiones sine illa. Probatur minor, quia difficilius est,corpus existens in vno loco ponere in altero,non relicto priore, quam separare illud ab alio corpore, cui erat loco coniunctum, sed valde probabile est, non repugnare primum;ergo nec repugnabit secundum; quare poterit Deus partes corporis situ & positione inter se coniunctas separare sine vlla rarefactione:præsertim cum talis separatio non sit effectus raritatis,sed quantitatis:per separationem verò partium acquirit corpus rarefactum maiorem magnitudinem, & maiores dimensiones,fitque ex paruo magnum;ergo poterit fieri magnum sine rarefactione per potentiam Dei absolutam.

Secunda opinio tenet,contradictionem implicare,quòd paruum corpus,cui nihil materiæ,vel quantitatis additur,fiat magnum sine rarefactione. Ita D.Tho.in 2.d.18.q.1.art.1.& 1.p. q.92.art.3.ad 1.& ibidem Caiet.Capr.in 2.d.19.q.1.art.1.Greg. d.18.q.vnica,Basol. q.etiam vnica,art.4. Maior, Mayronius, & Dionys. in eadem dist. Sonzin.8. Metaph. q.4.quam sequuntur Conimb.licèt ex parte videantur etiam sequi oppositam.Et hæc videtur nobis probabilior,& tenenda.

Probatur testimonio expresso D. Aug. 10. lib. de Genes. ad literam

literam cap. vlt. vbi agens contra Tertullianum, qui putabat animam noſtram creſcere,& maiorem fieri,ſed numquam poſſe diminui,ita ait: *Quid autem abſurdius, quàm putare, vllum eſſe corpus, manente natura ſua quantitate, quòd vndique creſcat, niſi rarefiat?* Nec loquitur hic Sanctus, vt aliquis putare poſſet, ſecundum communem ordinem rerum,ſed de impoſſibilitate talis effectus per quamlibet potentiam; quia ſi ſic non loqueretur,nihil probaret contra Tertullianum, qui dicere poſſet, per diuinam potentiam creſcere animam,etiam ſi nihil ei addatur, nec rarefiat.

Probatur etiam ratione D. Tho. in poſteriori loco citato, 163
quæ talis eſt. Magnum, & paruum non pertinent ad eſſentiam materiæ, vel corporis ſecundum ſubſtantiam conſiderati, ſed extra illam ſunt;ita tamen, vt in potentia ſit ad vtrumque:ergo implicat contradictionem creſcere,vel maius fieri,niſi mutatis dimenſionibus de minoribus in maiores:mutatio verò circa dimenſiones duobus tantum modis fieri poteſt, videlicet per additionem quantitatis ad quantitatem,aut quia eadem materia, vel corpus ſub eadem prorſus quantitate manens ſuſcipit maiores dimenſiones;additio verò quantitatis nulla fit, vt ſupponimus: ergo ſolum poteſt fieri mutatio circa dimenſiones, ita vt maiores ſuſcipiat idem corpus ſine vlla additione, hoc autem eſt impoſſibile ſine rarefactione:ergo repugnat tale corpus fieri maius ſine illa. Probatur minor,quia proprius, atque formalis effectus raritatis eſt, rarum corpus efficere, ſicut albedinis,efficere illud album; ſed rarum corpus definitur ab Ariſtotele,*Quod maiores dimenſiones ſuſcipiat ſub eadẽ materia & quantitatem*,lib.Phyſ.text.84.ergo repugnat maiores dimẽſiones ſuſcipere,niſi per rarefactionẽ,& ex cõſequẽti maius fieri ſine illa.

Pro ſolutione argumentorum notandum eſt,quod tota diffi- 164
cultas huius quæſtionis conſiſtit in hoc an per ſolam raritatem,vel denſitatem, aut per ſolam rarefactionem, aut condenſationem fieri poſſit, vt partes corporis ſine diſcontinuatione magis ſeparentur inter ſeſe, & vt idem corpus ſub eiſdem dimenſionibus maiorem habeat,vel minorem multitudinem partium, vel etiam poſſit fieri ſine his qualitatibus:nã ſi ſolum per has qualitates fieri poſſit,contradictionẽ implicabit,quòd corpus paruum,cui nihil additur, vel detrahitur, fiat magnum, vel magnum paruum,niſi per rarefactionem, vel condenſationem. Probatur euidenter conſequentia,quia corpus paruum, cui nihil additur,nõ poteſt habere maiores dimenſiones,vel minores, nec eſſe occupatiuum maioris,vel minoris loci,niſi partes eius magis inter ſe ſeparentur, vel coniungantur, & ſub eiſdem

dimenſionibus maior,vel minor multitudo earum contineatur? ergo nec poteſt fieri ex paruo magnum, vel ex magno paruum ſine his. Si verò poſſint magis ſeparari partes, vel coniungi, & maior multitudo earum, aut minor ſub eiſdem dimenſionibus contineri ſine his qualitatibus, etiam poterit ſine eis fieri magnum,vel paruum per potentiam Dei abſolutam.Et prima opinio tenet,ſine his qualitatibus fieri poſſe, noſtra verò omnino negat; quia licet non ſit effectus formalis raritatis maior ſeparatio partium,vel minor multitudo earum ſub eiſdē dimenſionibus; ſed effectus formalis ſit, ſic eſſe affectum corpus, vt maiores dimenſiones ſuſcipiat ſub eadem materia, & quantitate;ſimul tamen, ac neceſſariò connotantur illa & ideò nec eſſe, nec intelligi poteſt ſine illis, ſicut effectus formalis albedinis non poteſt intelligi ſine corpore. Ideò omnino negandum eſt, quòd poſſint partes ſeparari inter ſeſe ſine diſcontinuatione; vel minor multitudo earum ſub eiſdem dimenſionibus contineri niſi media raritate, & conſequenter quòd poſſit corpus paruum, cui nihil additur, fieri magnum ſine rarefactione per potentiam Dei abſolutam.

165 Ad primum argumentum Durandi, conceſſa maiori,diſtinguenda eſt minor, quòd maiores dimenſiones accipere corpus neceſſario ſit effectus quantitatis; nam vel eſt effectus maioris quantitatis, vt patet in corpore, quod augetur, vel eiuſdem tali modo diſpoſitæ, videlicet per raritatem, cuius proprius effectus formalis eſt,ſic diſponere corpus,vt per eamdem quantitatem maiores dimenſiones habeat; quid ſit autem habere,vel accipere maiores dimenſiones, profectò non eſt aliud, quàm eſſe occupatiuum maioris loci, vel ei deberi maiorem extenſionem in ordine ad ſpatium, & maiorem præſentiam localem: Et quod dicitur, rarefactionem terminari ad qualitatem diſtinctam realiter à maioribus dimenſionibus, etiam eſt concedendum,ſed negandum id,quod infertur,nempe poſſe ſeparari per potentiam Dei abſolutam has duas mutationes, videlicet rarefactionem, & acquiſitionem maiorum dimenſionum: quia licèt maiores dimenſiones diſtinguantur à rarefactione realiter,non tamen ſicut vna res ab alia,ſed ſicut modus à re: & ideò diſtinctione reali modali, quam ſolent vocare ex natura rei;nam maiores dimenſiones ſunt modi eiuſdem quantitatis rarefactæ, & propterea comparantur, ſicut ad quantitatem,ſic etiam ad raritatē (ratione cuius,vt formæ ſic afficientis quantitatem ei conueniunt,vel eam ſequuntur) tamquam modi;repugnat verò modum ſeparari à re, quam modificat; cum intrinſeca ratio eius ſit actu modificare.Et exemplum adducere poſſumus

possumus in materia valde simili : nam maiorem quantitatem acquisitam per nutritionem sequitur extensio corporis ad maiorem locum, & motus localis extensionis sequitur motum augmentationis ; & etiam extensio ipsa ad maiorem locum distinguitur realiter à maiori quantitate, atque etiam motus localis, per quem acquiritur, à motu augmentationis ; & tamen repugnat prorsus dari in rerum natura talem extensionem, & talem motum localem, sine maiori quantitate, & sine augmentatione, quam sequitur, quia maior illa extensio modus est maioris quantitatis, & talis motus ad maiorem extensionem localem modus augmentationis, qui non possunt dari in rerum natura, etiam per potentiam Dei absolutam sine maiori illa quantitate, & motu illo, vel mutatione augmentationis, per quam acquiri debet.

Itaque in rarefactione quatuor reperiuntur. Primum est, al- 166
teratio ipsa per se primo terminata ad raritatem, & hæc est rarefactio; secundum, maior moles, aut magnitudo, vel maiores dimensiones corporis, quas raritate affectum acquirit ; & hæc explicantur, & intelliguntur per hoc, quòd eadem quantitas raritate affecta est occupatiua maioris loci, vel spatij. Tertium, maior separatio partium inter sese sine discontinuatione, & simul minor multitudo partium, vel materiæ sub maioribus dimensionibus ; & hoc tertium, tamquam materiale necessariò concurrens ad secundũ connotatur per illud, sicut corpus connotatur per hoc nomen album. Postremum, maior extensio actualis ad locũ, vel maior præsentia localis: & ex his quatuor, primum non potest vllo modo separari à secundo; quia rarefactio non potest dari sine suo termino per se, qui est raritas, nec raritas potest intelligi in corpore sine ordine ad maiores dimensiones eius, nec maiores dimensiones in corpore, cui nulla fit additio sine ordine ad raritatem se afficientem: nec etiã duo hæc possunt separari à tertio : quia licèt materiale sit respectu corporis rarefacti, quòd partes eius magis separatæ sint inter se, atq; etiam quòd corpus ipsum rarefactum minorem habeat multitudinem partium sub eisdem dimensionibus: connotantur tamen nomine concreto rarefacti, sicut corpus connotatur nomine albi, quod satis est, vt repugnet esse sine illo. Tria verò priora non implicat contradictionẽ separari à quarto: quia non solum sunt res distinctæ, atque etiam natura priores, vt statim explicabitur, sed nec habent essentialem dependentiam ab eo,

An verò pro his quatuor ponendi sint quatuor motus reali- 167
ter distincti, non est certum inter authores, sed quidam ex his, qui dicunt, rarefactionẽ non esse aliud, quàm motum localem,

per

per quem acquiritur maior præsentia localis, vnum tantùm motum ponunt in tota rarefactione, putantes extensionem localem, & præsentiam localem non distingui, & ideò non terminare diuersos motus, nec dari præter has qualitatẽ, vel quid aliud acquisitum. Alij verò eas distinguunt, & ideò duplicem motum ponunt; primum terminatum ad quantitatem, quia putant extensionem esse aliam speciem quantitatis distinctam ab his, quæ enumerauit Aristoteles, quamuis sub eis contẽtam, nec dari raritatem, quæ sit qualitas, vel quid aliud acquisitum. Conimbricenses verò tres motus distinguunt in rarefactione, primum terminatum per se ad raritatem, quæ est qualitas, & hunc vocant alterationem: secundum terminatum per se ad maiorem extensionem partium inter sese, quam vocant maiorem magnitudinem, aut maiorem molem; & iste est motus per se terminatus ad quantitatem præexistentem sub nouo modo. Tertium, terminatum per se ad maiorem extensionem localem, vel maiorem præsentiam, quæ idem sunt, & hunc vocant motum localem.

168 Nostra verò sententia tria asserit. Primum est, rarefactionem solum supponere pro alteratione per se terminata ad qualitatem, quæ est raritas iam explicata: & ideò impertinens esse, quòd præter illam ponantur alij motus, vel non. Secundum, præter alterationem ponendum esse motum localem maioris extensionis eam naturaliter consequentem, & omnino similem ei, qui consequitur augmentationem, & hunc motum per se terminari ad vbi, nec esse distinctum pro extensione locali, & pro locali præsentia; sed eumdem. Quod probo hac ratione. Motus localis terminatur per se ad prædicamentum vbi, vt docet expressè Arist. 5. lib. Phys. cap. 2. sed vbi non dicit nudum respectum præsentiæ ad spatium, alioqui non posset per se terminare motum: nam ad relationem non datur per se motus. Præterea non distingueretur prædicamentum vbi, à prædicamento relationis: ergo præter respectum dicit aliquam entitatem realem absolutam, videlicet talem modum se habendi in spatio vero, aut imaginario; sed modus iste absolutus corporis in spatio non potest esse aliud, quàm extensio eiusdem corporis in eo, quia non est excogitabilis alia entitas realis absoluta: ergo integra, & completa ratio prædicamenti, vbi, motum per se terminantis ex vtroque integratur, atque completur, nempe ex modo extensionis localis, & respectu præsentiæ ad spatium: quæ rationes licet aliquo modo distinctæ sint, tãquam absoluta & respectiua, hæc tamen intrinseca est illi, & in ea includitur, quia non est intelligibilis extensio corporis in spatio

sine

ſine reſpectu præſentiæ ad illud, non ergo diſtinguuntur duæ iſtæ rationes ex æquo, ſed ſolum diſtinctione includentis, & inclusi, & ideo reſpectus præſentiæ incluſus intrinſice in extenſione complet rationem prædicamenti vbi, terminantis per ſe motum localem. Sed nec benè procedũt alij, qui ſic diſtinguũt 169
extenſionem localem à præſentia, vt velint poſſe ſeparari inter ſe, quia dicunt, corpus per totum ſpatium motum ſemper habere eamdem extenſionem localẽ, quia ſemper eſt eadẽ quantitas eius, ratione cuius dicitur præſens ſpatio; ſed non ſemper habere eamdem præſentiam, ſed diuerſam, ſecundum diuerſas partes ſpatij, quibus præſens efficitur per motum. Hoc tamen efficaciter probatur falſum in motu locali conſequente rarefactionem, de quo loquimur, immo etiam in motu locali conſequente augmentationem: nam ſicut corpus rarefit, & augetur ſucceſſiuè, ita acquirit ſucceſſiuè maiorem extenſionem localem, cum qua euidẽs eſt, non poſſe permanere minorem, quam habebat prius, alioqui adderetur quaſi fragmentum extenſionis pro noua magnitudine, vel quantitate acquiſita, & noua pars loci, vel ſpatij, quæ falſa ſunt; nam ſicut corpus rarefactũ, & auctum, nouum, atque diſtinctum locum totalem occupat, deſtructo priori, ita nouam, atque diſtinctam acquirit extenſionem ſibi adæquatam, ſicut nouam, & adæquatam præſentiam, corruptis prioribus, licet vtraque ſit partialis comparata ad eã, quam ſucceſſiuè acquirit corpus in toto ſpatio, cum neceſſe ſit, terminum motus localis completum, à quo ſpecificatur, diuiſibilem eſſe in infinitas partes proportionales, & in partes aliquotas finitas, ſicut motum ipſum; & in motu locali propter ſpecialem eius rationem neceſſe eſt ſingulas partes termini deſinere aduenientibus nouis, ſicut deſinunt ſingulæ partes motus.

Tertium, quòd aſſerit noſtra ſententia, eſt probabile eſſe, 170
quòd in rarefactione præter alterationem, & motum localem maioris extenſionis eam conſequentem ponẽdus ſit alius, qui per ſe terminetur ad maiores dimenſiones, vel maiorem extenſionem accidentalem partium corporis inter ſeſe, quam vocamus maiorem magnitudinem, aut molem accidentalem. Ita ſentiunt Coniumbricenſes, & probatur hac ratione. Maior hæc extenſio, vel maior magnitudo accidentalis, quam acquirit corpus per rarefactionem, eſt modus realis eiuſdem quantitatis rarefactæ nouus, atque diſtinctus ex natura rei ab ea, cum acquiri poſſit, & amitti illa permanente, eſt etiam diſtinctus ex natura rei à raritate terminante rarefactionem: ergo petit diſtinctum fieri, & per ſe ſucceſſiuum, cum habeat propriam, &

poſitiuam

positinam latitudinem sicut quantitas rarefacta, quam sequitur:ergo petit distinctum motum. Probatur consequentia,quia fieri per se successiuum,motus est. Ad secundum argumentum eiusdem opinionis cõcedenda est maior,quòd possit Deus producere in materia,quidquid est in potentia naturali, vel obedientiali eius,sed minor distinguenda, quòd recipere maiores dimensiones sit in potentia materiæ;non est enim in potentia eius immediatè, sed media quantitate, à qua proximè proueniunt extensio,magnitudo,maior extensio, & maior magnitudo, vel maiores dimensiones,à quantitate verò ita proueniunt, vt vel à maiori, vel ab eadem rarefacta: & ita solum per hæc media possunt à Deo produci ex potentia totius substantiæ corporeæ, in qua recipitur quantitas, tamquam in proximo subiecto, & ex potentia materiæ tamquam ex radice, & non immediatè in eo sensu, in quo existimat produci posse prima sententia,sicut nec esse album potest Deus producere in corpore,nisi media albedine,vt iam fuit expositum.

171 Ad tertium neganda est etiam minor, quòd partes corporis non rarefacti possint sine discontinuatione magis separari inter sese:& dum dicitur,posse vnum corpus per diuinam potentiam separari ab vno loco, & poni in altero,non relicto primo, sed ita vt simul sit in vtroque concedendum est,sed negandum, quod infertur, videlicet,posse vnam partem eiusdem corporis non rarefacti sine discontinuatione magis separari ab alia, ac prius erat; quia maior separatio partium corporis inter se includitur in esse rari,vel rarefacti(quod est effectus formalis raritatis)tamquam materiale cõnotatum per illum, sicut corpus includitur in esse albi,quod est effectus formalis albedinis; vnde sicut implicat contradictionẽ,dari corpus vt materiale connotatum per concretum albi,quin afficiatur albedine,ita repugnat dari corpus habens partes magis separatas inter sese, quin afficiatur raritate.Quod probare possumus experientia,si accipiamus corpus densum,& excogitemus partes eius magis inter sese disiungi, vel separari: nam vel separantur permanentes in eadem densitate, vel amittentes illam; & prior separatio non est intelligibilis sine discontinuatione, nec secunda sine raritate;quia necesse est,vt corpus habens partes ita disiunctas minorem multitudinem partium contineat sub maioribus dimẽsionibus, quod est rarum esse,vel rarefactum,vt superius probauimus;& ideò repugnat,talem separationem partium fieri sine discontinuatione,nisi per rarefactionem.

CAPVT

CAPVT VI.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem oportet primum de materia, & de vocatis elementis dicere, &c.

Textus Expoſitio.

INtentum Ariſtot. in hoc cap. 6. eſt explicare, an neceſſarius ſit contactus inter agens, & paſſum. Diuiditur autem in duas partes, in priori proponit neceſſitatem agendi de contactu corporum, in poſteriori explicat tres modos, quibus poſſunt corpora ſe tangere; & docet, quo ex his modis ſummatur impræſentiarum contactus. 1

Ad primam partem capitis accedens, Ariſt. ait, agendum ſibi eſſe in ſequentibus de elementis, & natura eorum, atque etiam de modo, quo inter ſeſe admiſcentur ad componendum mixta: & cum certum ſit, per mutuam actionem, & paſſionem admiſceri, agendum ſibi eſſe de mutua actione, & paſſione, quam inter ſeſe exercent. Et tandem, cum ad hanc mutuam actionem, & paſſionem exercendam neceſſarius ſit contactus, de contactu agendum eſſe, prius quàm ad alia explicanda procedatur. Tribus modis ſumitur cõtactus; primo modo illa dicuntur ſe tangere, quæ cum diuerſas magnitudines habeant, atque diuerſum ſitum, eorum extrema ſimul ſunt. Exemplum aſſignare poſſumus in quibuſcumque corporibus, inter quæ nõ mediat aliud, & talis contactus non eſt propriè Phyſicus, ſed etiam conuenit corporibus Mathematico modo conſideratis, & propterea poteſt vocari Mathematicus, vt ſi conſideremus duas quantitates immediatas, non conſideratis ſubſtantijs, in quibus ſunt, dicemus ſe tangere, quia conuenit eis eſſe in loco, & habere diſtinctum ſitum, atque etiã extrema ſunt ſimul, & hoc modo ſumpſit Ariſtot. contactum 5. lib. Phyſic.

Secundo modo dicuntur aliqua ſe tangere, quæ cum diſtincta loca naturalia habeant, & mutuo ſint actiua, & paſſiua, eorum extrema ſimul ſunt, vt aër, & aqua, vel etiam alia corpora naturalia in eis exiſtentia, & contactus iſte conuenit corporibus ſub conſideratione Phyſica acceptis, & ideò non eſt communis Mathematicis, nec Mathematicus vocatur, ſed propriè Phyſicus. Quod ex conditionibus, per quas explicatur, manifeſtum eſt: nam prima aſſerit, ea, quæ ſe tangunt, habere diſtincta loca naturalia, locus autem naturalis, & Mathematicus 2

diſtin

distinguuntur, quia iste solum dicit vltimam superficiem circumscribentem: naturalis verò præter hanc addit qualitatem conseruatiuam locati, vt locus aquæ frigiditatem, aut humiditatem. Secunda verò dicit esse mutuo actiua, & passiua, Mathematica autem corpora, vt talia nihil de actione, & passione dicunt. Tertio modo sumitur contractus communissimè, & ideo impropriè, prout conuenit cuicumque mouenti, quod vt explicet Aristoteles, duo adnotat. Primum, quòd sicut ea, quæ mouent alia, quædam ita mouent, vt non moueantur (& ita se habent intelligentiæ mouentes corpora cælestia, à quibus non mouentur) alia mouent simul, & mouentur ab alijs, vt primum mobile mouet corpora cœlestia inferiora, & simul mouetur à sua intelligentia. Ita se habent agentia, nam quædam ita agunt, vt simul patiantur ab his, circa quæ agunt, vt ignis agens in aqua repatitur ab ea: alia verò agunt, sed non patiuntur, vt corpora cœlestia circa hæc inferiora, à quibus non patiuntur.

3 Secundum, quod adnotat, est, agens, & mouens se habere tamquam superius, & inferius, nam quidquid agit, mouere dicitur, non tamen omne, quod mouet, dicitur agere: nam sicut pati propriissimè acceptum non dicitur de quocumque recipiente, sed solum de eo, quod per receptionem disponitur ad corruptionem; ita agere propriissimè acceptum non significat quomodocumque mouere, sed per impressionem qualitatis disponentis ad corruptionem, quod est mouere alterando; sic autem speciali, & propriissimo modo sumitur agere in hac parte, quia consideratur in ordine ad mixtionem elementorum, & ita sumptum cõstat minus vniuersale esse, quàm mouere, quia hoc demouente localiter, & quouis alio genere motus dicitur. His suppositis asserit, tertiam acceptionem contactus communissimam esse, & ideo nimis impropriam, secundum quam omne mouens dicitur tãgere motum, quomodocũque illud moueat, vt is, qui dolore nos afficit, dicitur nos tangere, licèt nos eum non tangamus, & corpora cœlestia dum inferiora mouent, ea dicuntur tangere, licèt ab his non tangantur. Vnde fit, tactum secundum primas duas acceptiones Mathematicã, & Physicam, reciprocum semper esse, ita vt quod tangit aliud, necesse etiam sit ab eo tangi. Secundum vltimam verò non necessario est reciprocus, sed potest se tenere ex parte vnius tantum, & ideo valde improprius est. In præsenti autem capite solum sumitur in secunda acceptione, atque propriissima, quę respectu aliarum inferior est, & ideo vtramque includit, sed à neutra includitur. Quinto autem lib. Phys. desumitur ab Aristotele in secunda acceptione simpliciter propria.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vtrùm agens naturale poſſit agere in paſſum diſtans nihil agendo in medium.

NOn quærimus modò, an agens naturale poſſit agere in 4
rem abſentem, vel diſtantem à ſe, vel ſolum in præſentem; iam enim hoc diſputauimus 7. lib. Phyſ. c. 2. non ſolum ſecundum potentiam naturalem, ſed etiam ſecundum abſolutam Dei; ſed ſolum quærimus, an poſſit agere in rem præſentem, hoc eſt contentam intra propriam ſpheram actiuitatis ſine contactu, vel neceſſe ſit eam tangere, vt docet Ariſt. c. præſenti. Vt autem intelligatur quæſtio, diſtingui debet duplex contactus, formalis, & virtualis. Formalis dicitur ille, quo ſe tangunt duo corpora contigua, quorum vltima ſunt ſimul, de quo egit Ariſt. 5. lib. Phyſ. Contactus iſte reperitur inter aërem, & aquam in ſuis ſpheris exiſtentes. Alter eſt contactus virtualis, quo vnum tangit alterum, non per ſe, ſed per ſuam virtutem; ita vt inter paſſum, & virtutem agentis nullum detur medium; & contactus iſte non ſolum reperitur inter agentia ſpiritualia, & corporea, vt inter Angelum, & corpus, quod mouet, ſed etiam inter corpora ipſa: nam Sol agens in hæc inferiora corpora, dicitur ea tangere, non quidem tactu formali, cum non ſit corpus eis contiguum, ſed valde diſtans, tangit verò ea per virtutem à ſe diffuſam ab eis non diſtantem: ſed in contactu iſto virtuali inter corpora reperto etiam reperitur formalis, non eiuſdem corporis, cui conuenit primus, ſed alterius, per quod eamdem virtutem diffundit, vt in eodem exemplo patet: nam Sol agens in aquam dicitur eam tangere media luce diffuſa per aërem vſque ad aquam ipſam, ſed non poſſet eam hoc modo tangere, niſi aër ipſe, in quo recipitur virtus, & per quem exercetur actio, eam tangeret contactu formali. Quærimus ergo, an neceſſe ſit agens naturale vno, vel alio modo tangere paſſum intra ſpheram ſuæ actiuitatis conſtitutum, vt in illud agat, vel agere poſſit nullo modo illud tangendo; loquimur autem de agente immediato, quod per ſe operatur, & non de remoto, de quo nulla poteſt eſſe difficultas, & ſi contactus ſit neceſſarius, non poterit agens naturale agere in diſtans, non agendo in medium; ſi verò poſſit agere ſine vllo contactu, poterit etiam operari in extremum, non agendo in medium. Poteſt autem quæſtio hæc in duplici ſenſu agitari, naturaliter, & ſecundum potentiam Dei abſolutam.

Et primo disputabitur a nobis in primo sensu, deinde aliquid dicemus de secundo.

5 His suppositis, certum est primò, contactum non requiri tamquam rationem formalem agendi, quia agentia naturalia per virtutes in se existentes operantur, tamquam per rationes formales agendi, vt ignis per calorem: contactus verò quicumque non est virtus, vel forma agentis, sed solum in simultate agentis, & passi consistit: ergo non potest esse ratio agendi, sed solum potest esse conditio: inquirimus verò, an sit conditio necessaria, sine qua agens non possit agere.

Secundò, certum est, per contactum non solum intelligi immediationem duorum corporum discontinuorum: quia euidens est, vnam partem eiusdem corporis agere in alteram sibi continuam non habentem eamdem formam, sed habere potentem, vel non habentem in eodem gradu, vt si vna pars ligni calefacta calefaciat aliam sibi continuam frigidam, sed intelligitur quæcumque immediatio, vel propinquitas agentis, & passi, siue continua sint, vel contigua.

6 Tertiò etiam videtur certum de agente partiali, quòd possit agere in distans, nihil agendo in medium, si medium tam perfectam habeat formam, ac habet agens ipsum. Constat hoc in igne agente in lignum, cuius partes profundæ non tangunt lignum, sed superficiales tantum, & nihilominus immediatè agunt omnes circa illud. Non est enim verum, quod quidam excogitant, videlicet remotiores partes in isto casu non agere immediatè, sed per partes proximas, quibus suam virtutem imprimunt, & per illas transmittunt ad passum: nam cum omnes partes ignis habeant summum calorem, impossibile est, proximiores recipere calorem ab aliis, vel has eis imprimere eumdem calorem. Sed nec verum est, immo planè ridiculum, quod voluerunt alij, nempe solum agere extrema corporis, vel partem indeterminatam, cui proximè adhærent extremæ superficies eius, reliquum verò corpus sicut per se non tangit passum, ita per se non agere, hoc enim contrarium est euidenti experientiæ, quia si solum ageret ignis per extremas superficies, solum posset imprimere indiuisibilem caloris; & si solum ageret per quandam partem indeterminatam minorem, atque maiorem in infinitum, non posset habere tantam vim agendi, quantam habere experimur: præterquam, quòd cum passum sit determinatum corpus, & effectum quoque determinatum recipiat ab agente, determinatum quoque esse debet agens, & non sola quædam indeterminata pars. Veritas igitur est, corpus per omnes partes immediatè agere, & partes omnes

æquè

æquè etiam immediatè operari, quia virtus operatiua completa, atque totalis eius, per quam operatur, vna est ex omnibus partibus æquè immediatè composita, & ideò sicut omnes concurrunt immediatè ad illam componendam, ita concurrunt immediatè ad operandum ea operante, quamuis per extrema indiuisibilia fiat contactus. Euidens est ergo, de agente partiali posse agere in distans aliquando, nihil agendo in medium; propterea solum procedit quæstio de agente totali, & immediato, an possit agere in distans, nihil operando in medium.

Et prima opinio tenet, posse aliquando naturaliter hoc fieri, & ideo nullum contactum esse semper necessarium. Ita Auicen. in lib. de anima sect. 4. capit. 4. cum Hypocrate, quem refert Alexandr. 1. lib. Metaph. comm. 18. Gab. in 1. distinct. 37. quæst. 1. artic. 3. Ocham, Basolius, Mayronius, & Liquetus ibidem, & Priscianus Lidius apud Thophilum 2. lib. de anima text. 37. Pro hac etiam sententia citatur Scotus in 1. distin. 37. quæst. vnica, quo loco agit de præsentia agentis necessariò requisita ad agendum, sed de agentibus naturalibus, & corporeis, expresè tenet, non posse naturaliter agere in distans, nisi agendo in medium, præsertim in solut. ad argum. quamuis de agentibus superioris ordinis dicat non implicare contradictionem, quod operentur vbi non existunt per se, nec per propriam virtutem. 7

Probatur hæc sententia multis experientiis, vt de magnete attrahente ad se ferrum distans, nihil agendo in aere, vel in aliis corporibus in eo existentibus: de pisce stupore quodam afficiente brachium piscatoris, nihil in arundine media operante, de animalibus, quæ solo intuitu oculorum nociuam qualitatem aliis imprimunt, & non in medio, de papyro, vel charta, super quam si oleum infuderis, calefit, immo feruescit oleum, integra perseuerante charta: & de lebete pleno aqua, & super ignem posito, cuius fundus friget aqua feruescente; atque etiam de phantasia, vel imaginatione mouente appetitum sensitiuum, à quo valde distat, cum sit in cerebro, appetitus verò in corde, & nihil agendo in intermedias partes corporis, & pluribus aliis, quas libenter omitto, quia eadem est difficultas in omnibus; nam eiusmodi agentia, & similia agunt circa corpus distans nihil operando in medium, vel si aliquid operantur, non necessarium, sed omnino impertinens respectu operationis in distans: quare non minus possent circa illud operari, etiamsi nihil operarentur circa medium; ex quibus sequitur, posse agens naturale operari in distans, nihil prorsus operando circa medium.

8 Secundò probatur in quibuſcumque agentibus naturalibus, in quibus aſſignatur determinata ſphera actiuitatis, intra quam operari poſſunt, & non extra illam. Quo ſuppoſito ſic arguunt: ignis operatur intra totam ſuam ſpheram actiuitatis: ergo vel operatur per ſe immediatè, tam in remotas, quàm in proximas partes, vel ſolum in has operatur immediate, in remotas verò mediatè, hoc eſt, medio effectu producto circa proximas; & ſi primum dicatur, ſequitur operari in diſtans, quod non tangit, Probatur conſequentia, quia vltima ſuperficies ignis non ſe extendit ad totam ſpheram: ergo nec poteſt eam per ſe tangere, cum tamen per ſe immediatè operetur in totam: ſi verò dicatur ſecundum, ſequitur poſſe agere vltra ſuam ſpheram. Probatur conſequentia, quia ſicut poteſt agere in ſecundam medietatem eius per calorem productum circa primam medietatem ſibi proximiorem, eadem ratione poterit agere per effectum productum circa ſecundam medietatem in aliam tertiam, & per effectum productum in hac poterit agere circa quartam, & ſic in infinitum: quare non habebit determinatam ſpheram, ſed infinitam. Vnde ſequitur, quod vel agens naturale poſſit agere in diſtans: non agendo in medium, vel quod non habet ſpheram actiuitatis determinatam, ſed actio eius ad infinitam diſtantiam poſſit ſe extendere. Tertiò, quia agentia ſpiritualia poſſunt naturaliter operari in remotum, nihil operando in medium, vt Angelus poteſt mouere corpus à ſe remotum, & vnus alloquitur alterum quomodocumque à ſe diſtantem, ſicut nos alloquimur eos in cœlo exiſtentes: ergo concedendum eſt, idem poſſe agentia naturalia corporea, quorum virtus ad aliquam diſtantiam poteſt ſe extendere. Secunda opinio negat, agens naturale poſſe agere in diſtans, quin agat in medium aliqua actione reali, vt in principio quæſtionis explicatum eſt, & ideò neceſſarium omnino eſſe, quod tangat paſſum tactu formali, vel virtuali per virtutem diffuſam per medium. Ita expreſſe Ariſtot. cap. præſenti, & 7. libro Phyſic. cap. 2. D. Thom. 1. part. quæſt. 8. art. 1. & ibidem Caiet. 3. contra gent. cap. 68, & ibidem Ferra. comment. 7. lib. Phyſ. comment. 2. Albert. Mag. 7. lib. Phyſ. tract. 1. cap. 4. Ægid. ibid. cap. 2. & Sotus quæſt. 1. Capreol. in 1. diſt. 37. q. vnica, Durand. & Argent. q. 1. & cum his omnes recentiores. Quæ ſententia non ſolum eſt probabilior, ſed vera, & te-
9 nenda. Quam probat Ariſt. in 1. loco experimentali inductione in omni genere motus, tam augmentationis, quam alterationis: nam in omnibus experimur agentia naturalia non agere in paſſum, niſi tangendo illud, & ideò nec in diſtans, niſi agendo in medium.

medium. Sed poteſt aliquis reſpondere, experientiam hanc ſolum eſſe veram in effectibus ſenſibilibus frequenter productis, præter quos ſunt particulares alij, & quaſi extraordinarij, qui referuntur in ſecundo argumento primæ opinionis, & producuntur in paſſum diſtans ſine actione in medio, in quibus non probatur efficaciter per talem inductionem, quod ſemper ſit neceſſarium agens tangere paſſum, licèt probetur neceſſarium eſſe frequenter: ideò vniuerſaliter probandum eſt, ita eſſe neceſſarium, vt numquam contingat oppoſitum.

Sed non benè probatur à quibuſdam ex eo, quòd ſicut corpus non poteſt tranſire de extremo ad extremum, niſi per locum medium, ita neque actio eius: quare neceſſe eſt, vt per totum medium diffundatur vſque ad extremum corpus, cui imprimenda eſt. Hæc, inquam, ratio non eſt ſufficiens, quia diuerſa eſt conſideratio de tranſitu corporis, & actionis; nam idem numero corpus tranſit de extremo ad extremum per medium; ſed non eadem actio numero: cum non poſſit idem numero accidens de vno ſubiecto tranſire ad aliud: ergo non benè infertur ex actione, quòd non poſſit ad extremum peruenire, niſi per medium, cum nec per medium peruenire poſſit.

Minus etiam benè probatur ab aliis ex limitatione agentis, 10
vel virtutis eius, ex qua colligunt indigere contactu, vel approximatione ad paſſum, ſine qua non poteſt agere in illud: & quòd ſi poſſit agere ad aliquam diſtantiam, non agendo in medium, poſſet ad quamlibet, etiam infinitam: quod eſt abſurdum. Nam primò ex hac limitatione agentis ſolum videtur colligi, quòd limitatam ſpheram actiuitatis habeat, ita vt ad tantam diſtantiam, & non ad maiorem poſſit actionem ſuam extendere: quòd verò ad quamlibet poſſit, non probatur; quia maior virtus requiritur ad agendum ad maiorem diſtantiam, quàm ad minorem, non certè propter actionem in medium, ita vt invincenda reſiſtentia medij videatur laborare virtus agentis, & ideò magis, ſi maior ſit diſtantia medij: nam hoc euidenter probatur falſum in agentibus non habentibus contrarium, vt in luminoſo, quod patet non laborare in vincenda reſiſtentia medij (quæ nulla eſt) & nihilominus habet limitatam ſpheram, ad quam poteſt propriam actionem extendere, & non vltra: & ideò non ſequitur, quòd poſſit agere ad quamcumque diſtantiam: eadem ergo ratione non ſequitur, quòd ſi agens poſſit agere in diſtans, non agendo in medium, poſſit agere ad quamlibet diſtantiam. Probatur conſequentia, quia ſecluſa reſiſtentia, vel difficultate medij, ſola diſtantia determinat virtutem agendi, ita vt ad tantam diſtantiam, ne-

ceſſaria ſit tanta virtus,& minor non ſufficiat,quare ſi finita ſit, non poterit extendere actionem ad infinitam diſtantiam,etiam non agendo in medium:nam per actionem in medium nec hebetatur, nec defatigatur virtus agentis: ergo impertinens eſt, quòd agat in medium, vel non ad extendendā propriam actionem ad maiorem, vel minorem diſtantiam, ſed hoc ſolum prouenit ex maiori, vel minori limitatione virtutis, ex qua ſolum poterit probari,quod magis, vel minus limitatam ſpheram habeat & conſequenter ex eo, quòd ſit limitata, ſolum probabitur,quod ad tantam diſtantiam agere poſſit,ſiue in medium agat,vel non;& nullo modo,quod non poſſit agere in diſtans,non agendo in medium.

11 Secundò, quia vt inferius oſtendetur, non ſolum de agente finito probatur, quòd agere non poſſit in diſtans non agendo in medium, ſed etiam de agente infinito: ergo quòd non poſſit agens finitum ſic agere, ſed neceſſariò debeat tangere paſſum, non benè probatur ex eius limitatione. Sed nec tandem probatur efficaciter ex modo agendi corporei agentis vniformiter difformiter, hoc eſt, prius, & fortius in partem propinquiorem paſſi, quàm in remotiorem, ex hoc enim ita arguunt nonnulli. Agens naturale fortius agit in proximiorem partem paſſi, quàm in remotiorem:ergo ſignum eſt,quòd non poſſit agere,niſi approximatum paſſo.Probatur conſequentia,quia ſi non requirit approximationem, eodem modo aget in rem, vel partem magis,vel minus diſtantem. Hoc autem argumentum non probat ſufficienter intentum, quia cum maior virtus requiratur ad agendum ad maiorem diſtantiam, quàm ad minorem,ſiue in medium agatur,vel non, vt probauimus,etiam ſi agens non operetur in medium, fortius aget in proximiorem partem paſſi, quàm in remotiorem, propter minorem diſtantiam, quam habet reſpectu illius. Alia igitur via probanda eſt communis ſententia,quam ſequimur.

12 Probatur autem primò hoc argumento,vna ex potiſſimis rationibus, propter quam natura non permittit vacuum inter vnum, & alterum elementum, ex quibus componitur mundus, ea eſt,ne impediatur influxus, quem inferiora recipiunt à ſuperioribus, quia per medium vacuum non poteſt naturaliter deriuari, vt docet expreſsè Ariſt.1. lib. Metheororū in princ.illis verbis. *Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur.* Et cum eo tota ſchola Philoſophica. Ex quo duo ſequuntur euidenter. Primum, quòd agens naturale non poſſet agere in diſtans, ſi medium eſſet vacuum, cuius tota ratio eſt, quia virtus agentis

agentis non potest per medium vacuum naturaliter deriuari ad passum propter incapacitatem medij vacui. Secundò sequitur, non posse naturaliter agens agere in passum distans, nisi eius virtus deriuetur ad illud per medium. Probatur consequentia, quia si hoc non esset necessarium, nec vacuum inter medium impediret actionem superiorum corporum in inferiora, vt per se est manifestum; sed non potest naturaliter deriuari per medium, nisi media actione eiusdem agentis in ipsum; ergo nec poterit agens operari in distans, non operando in medium.

Secundò, quia euidenti experientia notum est, quòd si inter 13
agens & passum ponatur corpus incapax virtutis, quam agens debet imprimere in passum, impeditur omnino actio eiusdem agentis circa ipsum, vt si inter luminosum, & aërem ponatur corpus opacum, impeditur illuminatio eius; sed non impediretur, si non esset necessarium deriuari virtutem per medium, vt peruenire ad extremum, sed posset agens operari in distans, non operando in medium: ergo omnino necessarium est, & ex consequenti naturaliter impossibile, quod agens operetur in distans, non operando in medium. Vt autem hæc veritas melius intelligatur, & facilius solui possint argumenta opposita, explicandum est, quo pacto deriuari debeat virtus agentis per medium ad extremum, vt circa illud agere possit. Dicimus autem necessarium esse, vt eadem virtus, per quam agens operatur, deriuetur per totum medium, & omnes partes eius, non quidem secundum eumdem effectum, nec secundum eamdem actionem numericam, vel specificam, sed secundum eumdem, vel diuersum effectum iuxta capacitatem, & dispositionem diuersarum partium eiusdem medij; ita vt si totum medium capax sit eiusdem virtutis, eiusdémque effectus eius, eadem virtus, & per eamdem actionem, & secundum eumdem effectum deriuari debeat vsque ad passum; si autem non sit capax eiusdem virtutis, sed alicuius effectus eius, satis erit secundum eumdem effectum deriuari. Quod hoc exemplo fit 14
manifestum. Agit Sol in hæc inferiora corpora per lucem, cuius capacia sunt corpora cœlestia intermedia, non tamen sunt capacia alicuius effectus eius: elementa verò vsque ad terram, non solum lucem recipere possunt, sed etiam calorem, & alias qualitates, immo & in eis, atque ex eis possunt generari mixta virtute eiusdem Solis, concurrentibus aliis causis; terra verò propter nimiam densitatem, & opacitatem non est capax lucis secundum profunditatem, sed solum secundum superficiem exernam, est tamen capax caloris, quem media luce attingente uperficiem terræ diffundit Sol vsque ad centrum eius, & per

calore ſic diffuſum producit in inferioribus partibus eiuſdem elementi mineralia,nempe aurum,& argentum,concurrentibus ad eoſdem effectus ſimul cum calore Solis cæteris influentiis cœlorum,& aſtrorum,& ſic tangit Sol tactu Phyſico,ac virtuali quæcunque corpora, circa quæ operatur, per eamdem quidem virtutem ſecundum diuerſos effectus, & actiones ab ea procedentes,& in toto medio receptas,iuxta capacitatem,& diſpoſitionem diuerſarum partium eius,quod requiſitum eſt, & ſufficiens,vt circa totam hanc ſpheram ſuæ actiuitatis vſque ad extrema eius agere poſſit.

Ex quibus ſequitur non ſufficere,vt agens operetur in extremam partem,vel corpus ſuæ ſpheræ, à ſe diſtantem, quod agat in medio per aliam virtutem diſtinctam ab ea,per quam acturum eſt in extremum, vt Scotus exiſtimat vbi ſupra, ſed requiritur, vt per eamdem virtutem operetur in toto medio,quamuis non ſecundum eamdem actionem, vel effectum, ſed iuxta
15 capacitatem,aut diſpoſitionem medij,vt explicatum eſt.Gratia exempli.Non ſufficit,vt ignis poſſit calefacere partem,vel corpus diſtans, quod agat in medio per ſiccitatem, quamuis ſiccitas eſſet diſpoſitio requiſita ad agendum per calorem, ſed neceſſe eſt, operetur aliquo modo per calorem. Cuius ratio eſt, quia agens per aliam qualitatem diſtinctam nõ eſt idem agens, ſed diuerſum, licet materialiter ratione identitatis ſubiecti ſit vnum: ergo etiam ſi per vnam qualitatem operetur per medium, non dicetur virtus alterius qualitatis deriuari ad paſſum, cum nullo modo diffundatur per medium: quare non poterit per illam agere in diſtans, licèt per aliam diſtinctam operetur in medium: nam ex hoc non operabitur idem agens in medium, ſed diuerſum:& ita ſe habebit talis operatio reſpectu agentis per aliam qualitatem, ac ſi non eſſet:& ideò ſi ignis calefaceret terram,non calefaciendo aërem, licet in hunc ageret per ſiccitatem, eodem modo diceretur agere in diſtans, nihil operando in medium, ac ſi non haberet ſiccitatem, nec per illam in medium ageret;requiritur ergo, vt per eumdem calorem agat in medium ſecundum ſe, vel ſecundum aliquem eius effectum.

16 Et ex his facilè reſpondetur ad primum argumentum ſumptum ex diuerſis experientiis; de quibus egimus 7.lib. Phyſ. & ideò non eſt neceſſarium nunc ea repetere, quæ eodem loco adnotata ſunt,ſed vniuerſaliter negandum eſt, aliquando contingere, quòd agens operetur in diſtans, non operando in medium, & etiam negandum eſt, quod circa illud operetur nihil agendo in medium. Sed piſcis ille ſtupore afficit brachium piſcatoris,

piſcatoris,effundendo aliam qualitatem per arundinẽ, & chordam vſque ad brachium,cuius capaces ſunt,& à qua ſtupor procedit, quamuis in illis non habeat eumdem effectum ſtuporis propter eorum incapacitatem illum recipiendi, quemadmodum lux ſolis effuſa per inferiora corpora cœleſtia non habet effectum caloris,quem habet circa aërem,& aquam. Et eodem modo operantur animalia per qualitatem ab oculis eorum deriuatam, vel ab alia parte corporis per oculos; eam enim per medium effundunt quamuis non habeat eumdem effectum in medio corpore,quem habet in extremo,propter diuerſam capacitatem,aut diſpoſitionem vtriuſque. Eodem etiam modo operatur magnes attrahendo ad ſe ferrum. Et pari ratione de lebete, & aliis philoſophandum eſt.

Sed aliam experientiam de aqua calefacta in vaſe adducit Ariſt.ſect.24.proble.quæſt.5.& 8.vbi fundum lebetis in principio nimis calidum eſſe docet, poſt verò ferueſcente aqua, non frigidum, ſed minus calidum, vel temperatum, eo modo, quo balneæ in hyeme calidiores ſunt,quàm in æſtate.

Ex quo deduci poteſt,quòd ignis agat in aquam nihil agendo in medium, nempe in fundo lebetis, vel (quod idem eſt) intenſius aliquando circa extremũ agere, nempe circa aquam, non intendendo medium. Rationem autem huius reddit,quia in principio calefactionis, dum aqua frigida eſt, totus calor, quem producit ignis, concluditur in fundo vaſis, neque aſcendere permittitur impeditus ab eadem frigiditate aquæ, ſed dum aqua per alias partes vaſis magis calefit, quaſi permittitur reſpirare calor in fundo, velut etentus, & aſcendere, magiſque calefacere aquam,& per aſcẽſum eius relinquitur idemmet fundum lebetis minus calidum, vel magis temperatum, quàm prius. Hoc verò ſic eſt explicandum, & intelligendum, vt verum eſſe poſſit, non quidem ita, vt idem numero calor in fundo exiſtens aſcendat,& fundum deſerat:nam hoc impoſſibile eſt,cum nõ poſſit idem numero accidens tranſire ab vno ſubiecto in aliud, ſed per calorem incluſum, atque detentum in fundo vaſis intelligit Ariſtoteles vapores, & exhalationes calidas ab igne excitatas, & in poris eiuſdem fundi incluſas, quæ non permittuntur aſcendere propter maximam denſitatem, quam habet aqua in principio frigida,& ideò in fundo permanentes magis calidum ipſum efficiunt; ſed aqua iam calefacta per partes alias lebetis,& ſimul etiã rarefacta,aſcendere poſſunt calidæ illæ exhalationes fundi,quæ cum leues ſint, ſua naturali inclinatione ſurſum tendunt; aſcendentes verò magis calefaciunt aquam,& deſerentes fundũ, magis temperatum reddunt. 17

Accedit etiam alia cauſa, ob quam magis temperatur fundum lebetis: nam partes aquæ frigidiores ratione ſuæ denſitatis, & grauitatis, deſcendunt ad fundum lebetis, & ſuccedunt calidis exhalationibus poros eiuſdem lebetis deſerentibus, eóſque adimplentes minus calidum efficiunt fundum. Accedit etiam, quòd dum iam aqua intenſius calefit prope fundum vaſis, propter raritatem, & leuitatem, quam acquirit ſimul cum calore intenſiori, aſcendit ſurſum; quia naturale eſt, vt grauiora ſint ſub leuioribus,& partes aquæ ſuperiores, ſicut frigidiores ſunt: quia magis diſtant ab igne,ita ſunt grauiores, ideò naturali inclinatione deſcendũt ad fundum lebetis,ſicut calidiores aſcendunt,& ex hac parte magis infrigidatur: & ita numquam contingit, aquam fundum vaſis tangentem eo eſſe calidiorem.

18 Nec ſequitur,vt contendebat argumentum,ignem agere in diſtans non agendo in medium, vel fortius agere in remotum, quàm in proximum,vt facile conſtabit intelligenti doctrinam traditam. Quamuis aliquando admitti poſſet, quòd intenſiorem effectum producat agens in partem remotiorem: hoc tamen per accidens contingit propter maiorem diſpoſitionem illius partis. Et hoc modo contingit aliquando aquam citius conuerti in aërem, vel exhalationes calidas, propter nimiam humiditatem eius,in qua aſſimilatur aëri, & iuuare etiam ſolet aër circumſtans nimis calidus.Et eodem prorſus modo reſpondendum eſt ad aliam experientiam de oleo ferueſcente ſuper papyrum,vel chartam,& ſimiles, quas breuitatis cauſa omittimus. Vltima verò de phantaſia mouente appetitum ſenſitiuum à ſe diſtantem, difficultate caret, iuxta communem, & veram ſententiam tenentem, apprehenſionem finis, per quam ſenſus mouet appetitum ſenſitiuum, vel etiam intellectus voluntatem non concurrere per modum efficientis cauſæ ad actus harum potentiarum, ſed per modum finis,in quantum ſunt conditiones, per quas finalis cauſa propriam cauſalitatem exercet circa illas, & ideò non eſt neceſſarius contactus, vel approximatio eius, ſed ſatis eſt, quòd vtraque potentia ſit radicata in eadem anima, vt per naturalem ſimpathiam poſſit eam mouere,aut excitare ad operandum, ita vt dum per vnam potentiam anima percipit obiectum,per aliam illud appetat. Et in potentiis ſenſitiuis & intellectiua ſufficit naturalis ſubordinatio externarum cum internis, & omnium ſenſitiuarum cum intellectu,vt eadem anima per inferiores operetur circa ſuperiores,& per vtraſque circa obiecta,quamuis actio externorum ſenſuum in internos,in qua videtur propria efficiẽtia Phyſica interuenire,per mediũ fiat hoc modo,vt ab oculo,vel alio ſenſu ducantur

ſpecies

ſpecies ſenſibiles per neruum vſque ad ſenſum internum,& ita in eo imprimant alias ſimiles eiuſdem obiecti, per quas internus ſenſus operetur.

Ad ſecundum argumentum concedendum eſt illud, quod præſupponit,videlicet agentia naturalia determinatam habere ſperam ſuæ actiuitatis:illud verò,quod deinde inquirit, an intra ſpheram operetur agens immediatè per ſe in omnes partes, vel in proximas per ſe,& in remotas per proximas. Reſpondemus per ſe operari in omnes, diuerſa tamen ratione : nam in proximas, quas per ſe tangit tactu formali per ſe imprimendo eis effectum,in remotas verò per effectum,ſeu virtutem diffuſam in proximas,nõ quidem ita vt ſola hæc virtus diffuſa operetur,ſed etiam agens ipſum,quia virtus hæc depẽdet ex actuali concurſu agentis,quod ex eo fit manifeſtum : quia ſi operaretur virtus illa in partibus exiſtens ſine tali concurſu, & quaſi ſeparata omnino ab agente parum poſſet efficere,videmus autem fortiorem habere actionem,& longè perfectiorem effectũ, ac ſi ageret ſeparata:talis ergo virtus vel effectus medium eſt, per quod in diſtantiores partes operatur agens, ſed cum ſint omnes intra propriam ſpheram, abſque dubio operatur cum omnibus,& virtus eius ad quamlibet deriuata operatur,vt actu coniuncta agenti,ſicut riuulus decurrit ſemper, quia tota aqua & quælibet eius pars coniungitur fonti per quamdam continuationem.Et ideo neganda eſt vtraque conſequentia. Prima quidem quòd ſi agens operatur in medietate in omnes partes; ergo operabitur in remotiores ſine cõtactu,cum nõ poſſit eas per ſe tangere,hæc inquam conſequentia neganda eſt, vel diſtinguendum conſequens de tactu formali, aut virtuali;& licèt primo contactu eas non tangat, tangit ſecundo per virtutem diffuſam à ſe per medium, & etiam interuenit contactus formalis partis medij proximè attingẽtis vltimam partẽ eiuſdem medij,& agentis circa illã ſimul cum agẽte præcipuo actu concurrente cum ſua virtute,per quam pars illa operatur, vt expoſitum eſt. Secunda etiam conſequentia neganda eſt,videlicet, quòd ſi agens operetur in partes remotiores per proximas, ſequatur,quod non ſit determinata ſphera virtutis eius,ſed poſſit extendi in infinitum:nã cum ſemper operetur actu agens cum omnibus partibus intra ſuam ſpheram contentis, per quas effundit propriã virtutem,& effectũ,& cum idẽ agẽs ſit finitum, non poteſt ſuã virtutẽ effundere hoc modo,nec per illam operari ad quamlibet diſtantiam,ſed ad certam,& limitatã. Argumentũ verò probaret aliquid,ſi in partes magis diſtãtes operarẽtur proximiores omnino ſeparatæ à cõcurſu actuali agentis. 19

Ad

20 Ad vltimum, negandum est antecedens, quòd agentia spiritualia, vt Angeli possint agere in distans, non agendo in medium. Ad aliud verò, quod de locutione eorum dicitur, respondeo, vnum Angelum non alloqui alterũ per productionem alicuius speciei, vel conceptus in intellectu eius, sed per voluntariam ordinationem sui conceptus ad alterum: quo pacto certissimum est, nos alloqui Angelos, & ideò non est necessarium, quòd Angelus, qui loquitur, præsens sit alteri, quem alloquitur, sed ad quamlibet distantiam potest fieri talis locutio, sicut nostra cum eis. Ita D. Tho. 1. p. q. 107. art. 4. Si verò dicatur, Angelum loquentem imprimere speciem aliquam, vel effectum realem in intellectu audientis, consequenter erit necessariò concedendum, quod non possit alloqui vnus Angelus, nisi alterum sibi præsentem: quia virtus, vel locutio, non potest diffundi per medium, sicut nec potest vnus Angelus dimouere alterum à proprio loco, nisi præsens sit illi, neque aliquid aliud circa eum agere, nisi agendo in medium. Qui verò dicunt locutionem Angelorum eo modo fieri, vt Angelus, qui loquitur, producat in se aliqua signa, vel in cœlo, aut in aëre per quæ audiatur, vel intelligatur ab alio, non tenentur cõcedere quod agat actione Physica in distans, quia impressiones istæ semper fierent circa corpus præsens, vt per se patet.

QVÆSTIO II.

An agens naturale, vel creatum possit agere in distans nihil operando in medium per potentiam Dei absolutam.

21 QVæstio hæc à nemine agitatur: nam licèt de instrumentis disputent plures ex recentioribus interpretibus Arist. 7. lib. Phys. cap. 2. an de potentia Dei absoluta possint eleuari ad agendum in rem distantem, vbi nec sunt præsentia per se, nec per suam virtutem, sed de secundis causis, an licèt non possint naturaliter intra spheram suæ actiuitatis agere in remotum, nisi agendo in medium, per quod suam virtutem diffundant vsque ad idem passum remotum, possint tamen virtute diuina ita agere, vt Sol in hæc inferiora corpora, nihil prorsus agendo in intermedios cœlos, vel in viscera terræ possit producere aurum nihil agendo in aërem: hoc enim specialem habet difficultatem, atque maiorem, quam de instrumentis: quia nemo dubitat,

Digitized by Google

dubitat, quin cauſæ ſecundæ agere debeant per propriam formam,& virtutem,vt Sol per lucem,& ignis per calorem;inſtrumenta verò non agunt per propriam virtutem, ſed per eleuationem à principali agente:& licèt D.Tho.& qui eum ſequuntur,teneat,neceſſarium eſſe, quòd aliquid efficiant propria virtute,per quod diſponantur ad eleuationem, & alio modo non poſſe eleuari.Plures tamen alij negant id eſſe neceſſarium, putantes ſufficere potentiam obedientialem,quam habet quælibet creatura,vt aſſumatur à Deo tanquam inſtrumentum,vt eleuari poſſit, & aſſumi ad quemcumque effectum producendum, licèt nihil ex propria virtute efficiat;& ideo facilius defendunt iſti,quòd inſtrumenta poſſint eleuari à Deo ad agendum in remotum,vbi nec præſentia ſunt per ſe,nec per propriã virtutem, quam cauſæ ſecundæ,de quibus euidens eſt, quòd per proprias formas, & virtutes agere debeant, & ideò quòd effectus non excedant virtutes earum,quantum ad ſubſtantiam,vel ſpeciem, in quibus notum eſt,diſtingui ab inſtrumentis.

Prima opinio aſſerit, quòd licèt naturaliter ſit impoſſibile, 22
agens naturale agere in diſtans,nihil agendo in medium, non tamen implicat contradictionem,& ideò fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam.Ita Scot.in 1.d.37.q.vnic. Palud. in 4.d.1. q.1.Vega lib.7.In Conc.Trid.cap.14.Caiet.3.p.q.13. ar.2.Suarius ibidem diſput.31.ſect.6. Cardi.Bellarm.lib.1. de ſacram.in genere cap.11.& videtur idem ſentire D.Tho.3.p.q.13.ar.2.& q.56.ar.1.ad 3.quibus locis aſſerit,humanitatem Chriſti fuiſſe inſtrumentum diuinitatis ad omnes effectus ordinatos ad noſtram ſanctificationem,& hoc non ſolum præſenti tempore, & loco,ſed ſecundum quamlibet diſtantiam locorum, & temporum. Sed omnes iſti authores,præter Scotum, videntur loqui de ſolis inſtrumentis, de quibus egimus 7. lib. Phyſ.& non de cauſis ſecundis, de quibus nunc agimus; eſſe autem diuerſam rationem de vtriſque oſtendimus, & ideò Scotus tantum pro hac ſententia referri debet,& recentiores, qui eam ſequuntur. Vt autem eam probet Scotus,ſupponit hoc fundamentum. Ex duplici capite prouenit, quod agens naturale non poſſit naturaliter agere in diſtans,quin aliquid operetur in medium. Primum caput eſt,quia ſolet coniungi in eo duplex virtus,vel potentia agendi, quarum vna habet pro paſſo ſibi proportionato corpus diſtans,& non medium,alia verò corpus mediũ, & non diſtans,& ideò non poteſt agere per vnam virtutem in diſtans, quin agat per alteram in medium,cuius exemplum aſſignat in Sole,in quo concurrit forma ſubſtantialis, & lux, & per illam operatur in diſtans,nempe in viſceribus terræ, aliquẽ effectum

ſubſtan

ſubſtantialem, vt aurum; ad quos effectus non poteſt lux concurrere, quia accidentia non poſſunt attingere productionem ſubſtantiæ,ſed per lucem operatur in medio alios effectus accidentales,vt lumen,vel calorem.

23 Secundum caput eſt, imperfectio ipſius agentis,cuius virtus actiua principalis imperfecta eſt,& ideo non poteſt naturaliter agere per illam,niſi prius agat per aliam imperfectiorem, cuius effectus ſit quaſi diſpoſitio reſpectu effectus principalis virtutis,vt ignis non poteſt agere in paſſum per formam ſubſtantialem,quin prius agat per calorem illud alterando: vnde prouenit, quòd non poſſit agere per formã ſubſtantialem in diſtans,quin prius agat per calorem in medium. Ex hoc fundamento ſic arguit. Illud,quod neceſſarium eſt, vt agens operetur, ſi neceſſarium ſit per ſe, non poterit vllo modo ſine eo agere,ſi verò ex accidẽti aliquo,licèt ſemper concurrente, non implicabit contradictionem ſine illo agere, ſaltem per diuinam potentiam: ſed duo illa non ſunt per ſe neceſſaria, vt agens naturale operetur, nempe concurſus duarum formarum,aut potentiarum in eo, vel imperfectio formæ principalis,ratione cuius indiget alia virtute inferiori ad diſponendum paſſum:ergo poterunt tolli,vel ſuppleri à Deo, ita vt ſuſpendat actionem vnius virtutis,aut potentiæ, & ſuppleat imperfectionem præcipuæ formæ per ſuum concurſum, & ita illa agat in diſtans,non agendo in proximum,& hæc agat in paſſum etiam remotum,non diſponendo medium.Probatur minor,quia cum duæ illæ virtutes,vel potentiæ in eodem agente concurrentes diuerſæ conditionis ſint,nempe vna ſubſtantialis, & alia accidentalis,non poſſunt ita per ſe coniungi in eodem agẽte, quin poſſit operari ſine cõiunctione earum:imperfectio verò præcipuæ formæ eiuſdẽ agentis nõ poteſt per ſe concurrere ad agendum,quia imperfectio non ponit aliquid in agente, ſed potius tollit.Poterit igitur Deus tollere lucẽ à Sole,vel certè ſuſpẽdere actionẽ lucis in medio;& ita producet Sol in viſceribus terræ ſubſtãtiales effectus agẽs per ſolã formã ſubſtantialem nihil agẽdo in mediũ, & nõ minus poterit ſuſpẽdere actionẽ caloris, & producet ignis formã ſubſtantialẽ in lignũ diſtans,nõ diſponendo medium per calefactionẽ, & ideo nihil agendo in illud.

Secundò poteſt probari hęc ſententia, quia approximatio,
24 vel cõtactus quicũque agentis,& paſſi, nõ requiritur tãquã ratio,vel virtus agẽdi,ſed ſolũ tãquã conditio naturaliter neceſſaria,& adhuc non ſemper apud multos, ſed conditio non poteſt eſſe ita intrinſeca,vt implicet contradictionẽ ſine illa agere:ergopoterit ſuppleri à Deo, ita vt agens operetur in diſtãs,

quod

Digitized by Google

quod nec per se,nec per suam virtutem tangit.Probatur consequentia,quia seclusо contactu formali, & virtuali agentis particularis,permanent agens,virtus eius substantialis , & passum, atque etiam concursus primi agentis per se requisita , & sufficientia ad agendum : ergo poterit agens naturale intra suam spheram agere in remotum,nihil agẽdo in medium.Et confirmari potest,quia nihil potest esse magis extrinsecum respectu actionis in extremum, quàm actio in medium , cum sæpe sint actiones realiter distinctæ,ac diuersæ speciei , vt illuminatio, & calefactio:ergo poterunt separari à Deo , ita vt permanente actione in distans , suspendatur actio in medium. Probatur consequentia,quia ea,quæ distinguũtur realiter, & non habent intrinsecam dependentiam inter sese,possunt per diuinam potentiam separari;sed illuminatio,& calefactio Solis,quæ sunt actiones in extremum,& medium , non habent dependentiam intrinsecam inter sese,vt per se patet:ergo poterit hęc suspendi permanente illa,& ita operabitur Sol in hæc inferiora corpora,nihil agendo in intermedios cælos.

Probatur tandem , quia licèt naturaliter non possit agens 25
creatum agere in vltimum corpus existens intra spheram suæ actiuitatis per medium vacuum , nemo dubitat , quin agere possit per potentiam Dei absolutam, quia vacuum solum potest impedire naturaliter actionem;sed per vacuum non potest virtus agentis diffundi,vt sic diffusa perueniat vsq; ad passum: ergo poterit medio existente vacuo agere in distãs, nihil agendo in medium. Probatur minor, quia vacuum nihil est : ergo non potest esse subiectum,vel passum , circa quod agens operetur ; sed non potest agens suam virtutem effundere per medium,nisi per actionem : ergo non poterit eam effundere per medium vacuum. Et quod de medio vacuo probat argumentum , probat etiam de medio pleno incapaci virtuti agentis. Vnde si sol ageret,non per lucem,sed per calorem,vt ignis,non videtur dubitandum , quin posset agere in hæc inferiora corpora calefaciendo , & nihil agendo in intermedios cœlos. Et confirmari potest,quia non est certum, magnetem attrahẽtem ad se ferrum distans,& alia agentia similia, quæ operantur per virtutem occultam,eam effundere per arũdinem,vel chordam, aut aliud medium ; sed probabiliter negari potest,sicut probabilis est opinio eorum , qui dicunt , hæc agere naturaliter in distans non agendo in mediũ:ergo non debet negari, quòd per potentiã Dei absolutã non possit agẽs creatũ tali modo agere.

Secunda opinio affirmat implicare contradictionem , quòd 26
agẽs operetur in distans,nihil operãdo in mediũ,& consequen-

ter,

ter,quin tangat passum per se, vel per suam virtutem diffusam, vel deductam per medium: diffusam dicimus, vel deductam, quia licet non posset agens diffundere propriam virtutem,nisi per medium capax recipiendi illam, sed virtute diuina deferri posset per quodcumque medium vacuum,vel plenum vsque ad passum.Ita Molina 1.p.q.8.art.1.in fine secundæ disputationis, & alij recentiores, & videtur mihi probabilior, & sequenda. Probatur primò,quia impossibile est agens proprium, vel causam secundam per propriam virtutem agentem, operari circa passum,nisi illud aliquo modo attingat, hoc est, per se,vel per propriam virtutem:sed implicat contradictionem, agens tangere passum distans per se,aut per propriam virtutem, nisi vel præsens sit ei per se, vel per propriam virtutem: per se autem supponitur absens,& per propriam virtutem nō potest fieri illi præsens,nisi virtus ipsa diffundatur per medium, vel vsque ad ipsum alio modo deferatur:ergo nisi hoc fiat, implicabit contradictionem operari in distās.Probatur minor, quia quamdiu agens distans est,& virtus eius non effunditur, vel defertur ad passum,intra ipsum detinetur, vel ab eo non egreditur; sed repugnat,quòd ab eo non egressa attingat passum, à quo distat, vt per se est manifestum; ergo repugnabit illud attingere, & ideò in illud agere. Et si dicatur sufficere contactum diuinæ virtutis vbique præsentis,à qua eleuatur causa secunda ad operandum in distans; hoc est aperte falsum; quia licèt hoc sufficiat,vt diuina virtus operetur,non tamen vt operetur secunda causa:nam cum contactus sit omninò necessarius ad agendum,
27 quælibet virtus agens debet tangere passum.Et confirmari potest;quia causa secunda non potest agere circa passum, nisi illud,atque effectum attingat per realem influxum propriæ virtutis; tunc ergo vel virtutem propriam eleuari, vt influat in passum distans, est illuc vsque differri,vt præsens influat, vel procul permanentem illuc vsque influere. Primum patet non esse operari in distans, nihil operando in medium, per quod euidens est,aliquo modo debere deferri;secundum verò est impossibile: ergo impossibile erit sic operari. Probatur maior, quod procul permanens non possit in passum distans influere, quia virtutem agentis Phȳsicè influere in effectū non est aliud, quàm effectum ab ea Phȳsicè emanare,& Phȳsica emanatio nō aliud,quàm Phȳsica, & realis cōtinuatio eiusdem effectus cum sua causa,sicut emanatio riui à fonte; sed repugnat, Phȳsicè, & realiter continuari ea,quæ sunt separata secundum locum, & secundum virtutem:ergo repugnabit effectum emanare à causa,& hanc eum producere circa passum distans nihil agentem in medio.

in medio. Minorẽ verò, quòd Phyſica emanatio ſit continuatio realis effectus cum ſua cauſa, oſtendit ad oculum exemplum Solis, à quo radij lucis tamdiu cenſentur emanare, quamdiu vſque ad ipſum continuantur, ſi verò diſcontinuentur, aut diuidantur ab eo in medio, ceſſabit ſtatim emanatio : ſed virtus agentis non diffuſa, nec delata vſque ad paſſum, in quo produci debet effectus, ſed procul permanens ſeiuncta eſt, atque ſeparata à paſſo ipſo, atque effectu : ergo repugnat effectum continuari cum ea, & conſequenter ab ea emanare, vel procedere.

Secundò, implicat contradictionem agens operari circa paſ- 28
ſum per propriam virtutem, ac poſtulat ratio cauſæ principalis, niſi ei vniatur, aut coniungatur per ſe, vel per propriam virtutem ; ſed repugnat vniri per ſe paſſo abſenti, vel diſtanti ; repugnat etiam vniri per propriam virtutem : ergo repugnabit in ipſum agere. Probatur minor, quia per ſe non poteſt vniri ratione diſtantiæ, & ſeparationis localis ab illo, ſed non minus ſeparata eſt virtus eius, nec minus diſtans à paſſo quàm ipſum : ergo non minus repugnabit ei vniri per propriam virtutem.

Ad argum. Scoti neganda eſt minor, quòd concurſus duarum virtutum in agente creato, nempe formæ ſubſtantialis, & potentiæ accidentalis ei ſuperadditæ ad operandum ſit per accidens ad operandum : non eſt enim niſi per ſe, & ita neceſſarius, vt implicet contradictionem, quod ſubſtantia creata ſine vtraque operetur. Et neceſſitas præciſſa formæ ſubſtantialis euidens eſt, & admiſſa ab ipſo Scoto ; quia cum det eſſe intrinſecum rei, impoſſibile eſt agens eſſe ſine forma ſubſtantiali, & impoſſibile eſt etiam operari, ſi non ſit. De potentia verò operatiua ſuperaddita, licèt non ſit euidens, quia contrarium opinatur idem Scotus, & qui eum ſequuntur, videlicet potentias, per quas operantur ſubſtantiæ creatæ, non eſſe accidentia eis ſuperaddita, nec entitates ab eis diſtinctas : communis tamen eſt ſententia D. Thom. in contrarium, quòd ſint accidentia eis ſuperaddita, & realiter ab eis diſtincta, ſine quibus implicat contradictionem operari, quia ſola ſubſtantia diuina immediatè per ſe operatur, creata verò ex ſua limitatione, & imperfectione intrinſeca habet, vt non ſit immediatè per ſe operatiua, ſed ſolum per accidentia ſibi ſuperaddita poſſit attingere effectum ; vnde nec Sol poſſet vllo modo operari in præſens, vel in diſtans, niſi media luce, vel alia virtute, aut accidenti ſuperadditò ; nec etiam ignis ſine calore, vel alia qualitate, vel potentia. Falſum igitur eſt, & omnino negandum, quod ſol operetur per ſuam formam ſubſtantialem in viſceribus terræ, & non per lucem, vel calorem quoſcumque effectus : & non minus falſum, quòd ignis tamquam cauſa

propria producat,vel producere vllo modo possit alterũ ignem, nisi medio calore, vel alia potentia, aut virtute ei superaddita. Et denique negandum est, quòd per potentiam Dei absolutam possint omnino separari ab eodem agente forma substantialis, & accidentalis virtus, ita vt possit agere sine coniunctione vtriusque, vt explicatum est.

29 Ad secundum concessa maiori,quòd contactus solum requiratur ad agendum tamquam conditio,neganda est minor,quòd conditio non possit ita esse necessaria, vt sine illa non possit agens operari vllo modo, quia existentia actualis in rerum natura solum est conditio requisita ad agendum,& implicat contradictionem, efficientem causam non existentem agere. Eodem igitur modo censendum est, aliquem contactum formalem, vel virtualem, ita esse necessarium, vt sine illo implicet contradictionem, agens operari circa passum.

Ad confirmationem vero concedendum est antecedens,quod actio circa passum, & circa medium sint distinctæ realiter distinctione totali,vel partiali,& aliquando specifica;& ideò quælibet est intrinseca respectu alterius:sed distinguendum consequens, quod possint separari per diuinam virtutem: nam inter sese possunt quidem hoc modo separari,vt actio in medium reperiatur sine actione in extremum; quia benè potest agens in medium agere,non agendo in extremum; sed è conuerso repugnat separari actionem in extremum ab omni actione in medium, & hæc repugnantia separationis non prouenit ab ipsis actionibus, inter quas non reperitur dependentia essentialis, nam extrinseca est vna respectu alterius:sed prouenit ex modo ipso agendi, qui ex sua ratione intrinseca postulat actionem in medium, vt possit versari eadem, vel diuersa actio circa extremum,vt superius ostendimus.

30 Ad vltimum concedenda est maior,quòd per potentiam Dei absolutam possit agens operari in distans per medium vacuum, sed minor distinguenda, quòd per vacuum non possit diffundi virtus agentis; nam sic diffundi, vt in vacuo recipiatur, tamquam in subiecto positiuè eam recipiente, nullo modo potest; sed benè posset deferri à Deo per vacuum diuina virtute eam sustentante, ac deferente vsque ad passum: quia sicut potest alia accidentia sustentare sine subiecto, sic potest virtutem productiuam effusam ab agente per vacuum. Et eodem modo posset fieri virtute diuina, vt virtus agentis diffunderetur per medium natura sua incapax eius, vt si per impossibile ageret Sol per calorem, diffundere illum posset per intermedios cœlos, quia non implicat contradictionem calorem in cœlo recipi,licèt re

cèt repugnet ei naturaliter. Negandum igitur eſt, quòd in tali caſu agere poſſet Sol in hæc inferiora corpora per calorem, nihil operando in corpora cœleſtia intermedia, ſed vel nullo modo poſſet operari, vel ſi in extrema operaretur, neceſſarium eſſet, quòd eumdem calorem effunderet per intermedia corpora.

Ad confirmationem concedendum eſt antecedens, quòd non ſit certum, agentia illa per occultam virtutem, vel aliquem eius effectum diffundi per intermedia corpora, ſed quia valde probabile eſt, id eſſe omnino neceſſarium, & oppoſitum non eſt ferè intelligibile, & ideò parum probabile, ſatis eſt, vt probabilius etiam ſit implicare contradictionem, quòd alio modo operentur, vt efficaciter ſatis probant argumenta à nobis facta; non eſt enim neceſſarium, vt probabiliter teneamus, quòd hoc, vel illud fieri non poſſit per potentiam Dei abſolutam, euidenter probare, quòd implicet contradictionem, ſed ſatis eſt, quòd efficacioribus argumentis probari videatur.

CAPVT VII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De ipſo autem facere, & pati, dicendum conſequenter, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis in hoc ſeptimo c. eſt, explicare naturam, & conditiones agentis, & paſſi. Diuiditur autem in tres partes. In prima propoſitis antiquorum Philoſophorum ſententiis de natura, & conditione agentis, & paſſi, cum fundamentis eorum, atque refutatis, ex propria ſententia docet, quæ ſit natura, & conditio vtriuſque. In ſecunda proponit dubium, an agens ſimul dum agit, patiatur ab eodem paſſo, circa quod agit, & illud ſoluit. In tertia docet, & probat, ad quod genus cauſæ pertineant agens, & paſſum. 31

Ad primam igitur partem accedens Ariſtot. aſſerit duas opiniones extitiſſe ſuo tempore circa naturam, & conditionem agentis, & paſſi. Prior fuit eorum, qui dixerunt, debere eſſe diſſimilia, ita vt nihil pati poſſit, niſi ab agente diſſimili, quorum argum. erat, quia ſi ſimile à ſuo ſimili pateretur, non eſſet maior ratio, ob quam hoc potius in illud ageret, vel ab illo pateretur, quàm ab alio, & ideò non eſſent determinata agens, & paſſum. Quod ſi aliquando contingit, minorem ignem à maiori parti, ab eoque conſumi, reſpondebãt ideo eſſe, quia magnum

& patiũm ſunt contraria, & ex hac parte diſſimilia, & propterea vnum poteſt agere in alterum, vel ab eo pati.

Secunda opinio oppoſita erat, aſſerens, agens & paſſum ſimilia eſſe debere, & hæc fuit Democriti, quam inductione probabat hoc modo. Album non agit in dulce, neque hoc in graue, aut leue, & ſic de cæteris huius conditionis, propterea quod diſſimiles, & quaſi diſparatas habent naturas, & ideò nullam ſimilitudinem inter ſe: ergo agens & paſſum ſimilia eſſe debent. Quod ſi accidat aliquando diſſimilia inter ſeſe agere & pati, vt calidum à frigido, vel à ſicco humidum, non ideò agunt, & patiuntur, quia diſſimilia ſunt, ſed quia aliquo modo conueniunt, nempe ſub eodem genere ſubſtantiæ, vel qualitatis, & ideo aliquam habent ſimilitudinem.

82 Sed vtramque opinionem diminutam eſſe aſſerit Ariſt. quia quædam vera, alia falſa docet, ſed quæ ſimul in veritate ſtare etiam poſſunt, ſicut propoſitiones ſubcontrariæ, & deceptionem horum Philoſophorum ex eo proceſſiſſe ait, quia vnam vel alteram tantum conditionem agentis, & paſſi conſiderarunt, ex parte cuius ſimilia ſunt, ſed ex parte alterius diſſimilia: agens enim, & paſſum & formas habent, & ſubiectum, circa quod ſe expellunt, & ex parte formarum diſſimilia eſſe debent, vt calidum, & frigidum; habent etiam ſubiectum commune, à quo vnum expellit alterum, ex parte cuius aliqualem habent ſimilitudinem. Quòd verò vtraque falſa, probat; & primò, quod agens & paſſum non poſſint eſſe omnino ſimilia, quia non eſſet maior ratio, ob quam vnum potius quàm aliud pateretur. Secundò, quia ſequeretur, quamlibet rem poſſe in ſeipſam agere. Probatur conſequentia, quia ſi ratio agendi vnius in alterum eſt ſimilitudo, nihil eſt adeò ſimile alteri, quàm idem ſibimet: ergo poterit in ſeipſum agere, ex quo ſequitur, inquit, aliud abſurdum, quòd etiam poſſet corrumpere ſeipſum: quia actio agentis in paſſum ſua natura ordinatur ad corruptionem eius, & ideò nullum eſſet in rerum natura corpus incorruptibile, quòd patet eſſe falſum, cum corpora cœleſtia incorruptibilia ſint. Quòd verò non poſſint eſſe omnino diſſimilia, vt dicebat prima opinio, probat exemplis, & ratione: exemplis quidem, quia quantitas, & calor, & his ſimilia ſunt penitus diuerſa, & non agunt, nec patiuntur inter ſe; ergo ratio agendi, & patiendi non eſt diſſimilitudo. Ratione vero, quia agens, & paſſum debent eſſe contraria, ſed contraria continentur ſub eodem genere, & ideo in eo conueniunt: ergo ſaltem ex hac parte debent aliquo modo eſſe ſimilia.

83 His ſententiis refutatis, proponit propriam dicens: Agens, & paſſum,

paſſum, nec omnino ſimilia eſſe debere, nec omnino diſſimilia, ſed ſecundum genus, & ſecundum commune ſubiectum, circa quod ſe expellunt, ſimilia, & ſecundum formas ſpecificas, diſſimilia, vt calidum & frigidum oſtendunt. Et ex hac veritate collegerunt Philoſophi vulgatum illud ſæpe in ſchola repetitum: omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum: quod non eſſet verum, ſi ante actionem eſſet ei omnino ſimile.

In ſecunda parte proponit hoc dubium, an agens, dum agit, ſimul patiatur ab eodem paſſo, circa quod agit, quod vocant repati ab illo. Vt autem reſpondeat, præſupponit duas diuiſiones mouentis, & agentis. Prior eſt, mouens, aliud eſt primum, aliud vltimum. Primum mouens eſt illud, à quo primo procedit motus, ita vt non procedat ab alio priori, vt prima cauſa, à qua mouentur omnia, dicitur primum mouens, nempe Deus: vltimum verò eſt illud, vltra quod non eſt aliud mouens, ſed immediatum eſt mobili, vt baculus, quo Petrus mouet lapidem, eſt vltimum mouens. Alia diuiſio eſt agentis, vel alterantis (nam agens pro alterante ſumitur, vt vidimus cap. præcedenti) etiam in primum, & vltimum. Alterans primum eſt, quod ſic alterat, vt non alteretur ab alio, vt Medicus, qui alterat corpus ſanandum, ſed ipſe non alteratur ab alio ſanante: alterans verò vltimum eſt, vltra quod non eſt aliud alterans, ſed per ſeipſum attingit paſſum, vt medicamentum in eadem ſanatione. Conuenit autem primum mouens cum primo alterante, & differt ab eo: conuenit quidem in eo, quòd ſicut primum mouens, ſi ſit primum ſimpliciter, non mouetur ab alio; ita primum alterans, ſi ſit primum ſimpliciter in ordine alterantium, non alteratur ab alio, vt cœlum non alteratur ab alio: ſed differunt etiam, quia primum mouens nihil accipit ab alio, vt Deus: primum verò alterans, licèt non alteretur ab alio, ſed accipit motum ab alio, vt cœlum ab intelligentia. Conuenit etiam vltimum mouens cum vltimo alterante in eo, quod ſicut mouens mouetur ab alio, vt baculus, ita alterans alteratur ab alio, vt medicamentum alteratur à ſtomacho.

His diuiſionibus ſuppoſitis, reſpondet dubio propoſito hoc 34
modo. Quodlibet agens habens formam in materia, hoc eſt, in materia communi, & eiuſdem rationis cum materia paſſi, agendo poteſt repati, quæ verò non habent formam in materia, hoc eſt, in materia communi, & eiuſdem rationis, ſed diuerſæ ſpeciei, non repatiuntur: & quia omnia agentia ſublunaria habent formam in materia eiuſdem rationis, agendo repatiuntur: corpora verò cœleſtia habent formam in materia diuerſæ rationis, ideò non repatiuntur agendo: & vniuerſa-

Digitized by Google

liter loquendo inquit; Primum agens non repatitur, sed vltimum. Docet tandem in vltima parte, ad quod genus causæ pertineant agens, & passum; & primo de agente ait, pertinere ad genus causæ efficientis. Probat primo, quia causa efficiens est, à qua incipit motus, sed agens est, à quo incipit alteratio: ergo est causa efficiens. Secundò probat à sufficiente diuisione, hoc modo; Agens non pertinet ad tria alia causarum genera, nempe ad formalem, finalem, aut materialem, & est vera causa: ergo pertinet ad efficientem. Maiorem sic probat; causa finalis non mouet propriè, sed quadam motione Metaphorica; sed agens mouet propriè, quia alteratio ab eo procedens est propriè motus: ergo agens non pertinet ad causam finalem. Probat secundo, quòd nec sit finis, nec forma, quia agens tunc est actu agens, quando ab eo egreditur actio; sed quando ab eo egreditur actio, nondum sunt finis, nec forma: nam dum sunt, cessat potius actio, & agens iam non est actu agens: ergo agens non est finis, nec forma. Quod verò agens non sit materia, per se notum esse ait, quia materia nihil agit, sed passiua tantum est; sed proprium est agentis agere: ergo agens non est causa materialis, sed passum est, quod ad eam pertinet, vt per se est manifestum.

CAPVT VIII.

Quomodo autem potest hoc accidere, rursus dicamus.

Breuis expositio textus.

35 NIhil nouum ad doctrinam pertinens affert Arist. in hoc cap. sed prolixè satis refert, & reijcit opiniones antiquorum Philosophorum circa modum agendi, & patiendi corporum naturalium inter se, & in ordine ad generationem, corruptionem, atque mixtionem, & hoc est intentum capitis, quod in duas partes diuidi potest. In prima referuntur duæ opiniones, & in secunda refutantur.

Prima opinio fuit Empedoclis asserentis, corpora non posse agere, nec pati, nisi intra illa ponantur pori quidam, aut concauitates, per quas vnum possit subintrare alterum, & quasi penetrare illud, & circa illud agere: & quidem si æquales sint pori vtriusque, atque commensurabiles, vicissim se penetrabunt, & talis penetratio erit mixtio vtriusque, quo pacto se habent aqua & vinum, & quæuis alia corpora liquida: si verò pori vtriusque non

non ſint commenſurabiles,ſed inæquales,tunc ingredietur quidem alterum , quod ſubtilius eſt , per poros craſſiores, vt ignis per poros ligni,ſed non è conuerſo : & ideo inter talia corpora non poterit mixtio fieri, ſed ſolum generatio,& corruptio, aut alia operatio, ſicut per poros aëris, & cuiuſlibet alterius medij fit viſio,& quæcumque ſenſatio alterius ſenſus.

Secunda opinio fuit Democriti,& Leucippi,ponentium qui- 36
dem eoſdem poros, ſed diuerſa ratione ; nam Empedocles ponebat eos vacuos:iſti verò plenos corpuſculis quibuſdam indiuiſibilibus,quæ appellabant athomos, ita tamen vt nõ omnino eos replerẽt,ſed cum iidem athomi eſſent diſcontinui, vacuum inter eos relinqui , & per vacuum ipſum mouebantur, & quaſi volitabant:per congregationem verò, ſeu vnionẽ horum athomorum res generari , & per ſeparationem corrumpi res dicebant. Itaque vt ex contextu huius capitis colligitur , duæ iſtæ opiniones ex parte conueniũt,& ex parte differunt:conueniunt quidem in eo,quod vtraque ponebat vacuum in poris omnium corporum, ſed poſterior in hoc vacuo ſemper degere athomos, in eóq; congregari,vel vniri ad aliquid generandũ aſſerit:prior verò docet,in eiſdem poris vacuis nõ eſſe à principio athomos, ſed à corpore ſubintrante per illos deriuari, & quaſi produci in eiſdem poris , vt per productionem eorum agere poſſit in corpus idem. Ideò Ariſt.aſſerit has duas opiniones parum differre, quantum ad modum agendi corporum per hos poros , & per athomos in eis exiſtentes, vel à corpore ſubintrante immiſſos.

Sed vtramque impugnat, tamquam falſam, & veræ Philoſophiæ contrariam in 2.part.capitis.Primam quidem Empedoclis hac ratione;quia ſi vnum corpus agit in alterum,quia per poros eius ſubintrat,vt aſſerit,vel corpus iam ingreſſum agit per contactum , vel non ; ſi per contactum agit,eumdem habere poſſet abſque ingreſſu,vt per ſe patet:ergo ſine poris vacuis poſſet eſſet actio & paſſio. Si verò non agit per contactum:ergo quamuis agens ſubintret , & per ingreſſum tangat partes corporis, non aget;quia ingredi non eſt agere, ſed approximari ad agendum ; nec poteſt excogitari per aliquid aliud agere ſubintrans, per quod non poſſet agere extra corpus exiſtens,& paſſum tangens:fruſtra ergo ponuntur tales pori vacui.

Secundam verò opinionem ſic impugnat;vel athomi,quibus 37
pleni ſunt pori, agunt inter ſeſe,& patiuntur,vel corpus ſubintrans per poros, cui athomi cedunt. Primum non poſſunt ſine aperta contradictione concedere : nam ipſi dicunt , non dari actionem,& paſſionem , niſi per vacuum , ſed athomi ipſi non habent intra ſe vacuũ,ſed ſunt ſolidi:ergo nõ poſſunt inter ſeſe

agere, & pati. Si verò ſecundum concedant, fruſtra ponunt tales athomos intra poros, quia ſicut athomi cedunt corpori ſubintranti, ita partes corporis poſſunt cedere alteri, præſertim ſi fluidæ ſint, & ita æquè facilè poterunt agere & pati corpora ſine poris vacuis, aut athomis plenis, ac ſi non darentur, & propterea fruſtra ponuntur. Et ſi dixerint non eſſe neceſſarium dari vacuum intra quemlibet athomum, ſed ſatis eſſe ſi detur inter vnum, & alterum; eadem ratione probatur, non eſſe neceſſarium dari poros vacuos, nec athomos intra illos, vt vnum corpus agat, & alterum patiatur, ſed ſine illis poſſe agere, ſicut pori ipſi inter ſeſe agunt; & patiuntur ſine his per ſolum contactum.

CAPVT IX.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quo autem modo inſit generare entibus, & facere, & pati, dicamus, &c.

Breuis expoſitio textus.

38 INtentum Ariſt. in hoc 9. cap. eſt, ex propria ſententia docere, quonam modo corpora agant, & patiantur, poſtquam ſententias aliorum refutauit. Diuiditur autem caput in duas partes. In prima enumerat quatuor conditiones, quas habere debet agens, & paſſum; & reiicit quintam ab aliis additam, tamquam falſam. In ſecunda verò parte docet, opinionem Democriti ponentis indiuiſibiles athomos in poris corporis ad agendum, & patiendum neceſſarios, non ſolum generationem corporum tollere, ſed etiam alterationem, & augmentationem.

Prima conditio agentis, & paſſi eſt, vt agens in quantum tale ſit in actu, & paſſum in potentia, vt ignis agit in quantum eſt calidum, & lignum patitur, in quantum eſt in potentia ad recipiendum actum eius, nempe calorem.

Secunda conditio eſt vt agens, & paſſum ſe tangant, proximè quidem, ſi agens proximum ſit, vel vltimum, inter quod & paſſum nō ſit aliud agens; vel remotè, ſi non ſit agens vltimum, ſed primum, vel intermedium, vt Sol tangit aquam medio aëre, ſed aër, quod eſt agens vltimum immediatè per ſe, vel etiam tactu formali, aut virtuali, vt capit. 6. explicatum eſt à nobis. Ex quibus ſequitur, non eſſe neceſſarium, quod corpus ſecundum quaſdam partes tantum patiatur, nempe ſecundum poroſas, & non

Digitized by Google

non secundum alias, nempe solidas ; sed secundum omnes pati potest. Cuius ratio,inquit,est,nam ideo potest corpus agere secundum omnes partes, quia secundum omnes est in actu: sed etiam secundum omnes est in potentia ad actum recipiendum : ergo secundum omnes potest pati. Probatur minor,quia omnes partes sunt eiusdem naturæ propter eamdem formam: ergo eodem modo se habent omnes, sicut ad agendum, sic ad patiendum.

Tertia conditio est, quòd agens, & passum non sint conti- 39
nua, quod non est intelligendum de continuatione materiali, aut quantitatiua : nam euidens experientia docet, partem calidam corporis agere in partem frigidam sibi continuam, sed de continuatione secundum eamdem formam agendi,& eumdem gradum eius,ita vt si duo sint continua,& eamdem formam, in eodémque gradu participent,nõ possit vnum agere in alterum, quod patet in partibus ignis,vel ferri æquè calidis;si enim calor remissior esset in vna,quàm in alia sibi proxima, posset absque dubio intensior in remissiorem agere.

Quarta conditio est,vt agens & passum sint in debita distantia,hoc est, vt passum sit intra spheram actiuitatis agentis:cum enim agentia naturalia,immò & creata omnia finita sint,& limitata,non possunt actionem suam extendere ad quamcumque distantiam,sed ad certam,& limitatam, ita vt vltra illam agere non possint, & ideò nisi passum intra talem distantiam contineatur,non poterit agens circa illud agere,neque aliquid ab eo patietur passum.

Aliqui addiderunt quintam conditionem, nempe quod pas- 40
sum non secundum omnem partem patiatur, sed secundum vnam, & non secundum aliam. Quam probat esse falsam, & ideò non necessariam : quia si verum esset,inquit,corpus naturale componi ex athomis indiuisibilibus, vt docuit capit. præcedenti Democritus,vel ex superficiebus indiuisibilibus,vt docebat Plato,nõ posset pati secundum quamlibet partem, immo secundum nullam,quia nulla pars eius esset diuisibilis, nec extensa, immò nec esset corpus;quæ omnia necessaria sunt ad patiendum,immò nec totum corpus ita compositum esset continuum, vel extensum;quia nec indiuisibilia possunt continuari, nec aliquid extensum efficere.Dicendum igitur est,posse totum corpus pati ab alio,& secundum quamlibet partem, nec ad hoc esse necessarium, vt partes eius actu sint diuisæ, sed satis est, quòd sit diuisibile secundum omnes,& singulas.

In secunda tandem parte capitis docet,opinionẽ Democriti ponentis indiuisibiles athomos intra poros corporis ad act:o-

nem,& passionem necessarios,non solum frustra eos ponere, vt capite præcedenti probauit,sed tollere alterationē, & augmentationem:alterationem quidem, nam experientia constat, totum corpus calefieri, vel infrigidari sine vlla diuisione suarum partium:quòd tamen impossibile esset in sententia eius,qui dicebat athomos illos per quorum vnionem generātur corpora, discontinuos esse debere, sitúmque, & positionem mutate pro generatione, & corruptione vnius, & alterius corporis, & ex consequenti pro alteratione:augmentationem verò,quia vna ex conditionibus augmentationis propriæ sumptæ est,quòd quælibet pars corporis augeatur:si verò augmentatio per ingressum athomorum in poris existentium fieret,nō posset quælibet pars augeri,immo neque vlla, quia indiuisibiles athomi augeri non possunt, sed solùm fieret positio quædam vnius iuxta alterum; quam constat veram augmentationem non esse.

TRACTATVS DE ACTIONE & reactione corporum naturalium,& de his,quæ ad eam pertinent.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit resistentia?

41 ACturus Arist. de mixtione elementorum, ex qua resultat compositio corporū naturalium, quæ appellantur mixta, agit prius de actione, & passione, quibus mediis admiscentur elementa ad componendū mixtum,& consequenter de his,quæ ad agendū,& patiendum requiruntur,& cum actio,& passio sint inter contraria,quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt per contrarias qualitates,vt patet in igne, & aqua,in aëre, & terra, necessariò agendū fuit de similitudine,de dissimilitudine,atque etiā de distinctione inter agens & passum requisitas,& tandem, quia agens, & passum mutuo se expellunt ab eodē subiecto per mutuā actionem, & passionē vnius in alterum, & vnius ab altero,quæ quasi pugna,aut bellū vocari potest,& Philosophico vocabulo vocatur actio,& reactio vnius in alterum. Agit etiam de hac actione,& reactione,de qua nos tractatū nostrum instituimus,tamquam de principaliori, ac difficiliori, & ad quā requiruntur & ordinantur prædicta omnia. Sed quia actio,& reactio inter contraria fit per actiuitatē,& resistentiā,quia sicut quodlibet

libet contrarium agit in aliud, ita resistit actioni alterius, & expulsioni propriæ à subiecto; resistentia verò, sicut actio fit mediis qualitatibus cõtrariis, propterea agendum est de resistentia in primo loco, explicandúmq; quid sit, & quotuplex, & quonam modo conueniat qualitatibus contrariorũ corporum, præsertim primis, per quas agũt, & patiuntur elemẽta, ex his enim maximè dependet notitia aliorũ, de quibus in hoc tractatu agendum est.

Primum igitur, quod quærit titulus quæstionis est, quidnam 42
sit resistentia. Et prima opinio asserit, resistentiam realiter esse actionem ipsam, per quam vnum contrarium agit in aliud, ratione tamen ab ea distingui, vt resistentiam ignis nõ esse aliam rem à calefactione, vel exiccatione, per quas agit in frigidum, aut siccum; quia eadem actione, per quam ignis agit in aquam eam calefaciendo, defendit se ab illa, ne eum infrigidet, ratione tamen distinguimus in calefactione, seu in calore, qui est virtus actiua, actiuitatem, & resistentiam, seu potentiam actiuam, & resistiuam; nam in quantum ab eo procedit effectus, dicitur virtus, vel potentia actiua, & medium, quo procedit, dicitur actio; sed in quantum per eamdem virtutem se defendit à frigiditate aquæ, vocatur virtus, vel potẽtia resistiua, & actio ipsa, in quantum est medium se defendendi, dicitur resistentia: & hæc distinctio sufficit, vt dicatur vna qualitas magis actiua, quàm resistiua, vel è contra, vnum elementum magis actiuum, quàm resistiuum. Probat exemplo intellectus, qui cum sit eadẽ potentia realis, distinguimus in eo rationem intellectus, & memoriæ, & dicimus, vnum hominem habere perfectiorẽ intellectum, & memoriã minus perfectam, atq; etiã è contrario: ergo licèt eadem res sint virtus actiua, & resistiua, sufficit distinctio rationis, vt verũ esse possit, vnam qualitatẽ esse magis actiuam, quàm resistiuã, vel esse magis resistiuã, quàm aliã. Ita Sõzinas 9. Metaph. q. 6.

Hæc tamen sententia, aut falsa est, aut insufficiens, falsa qui- 43
dem, si loquitur vniuersaliter de resistentia. Quod sic probo. In multis corporibus datur resistentia, quæ nec sit actio, nec fiat per virtutem actiuam: ergo non potest esse vniuersaliter verum, quòd resistentia non sit aliud reipsa, quàm actio, vel resistere, quam agere. Probatur antecedens, quia albedo, & nigredo, raritas, & densitas, atque etiam grauitas, immo & quantitas, resistunt nihil prorsus agentes; albedo quidem in subiecto, in quo est, resistit nigredini, impediendo introductionem eius in eodem subiecto, & densitas etiam impediens introductionem raritatis, vel alterius qualitatis: corpus etiam graue suo pondere resistit volenti illud mouere, & vna quantitas in suo loco exi[illegible]as suo modo resistit alteri per proprias

dimen-

dimenſiones,ne eumdem locum ingrediatur. Si verò non loquatur eadem ſententia vniuerſaliter de reſiſtentia, hoc eſt de omni,ſed tantum de aliqua,inſufficiens eſt,quia aliqua tantum reſiſtentia explicata,& non omnis, inſufficienter explicabitur, quid ſit reſiſtentia.

44 Noſtra igitur ſententia eſt, quod præter reſiſtentiam purè negatiuam,quæ non eſt aliud, quàm omnimoda incapacitas ſubiecti reſpectu talis actionis, ac formæ per eam imprimendæ,diſtinguenda ſit duplex reſiſtentia poſitiua,vna actiua, alia paſſiua,aut formalis.Ita tenẽt omnes recẽtiores, & ideò ſolùm oportet explicare,quid ſit reſiſtentia in communi, & quonam modo in hæc membra poſitiua diuidatur, quid etiam ſit quælibet earum in particulari, ex quorum explicatione cenſebitur noſtra ſententia ſufficienter probata. Reſiſtere alteri vniuerſaliter loquendo eſt impedire,vel retardare actionẽ,vel effectum eius,ne fiat,vel ne fiat tam cito,vel tanta intenſione,aut perfectione. Exempli gratia;dum ignis calefacit aquã, ſua actione debilitat virtutem eius, impeditque, ne agat in ſe,aut ſi agere permittitur,non tanta velocitate,aut tanta intenſione, ac ageret,ſi non impediretur:frigiditas etiam aquæ informãs aquam eo ipſo impedit actionẽ calidi,& ingreſſum caloris in eam, & impedimentũ hoc præſtare,dicitur propriè ei reſiſtere.Reſiſtẽtia verò ſic in communi ſumpta,& explicata duplex eſt,actiua, & formalis:actiua eſt actio agentis,in quantum impedit contrarium,ne in idemmet agens,à quo ipſa egreditur,agat,aut ne tanta velocitate,aut intenſione,vt actio ignis,per quam debilitatur frigiditas aquæ,dicittur reſiſtentia actiua eiuſdem ignis: reſiſtentia verò formalis, licèt dicatur reſpectu actionis, vel actiuæ virtutis,non eſt actio aliqua,ſed ſolum informatio eiuſdem formæ incompoſſibilis cum forma agentis, in quantum impedit, ne actio agentis contrarij in ſubiecto, quod informat,recipiatur, vt reſiſtentia formalis aquæ reſpectu ignis eſt informatno frigiditatis incompoſſibilis in aqua cum calore; itaque frigiditas per ſolam informationem impediens ingreſſum caloris,dicitur reſiſtere aquæ formaliter. Et denique illa omnia, quæ probauimus reſiſtere alijs nihil agendo aduerſus primam opinionem,reſiſtunt reſiſtentia formali.

45 Nunc autem probandum eſt primò, vtrumque membrum huius diuiſienis dari. Probatur autẽ ex definitione communi reſiſtentiæ:nam reſiſtere contrario eſt impedire actionẽ eius, & introductionem ſuæ formæ in eodem ſubiecto: ſed vtroque modo contingit ſic impedire actionem, & effectum contrarij, actiuè,& paſſiuè, aut formaliter:ergo datur duplex reſiſtentia.

Probatur

Probatur minor ,nam ignis agendo in aquam , & debilitando frigiditatẽ eius per impreſſionem caloris impedit, ne in ipſum agat,vel non tam cito,aut tanta intenſione, quod eſt retardare actionem eius. Præterea calor ignis per ſuam informationem impedit,ne aqua agat in ipſum,aut propriam frigiditatẽ ei imprimat,vel non ſimul,aut non tanta intenſione, aut velocitate: ergo reſiſtit formaliter , quia id,quod forma præſtat per ſuam informationẽ,dicitur præſtare in genere cauſæ formalis. Probatur ſecũdo,quòd eadem diuiſio ſit adæquata, quia non datur reſiſtentia aliqua,nec dari poteſt , vel excogitari , quæ non fiat per actionem,vel informationem , vt euidenti inductione diſcurrenti per ſingulas reſiſtentias facilè conſtare poteſt : ergo non eſt excogitabilis alia reſiſtẽtia præter actiuã & formalem.

Sed aduerſus ſingula membra huius diuiſionis propono ſin- 46
gula argumenta , vt ex eorum ſolutionibus magis explicetur diuiſio,& melius intelligatur. Et primò aduerſus reſiſtentiam formalem probo non dari:nam forma informans ſubiectum non impedit actionem agentis,per quam introducenda eſt oppoſita ratione ſuæ informationis,ſed per actionẽ,qua cõſeruatur ab agente,vt calor ignis impedit actionẽ frigiditatis,& introductionẽ eius in eodẽ igne, in quantũ cõſeruatur per actio- primæ cauſæ, atque etiã ſuo modo virtute formæ ſubſtantialis eiuſdẽ ignis,quæ ſicut effectiuè,cõcurrit ad emanationẽ caloris à ſe,ita ad conſeruationẽ eius,quæ non eſt aliud, quã continuatio eiuſdẽ emanationis:ergo hæc reſiſtentia formæ quæ appellatur à nobis formalis , potius eſt actiua pertinens ad primum mẽbrũ:quare nulla dabitur reſiſtentia formalis. Probatur cõſequentia,quia actio agentis,& ſubſtantialis formæ, per quas cõſeruatur,non pertinet ad genus cauſæ formalis , ſed efficientis: ergo nec reſiſtentia ipſa. Quod hac ratione poteſt confirmari: nã ſi forma ratione ſuæ informationis reſiſtit agenti , vel reſiſtit in eodẽ inſtanti,in quo agens agit ad introducendã oppoſitam,vel antequã agat.Primũ eſt impoſſibile , quia in inſtanti, in quo agit,ſi actio eius ſit inſtãtanea , iam eſt introducta forma oppoſita,vt patet in generatione ſubſtantiali viuentiũ:ergo iam nõ eſt forma expulſa:ſed quod non eſt, non poteſt reſiſtere ſicut nec poteſt agere:ergo in illo inſtanti non datur reſiſtentia formalis;& eodem modo , ſi agens agit actione ſucceſſiua non poteſt forma eius reſiſtere , dum agit;quia tempore , quo agit,introductus eſt aliquis gradus formæ oppoſitę:ergo etiam eſt expulſa eadẽ forma præexiſtens,quãtum ad illũ gradum,ratione cuius reſiſtere non poterit ; neque ratione aliorũ permanentium,quia adhuc non agit circa illos contrariũ.Quod verò

non reſiſtat forma agẽtis per ſuam informationem, antequam agat, euidens eſt, quia non dicitur vnum reſiſtere alteri, antequam ab illo impugnetur, vt docet experientia.

47 Propono ſecũdum argumentũ aduerſus reſiſtẽtiam actiuam hoc modo: ſi detur talis præſentia, quæ ſit realiter eadem actio agentis, ſequitur, nullã qualitatem eſſe magis actiuã, quàm reſiſtiuã, vel è conuerſo, ſed omnes eſſe æqualiter actiuas, & reſiſtiuas, & conſequenter nullum elementũ eſſe magis actiuum, quàm reſiſtiuum. Probatur conſequentia, quia quælibet qualitas dicitur actiua in ordine ad actionem, cuius principium eſt; ſed per eamdem actionẽ eſt reſiſtiua, in quantum per eam debilitans virtutem contrarij impedit actionem eius: ergo æqualiter erit reſiſtiua, & actiua. Conſequens autẽ eſt contra communem modum loquendi, & ſentiendi omnium ferè Philoſophorum, & expreſſè contra Ariſtotelem 2. lib. de Generat. text. 8. & 4. lib. Metaph. cap. 1. expreſſe aſſerentem, calorem, & frigiditatem eſſe qualitates actiuas, humiditatem, & ſiccitatem paſſiuas. Pro ſolutione primi argumẽti adnotandũ eſt, quod actio, per quam conſeruatur forma in ſubiecto, ordine naturæ præſupponitur ad agendum vel reſiſtendum. Quod ſic probo. Exiſtẽtia actualis rei extra cauſas præſupponitur actioni, & paſſioni, & ex conſequenti præſupponitur reſiſtentiæ actuali, quæ in agendo, & patiendo interuenit; ſed conſeruatio rei nõ eſt aliud, quàm continuatio exiſtentiæ eius extra cauſas, ſicut prima productio eius eſt incipere eſſe extra cauſas: ergo conſeruatio formæ: & conſequenter actio ipſa, per quam conſeruatur, præſupponitur actioni, per quam agit, & reſiſtentiæ, per quã reſiſtit agenti. Vnde ſequitur, talem actionem conſeruatiuam non eſſe reſiſtentiã actiuã, neque formalem eiuſdem rei, quæ conſeruatur, ſed conditionem neceſſariam ei præſuppoſitam, quia ſicut non poteſt agere res, niſi actu exiſtat, ita non poteſt reſiſtere: actio verò, atque reſiſtentia quid aliud conſequens, atque natura poſterius eſſe debet, nẽpe actio eiuſdem rei, vel repugnãtia formalis, per quã formaliter reſiſtit contrario: negari tamen non poteſt, conditionem hanc præſuppoſitã iuuare ad reſiſtendum, quia quo à fortiori cauſa conſeruatur forma, difficilius expellitur à ſubiecto, & ſi à multis, atque diuerſis, longè difficiliusergo magis reſiſtit actioni agentis contrarij contendentis

48 eam expellere. Gratia exempli, Calor productus in aqua, quo à pluribus agentibus conſeruatur, magis reſiſtit reſiſtentia formali actiuitati eiuſdem aquæ, per quam intendit, atque conatur eum expellere, vt ſe reducat ad naturalem frigiditatem. Sed quod intendimus eſt, has actiones conſeruantes non eſſe reſiſtentiam

ſtentiam actiuam, neque formalem eiuſdem rei conſeruatæ, ſed vtrique præſupponi,& vtramque iuuare. Et ex his ſoluitur primum argumentum:nam ad formam eius negandum eſt antecedens,quòd forma non reſiſtat actioni agentis per ſuam informationem,ſed talem reſiſtentiam potius fieri per actionem conſeruantis;quia licèt actio conſeruantis ſit conditio neceſſariò præſuppoſita,vt forma poſſit reſiſtere,quemadmodum præſupponitur neceſſariò actualis exiſtentia eiuſdem formæ, forma tamen ipſa conſeruata in eſſe, per ſuam informationem incompoſſibilem cum forma contrarij, abſque aliqua actione impedit actionem contrarij modo iam explicato, ſic autẽ eam impedire,eſt reſiſtere formaliter.Vel ſecundo reſponderi poteſt concedendo:quòd actio conſeruantis formam ſit quædam reſiſtentia actiua,non quidem procedẽs à forma paſſi, circa quod operatur contrarium, ſed ab eodem conſeruante eamdem formam,præter quam reſiſtentiam forma ipſa per ſuam informationem,& ideò in genere cauſæ formalis propriam habet, atque diſtinctam,quæ vocatur formalis,immo & propriam actiuam per actionem à ſe procedentem. Itaque licet reſiſtentia actiua,& quaſi remota conſeruantis, coniungatur ſemper cum formali,tamquam ei neceſſariò præſuppoſita, hoc non tollit diſtinctionem vtriuſque,quia vna eſt actio, & alia informatio.

Pro ſolutione confirmationis notandum eſt,quòd ſicut for- 49
ma ſubſtantialis,non eſt per ſe immediatè actiua, ſed per ſuam virtutem accidentalem ſuperadditam,ita non eſt per ſe immediatè reſiſtiua, non ſolum reſiſtentia actiua: quia cum hæc ſit realiter ipſa actio, ſi forma non eſt actiua per ſe immediatè, nec erit reſiſtiua hæc reſiſtẽtia,ſed nec reſiſtentia formali, quia non impedit per ſe immediatè actionem agentis, ſed per ſuam virtutem accidentalem contrariam virtuti agentis, per quam agit. Exempli gratia. Aqua immediatè per ſuam ſubſtantiam, ſicut non agit ita nec reſiſtit reſiſtentia actiua, ſed per frigiditatẽ vel humiditatem vtrumque præſtat, & eodem modo non reſiſtit actioni agentis contrarij reſiſtentia formali, niſi per eaſdem virtutes,quia ſi illas non haberet, nec eſſet formaliter contraria igni,nec reſiſteret actioni eius reſiſtẽtia formali, ſed in eodem momento poſſet ignis ſuum calorem ei imprimere. Suppoſito ergo,quòd per ſuam virtutem reſiſtit reſiſtentia formali,quærebat argumentũ,an reſiſtat agenti antequã agat, vel dum iam agit.Cui reſpõdent iuniores quidã nõ reſiſtere priuſquã operetur,ſed dum iã operari; & licèt tunc iã non ſit forma ſecundum illũ gradum iam expulſum, ſufficit immediatè extitiſſe,vt reſiſtere dicatur per eum;quia cum reſiſtentia formalis

non ſit

non sit actio aliqua,per quam producatur aliquis effectus, non necessariò postulat actualem existentiam formæ resistentis. Hæc tamen sententia falsa est, quia licèt resistere formaliter non sit agere,est tamen impedire introductionem alterius formæ;sed dum agens agit, verum est, aliquam partem gradualis formæ esse introductam, & aliam expulsam; ergo verum est, formam secundum hanc partem non informare,non impedire, & consequenter, non resistere.

50 Vt ergo explicemus veram solutionem argumenti,adnotandum est,quod nunc præcipuè loquimur de resistentia,tam activa, quam formali in ordine ad actionem, & passionem Physicam,& realem,quæ non reperitur, nisi inter propriè contraria, de quibus certum est,successiuè, & non in instanti se expellere ab eodem subiecto. Vnde sequitur, vnam formam contrariam resistere alteri resistentia formali non esse aliud,quàm impedire actionem agentis contrarij,ita vt vel non agat,vel nõ simul, quidquid potest,sed successiuè,& cum mora temporis, vt frigiditatem aquæ resistere actioni ignis est per suam informationem impedire,nec introducatur calor, vel ne simul secundum totam intensionem, sed successiuè, & cum mora temporis, qui tamen in momento,& sine vlla mora introduceretur, nisi contraria frigiditas adesset. Quo supposito, respondeo ad formam argum.dum dicitur,vel resistere frigiditatẽ antequã ignis agat, vel dum iã agit,dico non resistere, dum iam agit, nec prius tẽpore,quàm agat, sed in instanti, in quo agere incipit, quod est vltimum non esse actionis successiuæ, per quam agit. Primam partem probat argum.quo refutauimus alium modum dicendi, quia illa pars gradualis eodem tempore, quo agẽs operatur expulsa,nõ potest resistere,cum eodẽ tempore iam non sit,& tunc per illam tantũ posset resistere passum.Secundam vero partem, quòd non resistat prius tempore,quã operetur,sic probo. Prius tempore quã agens operetur,non aggreditur passum,neq; illud oppugnat,vel impetitur, immo nec omnino attingit;sed quod nõ oppugnatur,nec aggreditur à suo contrario, nec attingitur, nõ dicitur ei resistere;ergo nihil resistit prius tempore,quam in ipsum operetur agens.Restat igitur,vt dũ agens approximatum passo incipit in illud agere,tũc primo passum dicatur actu resi-
51 stere.Probatur hac ratione,si frigiditas (gratia exempli) nõ informaret aquam in eo instanti, in quo primò verũ est,ignẽ esse illi approximatũ,introduceret idẽ ignis simul totã latitudinem caloris in eã,& hac sola de causa,non simul,aut in instanti eam introducit,sed successiuè,& cum mora tẽporis ac per partes proportionales;ergo in eo instãti impedit frigiditas per suã informationem

mationem introductionem formæ contrariæ, ſed hoc eſt reſiſtere formaliter: ergo in eo inſtanti, in quo agens incipit agere, reſiſtit illi contrarium reſiſtentia formali. Secundo, bene ſequitur, paſſum reſiſtit agenti reſiſtentia formali, vt ſuperius probauimus, ſed non reſiſtit actu, dum agit, nec prius tempore, quàm agat: ergo dum incipit agere. Euidens eſt conſequentia, quia non datur aliud inſtans, vel tempus, in quo reſiſtat actu præter tria hæc; ſed probatur minor: nam dum agens actu agit, non eſt iam pars illa formæ, per quam poſſet paſſum reſiſtere, ſed expulſa eſt: ergo non reſiſtit actu per illam. Quod vero non reſiſtat prius tempore, quam agens agat, probatur, quia reſiſtere formaliter non eſt aliud, quàm formam per ſuam informationem impedire, ne agens introducat formam contrariam in eodem ſubiecto, vel non tanta velocitate, aut intenſione; ſed nihil horum impedit forma prius tempore, quàm operetur agens circa ſubiectum, quod informat: ergo non eſt verum, tunc reſiſtere. Probatur minor, quia etiam ſi tempore illo non informaret ſubiectum, non introduceret agens in ipſum propriam formam: ergo non eſt verum, quòd tempore illo impediat introductionem eius, & ex conſequenti, quòd actu reſiſtat. Quod etiam probari poſſet ab inconuenienti: nam ſi prius tempore actu reſiſteret, dum nullum eſt ei approximatũ agens, ſequeretur, quod etiam ſi nullum haberet contrarium exiſtens in rerum natura, diceretur ſemper ei actu reſiſtere. Probatur conſequentia, quia dum agens non eſt ei approximatum, non magis illud reſpicit, quam ſi in natura rerum non exiſteret: ſi ergo illi diceretur actu reſiſtere, actu etiam reſiſteret agenti contrario non exiſtenti, quod eſt abſurdum.

Et ſi aliquis dicat, eiſdem rationibus probari, quod nec in inſtanti, in quo agens incipit agere, dicatur paſſum ei reſiſtere reſiſtentia formali; quia non reſiſtit paſſum actu, niſi contrario actu agenti in ipſum; ſed in illo inſtanti non eſt verum, quòd agens actu operetur: ergo nec verum erit, quod paſſum ei actu reſiſtat. Probatur minor, quia vnum contrarium non agit in alterum, niſi actione ſucceſſiua; ſed actio ſucceſſiua non eſt in inſtanti, ſed in tempore: ergo nec verum eſt, quòd in eo inſtanti actu operetur agens, ſed in tempore ſtatim ſequenti: & ideò tunc dicetur paſſum ei reſiſtere, & non prius. Reſpondeo, quòd licet aliqui teneant in eo inſtanti actu operari agens actione inſtantanea, per quam producit primum indiuiſibile termini; hoc tamen non eſt certum, nec adeò conſentaneum principiis Ariſt. qui 6. lib. Phyſic. expreſsè negat, motum habere primum indiuiſibile, ſed ſolũ terminari ait indiuiſibili quodam extrin- 52

seco. Hac igitur doctrina nunc prætermissa; ad formam argumenti neganda est maior, quòd non resistat passum, nisi agenti actu operanti in ipsum; sed verum est, resistere agenti, dum non agit, sed agere incipit. Quod sic probo, resistere est impedire actionem agentis, vel obstare, vt non agat; sed hoc non potest præstare passum, dum iam agens actu operatur circa ipsum, nec prius tempore, quàm operetur, sed in instanti, in quo incipit agere: ergo verè, & propriè tunc dicitur actu resistere passum, dum incipit agens circa ipsum agere, & non ante, nec post. Probatur minor, quia in eo instãti introduceret suam formam, nisi obstaret forma opposita per suam informationem. Quod etiam probatur à priori, quia in illo instanti primo verum est, quòd agens sit illi approximatum, & ideò tunc primò respicit illud respectu immediatæ præsentiæ, vel contactus, quem contactum sequeretur actio eius, & introductio suæ formæ, nisi obstaret opposita per suam informationem: ergo tunc primò verum est, ei actu resistere resistentia formali.

QVÆSTIO II.

Quo ordine, & modo conueniant primis qualitatibus actiuitas, & resistentia?

53 CIrca solutionem secundi argumenti insurgit secunda quæstio de modo, & ordine quo conueniant qualitatibus contrariis, præsertim primis elementorum actiuitas, & resistentia. Et de actiuitate certum est omnibus cõuenire, ita vt omnes sint actiuæ, & productiuæ sibi similium: Ita D. Tho. 4. lib. Metaph. lect. 1. Nimphus 2. lib. de Gen. comm. 14. Tolet. ibidem q. 3. & cæteri omnes: & de frigiditate, & calore non indiget probatione, quia euidens experientia satis per se notũ omnibus id facit; sed de humiditate, & siccitate non est adeò euidens, colligitur tamen euidenter ex doctrina Arist. 2. lib. de Gen. text. 25. vbi docet, elementa simbola, hoc est, ea quæ conueniunt in vna qualitate, facilius transmutari ad inuicem, quàm dissimbola, hoc est, quam ea, quæ in vtraque contrariantur; sed elementa simbola, vt ignis, & aër, non possunt se corrũpere, vel trãsmutare, nisi agendo per humiditatem, & siccitatem, cum in calore conueniant, & pari ratione aqua, & terra non possunt in se inuicem agere, nisi per humiditatem, & siccitatem, quia in frigiditate conueniunt: ergo qualitates istæ actiuæ sunt. Et licet hoc argumentum non videatur efficaciter probare; quia posset aliquis negare, hæc elementa non agere per eam qualitatem, in qua conueniunt: nam cum hæc sit in vno intensior, quàm in altero, vt in 2. lib. videbimus, bene

mus, bene poterit vnum agere in alterum per illam, intendendo eam in altero vsque ad summũ, & ita illud in se conuertere, licet non agat per alteram, in qua differũt, vt ignis poterit aërem in se conuertere, licet non agat in ipsum per siccitatem, sed per calorem, intendendo calorem aëris vsq; ad octauũ gradum, & ita eum sibi perfectè assimilando, & in se conuertendo. Hoc tamen non tollit efficaciam argum. quia statim subdit Arist. quòd ex igne potest effici aër, si vincatur siccitas ignis ab humiditate aëris, & ex aqua potest effici terra, si humiditas aquæ superetur à siccitate terræ. Et probatur experientia, quia videmus rem in loco minus humido positam humectari, & tandem putrescere, & corrumpi, quod non posset fieri, nisi per actionem humiditatis, vt per se est manifestum, & eadem experiẽtia docet propter nimiam siccitatem ex loco sicco contractã rem corrumpi. Testimonia verò Arist. in argum. adducta, in quibus solum calorem, & frigiditatem vocat actiuas qualitates, humiditatem verò, & siccitatem passiuas. Duobus modis explicari solet. Primò, ita vt non sit absoluta locutio, sed comparatiua, cuius sensus sit, duas postremas qualitates comparatione primarum passiuas potius, aut resistiuas vocari posse, quàm actiuas, quia multo minus actiuæ sunt, vt statim dicemus. In quo sensu qualitates quasdam naturales vocauit idem Aristot. impotentias in secundo genere prædicamenti qualitatis; quia parum actiuæ, aut parum resistiuæ sunt, & ideò respectu aliarum magis perfectarum, in vtroque genere non dicuntur potentiæ, sed impotentiæ potius, quamuis absoluta consideratione potentiæ sint, cum sint principia alicuius actionis, vel passionis. Pro hac expositione refert Toletus Albertum Saxoniæ, & quamuis sibi non placeat, satis probabilis est. 54

Secunda expositio asserit, duas priores qualitates vocari actiuas, duas verò posteriores passiuas, quia in mixtione elementorum, ad quam præcipuè ordinantur, actiuè se habent illæ, & passiuè istæ: nam calor congregat partes materiæ humidas, & siccas, hoc est, quasi in vnum colligit, frigiditas verò easdem quasi coagulat, & consistentiam eis tribuit, & vtrumque horum fit per actionem, & ideò dicuntur actiuè se habere duæ istæ qualitates: partes verò humidæ, & siccæ potius dicuntur congregatæ, & quasi coagulatæ ratione humiditatis, & siccitatis, & cum hoc potius fit pati, quàm agere, dicuntur qualitates istæ passiuè se habere, quamuis in tota mixtione veram quoque actionem habeant omninò necessariam, vt ad mediocritatem reducantur omnes, hoc est, ad gradus intensionis temperatos. Hanc expositionem sequitur Toletus ex Philopono, quem ipse 55

citat,atque etiam Nimphus, & videtur esse D.Tho. loco nuper citato. Fundamentum autem vtriusque expositionis est testimonium eiusdem Arist. à nobis adductum , in quo expresse asserit , mutuam transmutationem elementorum similium fieri per mutuam actionem humiditatis , & siccitatis : ergo euidens est, non esse ex mente eius, quòd qualitates istæ sint purè passiuæ:& ideò necesse est illa testimonia,quibus vocat eas passiuas, vno,vel alio modo explicare, iuxta contextum literæ. Et vtraque expositio nobis placet.Circa modum verò,& ordinem,quo eis conuenit actiuitas,diuersas opiniones refert Toletus 1. lib. de gen.quæst.15. sed res est facilis,& ideò satis est,communem, & veram explicare, & probare, quæ sic ordinat actiuitatem earum, vt primum locum teneat calor, secundum frigiditas , tertium humiditas,& postremum siccitas. Ita Albert.Saxoniæ q.6. huius libri,Marsq.19. Venetus cap.15.summæ, Caiet. Tienen. tit.de reactione,& Tolet.vbi suprà, Conimbr.cap.9.huius libri q.3.art.3. ad finem, & omnes ferè recentiores. Probatur ratione,& experientia.

56 Ratione quidem,quia illud agens censetur maioris actiuitatis, quod ad maiorem distantiam potest extendere suam actionem,atque effectum;sed ad maiorem distantiam extendit suam actionem,& effectum calor,& post calorem frigiditas,post frigiditatem siccitas : ergo eodem ordine conuenit eis actiuitas. Probatur minor, quia ad maiorem distantiam sentitur effectus earum ordine prædicto,vt experimur:ergo ad maiorem distantiam extenditur actio,& effectus earum secundum eumdem ordinem. Probatur secundò experientia, quia minus detineri potest manus intra ignem,quàm intra aquam;minus intra aquam frigidissimam,quam intra humidissimum corpus etiam summę densitatis , minus intra hoc , quam intra corpus quantumlibet siccum , ac densum : ergo citius , atque vehementius operantur qualitates istæ secundum eumdem ordinem , & consequenter maioris sunt actiuitatis. Probatur consequentia , quia velocior motus, atque vehementior euidens signum est maioris virtutis actiuæ, maiorisque actiuitatis.

57 Difficilius longè est,constituere modum,& ordinem,quibus conuenit resistentia eisdem qualitatibus. Et prima opinio asserit, ordine omnino opposito conuenire eis resistentiam ei, quo dictum est , conuenire eis actiuitatem , ita vt quo qualitas est magis actiua , eo sit minus resistiua : quare siccitas tenet primum locum in resistentia , sicut vltimum in actiuitate ; secundum humiditas, tertium frigiditas , & vltimum calor. Ita Sonzin.9.Metaph.qu.6,ad 2.Astudillo 1.lib.de gen.quæst.22. Vega

lib.1.

Digitized by Google

lib. 1. de arte medendi, cap. 1. Vañez 1. lib. de gen. cap. 7. q. 3. Tolet. ibid. q. 15. ad 1. & Conimb. vbi supra. Probant testimonio Arist. qui in prædicamento qualitatis agens de secundo genere distinguit sub eo potentias actiuas à passiuis, sed resistentia pertinet ad potentiam passiuam: ergo non est desumendus ordo, aut modus, quo conuenit qualitatibus ex potentia agendi, aut ex actiuitate, sed ex opposita radice, quæ est potentia passiua: quare oppositus esse debet ordini constituto in actiuitate, ita vt quo qualitas magis actiua est, eo sit minus resistiua. Probant deinde ratione ab experientia desumpta: nam videmus aquam facilius calefieri, quàm exiccari: ergo facilius amittit frigiditatem, quàm humiditatem, quod non potest prouenire nisi ex eo, quòd hæc fortius resistat, quàm frigiditas, cum tamen frigiditas sit magis actiua. Et eodem argumento potest probari de cæteris.

Secunda opinio contraria prorsus est, affirmans eodem ordine conuenire his qualitatibus resistentiam, & actiuitatem, ita vt quo magis actiua est quælibet, eo sit magis resistiua. Ita Nimphus 1. lib. de gen. comm. 195. q. 3. concl. 1. dub. 2. Vallesius controu. 11. ad tyrones, atque etiam 1. lib. controu. Med. cap. 5. Petrus Martinez 1. lib. de gen. c. 9. q. 3. Quam sententiam explicant, & sequuntur iuniores quidam de resistentia actiua; de formali verò, seu passiua asserunt omnino æqualiter conuenire his qualitatibus, ita vt nulla earum sit magis, aut minus resistiua, quam aliæ. Ex quo inferunt, in nullo sensu verum esse, quòd aliqua qualitas ex his sit magis actiua, quàm resistiua, vt asserit prima sententia. Itaque hæc sententia sic intellecta tria asserit. Primum, resistentiam actiuam eodem ordine, & modo conuenire his qualitatibus, ac actiuitatem. Secundum, resistentiam formalem, seu passiuam, omnibus æqualiter. Tertium in nullo sensu verum esse, quod aliqua qualitas sit magis actiua, quàm resistiua, vel è conuerso magis resistiua, quàm actiua. Primum probant, quia resistentia actiua non est aliud, quàm actio agentis, in quantum per eam debilitatur virtus contrarij, & impeditur ne agat, vel ne agat tanta velocitate, aut intensione, sed repugnat eamdem actionem (quæ est resistentia actiua) esse maiorem, vel minorem se: ergo etiam repugnabit, resistentiam actiuam maiorem esse; vel minorem, actiuitate eiusdem agentis. Secundum verò, quod resistentia formalis, vel passiua sit æqualis in omnibus, probant hac ratione: qualitates istæ resistunt formaliter actioni agentis per suam informationem, in quantum informantes subiectum impediunt, vel retardant actionem agentis, & introductionem 58

propriæ formæ in eo; sed omnes istæ qualitates eodem prorsus modo se habent quantum ad informationem subiecti, & impedimentum præstandum actioni agentis: ergo æquales sunt in resistentia formali.

59 Probatur minor, quia æqualiter informant subiectum, & non magis vna, quàm altera: nec enim vna habet maiorem, vel minorem virtutem informatiuam, quàm alia, nec dissimilem modum oppositionis cum ea, nec minus ineptum est subiectum huius ad recipiendum simul, vel in instanti totam latitudinem alterius, quàm subiectum alterius ad recipiendum simul totam latitudinem huius, in quo consistit ratio formalis resistentiæ, vt vidimus, quæ ideò æqualis erit in omnibus. Tertium verò, quòd nullo modo sit verum, aliquam ex his qualitatibus esse magis actiuam, quàm resistiuam, vel è contra. Probant ratione, & experientia; ratione quidem, quia non datur alia resistentia præter actiuam, & formalem, sed de nulla earum potest esse verum: ergo in nullo sensu verificatur. Probatur minor, quia non de actiua, cum hæc sit idem realiter cum actiuitate, nec de formali, cum conueniat omnibus æqualiter, vt probatum est. Experientia verò probant, quia applicatis duobus agentibus eiusdem magnitudinis, & intensionis, vt ignis, & aqua, velocius expellitur frigus ab aqua, quàm calor ab igne, vt per se est manifestum: ergo falsum est, quòd calor sit minus resistiuus, quàm frigus. Nec minus efficaciter probari potest de humiditate, & siccitate, alia simili experientia, atque etiam hac ratione, quia si resistentia humiditatis est maior, quàm actiuitas eiusdem: ergo resistentia siccitatis (quæ maior est resistentia humiditatis) maior erit actiuitate eiusdem humiditatis: vnde sequitur, summè humidum non posse agere in summè siccum, quod est absurdum. Probatur consequentia, quia non potest dari actio, nisi agens superet resistentiam passi, vt inferius ostendetur.

60 Nostra verò sententia tria etiam asserit. Primum est, resistentiam actiuam eodem ordine, & modo conuenire qualitatibus, quo dictum est, conuenire eis actiuitatem, vt asseruit, & probauit efficaciter secunda opinio. Et quantum ad hoc primum falsam reputo primam sententiam asserentem, ordine oppositio conuenire eis resistentiam, & actiuitatem, ita vt quo magis actiua est quælibet earum, eo sit minus resistiua resistentia actiua, & quo magis resistiua est, eo sit minus actiua. Quod probatur falsum de resistentia actiua: nam resistentia actiua non est aliud, quàm actio ipsius agentis, in quantum per eam debilitatur virtus contrarij, & ex hoc impeditur actio eius, vel

retarda-

retardatur: & quo fortius agit calidum in frigidum, eo imprimit ei intensiorem calorem, & consequenter magis remittit frigiditatem eius, per quam acturum est in idem calidum: sed virtus remissa debilior est ad agendum: ergo debiliorem reddit virtutem eius ad agendum in se, quò fortius in ipsum agit, & ex consequenti magis resistit resistentia actiua. Vnde sequitur, falsum esse de hac resistentia, quòd eadem qualitas possit esse magis actiua, & minus resistiua.

Secundum, quod asserit nostra sententia est, resistentiam for- 61
malem, vel passiuam, non conuenire æqualiter omnibus qualitatibus, sed quasdam esse magis, quasdam minus resistiuas, quàm alias. Hoc secundum est contra secundam opinionem, præsertim vt à recentioribus explicatam, & ex parte saltem conuenit cum prima, in quantum vniuersaliter ait diuerso modo, & ordine conuenire qualitatibus. Et probatur efficaciter duobus testimoniis Aristotelis. Primum habetur in prædicamento qualitatis, vbi docet Arist. secundum genus qualitatis esse naturalem potentiam, & impotentiam, & sub eis non solum actiuas, sed etiam passiuas potentias contineri nec solum actiuas qualitates, sed etiam resistiuas, & vtrasque tam sub potentia, quàm sub impotentia; quia impotentiæ nomine non puram negationem agendi, vel patiendi, seu resistendi, sed positiuam qualitatem, debilem tamen, & imperfectam, ad vnum, vel alterum præstandum intelligit. Verba autem eius sunt. *Non enim, quoniam sunt dispositi aliquo modo, vnumquodque huiusmodi dicitur, sed quod habent naturalem potentiam, vel impotentiam facile aliquid facere, vel nihil pati, vt pugilatores, vel cursores dicuntur, non quòd sint dispositi aliquo modo, sed quod habeant potentiam naturalem, vel impotentiam aliquod facile faciendi: salubres autem dicuntur, eo quod habeant potentiam naturalem, vt nihil à quibuslibet accidentibus facile patiantur, in salubres verò, quod impotentiam habeant naturalem nihil facile à quibuscumque accidentibus patiendi. Similiter autem his durum, & molle se habent: durum enim dicitur, quod habeat potentiam non facilè secari, molle verò, quod eiusdem ipsius habet impotentiam, &c.*
Quibus duplicem potentiam distinguit in qualitatibus, nem- 62
pe agendi, & patiendi, & duplicem quoque impotentiam ad vtrumque, hoc est, debilem, atque infirmam virtutem agendi, & etiam patiendi aliquid ab agente. Exemplum verò vtriusque potentiæ, & impotentiæ ad patiendum assignat in hominibus, aut in animalibus, ex quibus quædam ex suo proprio temperamento habent, vt facilè

possint resistere contrariis, & hanc vocat naturalem potentiam ad non patiendum ab illis, quod alio vocabulo dicitur impatibilitas; sed non pati à contrario, idem est, ac passiue resistere illi, nam quod iam patitur, actionem eius recipit, atque effectum productũ per eam, & ideo vt sic recipiens iam nõ resistit, saltem quantum ad talem receptionem, solum ergo dicitur resistere, quamdiu actionem, vel effectum contrarij non recipit, aut non tam cito, vel non cum tanta intensione: vnde sequitur apud Arist. naturalem potentiam nihil patiendi, aut non facilè patiendi à contrario, quæ vocari potest impatibilitas, esse naturalem potentiam resistendi illi passiuè, quam vocamus resistentiam passiuam, seu formalem, quia eam dicitur habere qualitas per suam informationem, per quam impedit, vel retardat actionem contrarij, & obstat, ne statim imprimat contrariam qualitatem in subiecto, vel saltem non in momento, sed cum mora temporis. Naturalem verò impotentiam vocat aptitudinem aliarum qualitatum in subiecto ad facile patiendum, quę potest vocari patibilitas, quia natura sua facilè cedunt: facilè autem cedere idem est, ac facilè recipere actionem, aut impressionem ab agente contrario, & hoc idem prorsus, quòd ægrè, aut difficilè, vel parum resistere, & propterea vocatur impotentia passiua resistendi, quasi debilis, & infirma ad resistendum, aut (quod
63 idem est) parum resistiua. Ex quibus hoc argumentum satis efficax desumitur ad probandum, quod resistentia passiua, aut formalis apud Arist. non conueniat æqualiter omnibus qualitatibus, sed quædam sint magis resistiuæ, quædam minus; quia naturalis potentia ad nihil patiendum est qualitas talis naturæ, vt per eam facilè possit subiectum nihil pati, vel non tam citò, aut tantum pati à contrario: naturalis verò impotentia ad nihil patiendum est qualitas, per quam subiectum difficilè potest nihil pati à contrario, hoc est, per quam facilè cedit, aut facile recipit actionem atque impressionem eius: sed naturalis potentia ad nihil patiendum, vel non tam cito, aut non cum tanta intensione, est naturalis potentia ad resistendum contrario passiuè, aut formaliter, & naturalis impotentia nihil patiendi est naturalis potentia facilè cedens contrario, hoc est, debilis, & infirma ad resistendum passiuè, aut formaliter, quod esse parum resistiuam, vt per se patet: ergo euidens est, dari apud Arist. quasdam qualitates fortiores ad resistendum formaliter, alias vero debiles, atque infirmas, quod est dari quasdam magis, quasdam minus resistiuas resistentia passiua, aut formali. Vnde sequitur, in doctrina eius defendi nõ posse, quòd omnes sint
64 æqualiter resistiuæ resistentia passiua, & formali. Quod etiam probat

probat efficaciter aliud exemplum duri,& mollis ibidem adductum ab Arist.nam durum (ait) dicitur,quod habet potentiam non facilè secari, molle verò, quòd eiusdem ipsius habeat impotentiam,quod est, durum habere maiorem potentiam ad resistendum sectioni, molle vero minorem : intelligit autem de potentia passiua : nam secari, vel non secari, passiua potentia est ; sed potentia passiua duri,vt non secetur, vel vt non statim, est resistentia passiua,aut formalis, vt probauimus: ergo sentit Aristot. durum esse magis resistiuum, quàm molle resistentia passiua, & formali, & consequenter non æqualiter conuenire hanc resistentiam omnibus qualitatibus. Et licèt verum sit,durum, & molle aliqualem resistentiam actiuam habere adiunctam passiuæ,aut formali resistentiæ, quia durities ipsa hebetat instrumentum,à quo diuiditur,& magis quàm molle,& ab hac resistentia actiua iuuari passiuam,aut formalem, non tamen est verum, quòd solum ratione illius sit maior resistentia duri, quàm mollis,sed etiam vt passiua,& formalis est. Probatur euidenter,quia vtraque resistentia vocatur ab Arist. naturalis potentia, & impotentia ad nihil patiendum, & potentiam dicit esse maiorem impotentia : ergo sentit vnam esse maiorem altera, vt potentiam passiuam ad non-patiendum quod est esse maiorem, vt resistentiam passiuam, aut formalem, cum potentia naturalis ad non patiendum sit resistentia passiua, vt probauimus.

Secundum testimonium habetur 4. lib. Phys. cap.8. text.71. 65
vbi docet Arist.medium magis densum, quia magis resistit diuisioni magis retardare mobile,quam rarum minus resistens,& ideo velociorem fieri motum per rarum, quàm per densum, etiam si cætera sint paria respectu virtutis motiuæ, vt per aërem, velociorem fieri, quam per aquam ; sed resistentia medij non est actiua,sed passiua,& formalis, vt per se est manifestum: ergo euidens est in doctrina Arist. formalem resistentiam non esse æqualem in omnibus qualitatibus,sed quasdam esse magis, quasdam minus resistiuas.

Deinde probari potest multis experientiis, illis præsertim, quibus vsus est Arist. duobus locis citatis, & illis addi possunt duæ aliæ. Sit autem prima, quia videmus ingens saxum ita resistere mouenti, vt non possit illud à suo loco dimouere, aliud verò non ita magnum minus resistere, sed resistentia hæc non est actiua, quia lapis immotus nihil agit in illum, qui conatur eum mouere : ergo est resistentia passiua, aut formalis, quam præstat pondus per suam informationem, & ex duabus vna est maior altera : ergo falsum est, quod æqualiter

conueniat qualitatibus. Secunda experientia eſt de magnete detinente ferrum per qualitatem ei impreſſam (non enim poteſt alio modo circa illud agere) cuius tanta ſolet eſſe reſiſtentia, vt non poſſit ferrum facile moueri ab alio corpore; & idem eſt de paruo illo piſciculo detinente nauim, etiam per qualitatem ei impreſſam ita fortiter reſiſtentem, vt nec magna ventorum vis poſſit eam mouere: ſed reſiſtentiæ iſtæ ſunt formales, cum nihil operentur qualitates impreſſæ, per quam reſiſtunt mouentibus eiuſmodi corpora, & vna eſt maior alia: ergo ſuſcipit magis, & minus reſiſtentia formalis.

66 Tertium, quod aſſerimus eſt reſiſtentiam formalem oppoſito modo, & ordine cõuenire qualitatibus, ac cõuenire diximus actiuitatem, & reſiſtentiam actiuam, ita vt quo magis actiua eſt qualitas, & magis etiam reſiſtiua reſiſtentia actiua, eò ſit minus reſiſtiua reſiſtentia formali, & paſſiua, & è conuerſo; quo minus eſt reſiſtiua, eò ſit magis actiua. Hæc eſt contra ſecundam opinionem, vt à iunioribus intellectam & explicatam, & aliquo modo in fauorem primæ. Quam imprimis colligo ex communi modo loquendi, & ſentiendi Philoſophorũ, qui vniuerſaliter dicunt, elementa, & qualitates eorum, quo magis ſunt actiua, eò eſſe minus reſiſtiua: ſed hoc non poteſt eſſe verum de reſiſtentia actiua, quam ſemper eſſe æqualem probauimus cum actiuitate: ergo verum erit de reſiſtẽtia formali. Probatur deinde ratione, primò ex ordine, & conſtitutione naturali vniuerſi, quod conſtat eſſe compoſitum ex elementis contrariis, ex quibus generantur etiam mixta contraria, & ita fere omnia corpora ſunt in perpetua pugna, & quaſi contrariis circumſepta; ſed quædam illorum ſunt magis actiua: ergo neceſſe eſt, alia eſſe magis reſiſtiua, vt poſſint ſe defendere à contrariis, & ita conſeruentur: nam ſi maior actiuitas agentium non compenſetur per maiorem reſiſtentiam eorum, quæ patiuntur, conſumentur abſque dubio ab eis, diſpoſitio vniuerſi non poterit eſſe ſtabilis, ac firma. Secundò probatur: nam denſitas corporis multum iuuat ad reſiſtendum contrario, quia per denſitatem magis vniuntur partes inter ſe, & ideò non ita facilè poteſt agens in eas ſic vnitas agere, ac ſi eſſent ſeparatæ, vel magis inter ſe diſtantes, & ex conſequenti raritas minus iuuabit: ergo corpora ex natura ſua magis denſa magis reſiſtiua ſunt cæteris paribus ex parte aliorum: ſed ex elementis terra eſt denſior, & poſt eam aqua: ergo ſunt magis reſiſtiua aëre, & igne, è quibus ignis minus reſiſtiuus erit, cum ſit rarior; ex hoc autem ordine corporum quantum ad reſiſtentiam ſatis probabiliter colligi poteſt, eumdem habere qualitates ipſas

hoc

hoc modo. Euidens est, summam densitatem terræ emanare à summa siccitate eius,& prope summa frigiditate,& prope summam densitatem aquæ emanare à summa frigiditate, & prope summa humiditate eiusdem: ergo siccitas, & densitas sunt causa summæ, & propè summæ densitatis. Euidens etiam est, summum calorem ignis esse radicem summæ raritatis eius, & etiamsi in aëre non sit summus, est etiam causa raritatis aliquantulum minoris, quam nõ impedit summa humiditas eiusdem aëris:quia coniuncta cum calore non potest causare densitatem, sicut neque in igne; quam tamen causat cum frigiditate in aqua:ergo calor ex propria natura radix est, & origo raritatis in vno, & altero elemento. Ex quibus sequitur, siccitatem 67
esse magis resistiuam,quam aliàs,& calorem minus,quàm omnes, & sic de duabus aliis:& ita eodem ordine conuenire eis resistentiam,atq; elementis ipsis,& omnino opposito ei,quo conuenit eis actiuitas. Probatur consequentia,quia à maiori densitate maior resistentia formalis prouenit cæteris paribus ex parte aliorum, & consequenter à qualitatibus, quæ sunt causa eius.Et fundamentum huius discursus est,quia densitas ex propria natura fortius vnitur,atque tenacius inhæret subiecto coniungens partes eius, & raritas eas separans minus efficaciter, aut fortiter: & consequenter primæ qualitates,quæ sunt causa densitatis,fortius vnientur, tenaciusque inhærebunt: calor verò,qui est causa raritatis, minus efficaciter; sed qualitates istæ dicuntur resistere formaliter per informationem, in quantum impediunt, vel retardant actionem contrarij, & difficilius ab eo expelluntur: ergo quo efficacius vniuntur per eamdem informationem, & tenacius inhærent subiecto, eo difficilius expelli possunt à contrario, & ideo magis impedient, ac retardabunt actionem eius, quod est esse magis resistiuas. Quod verò dicimus firmius vniri, atque inhærere subiecto, non habent solum ex intensione, quemuis per intensionem magis radicetur qualitas in subiecto:& ideò fortius ei inhæreat,sed cæteris paribus ex parte intensionis ex alio capite,nempe ex modo speciali, quo vniuntur subiecto coniungendo partes eius formaliter aut virtualiter,probamus fortius ei inhærere, & tenacius coniungi,& ideò difficilius ab eo expelli; quod est magis resistiuas esse resistentia formali,aut passiua. Quod tandem probatur experientia, quia videmus terram maximè resistere igni, & cuilibet alteri agenti contrario, ita vt ferè numquam possit ab eis corrumpi,quod nõ habet ignis,quẽ cito solet consumere aqua. Videmus etiam humiditatẽ in aqua magis resistere,quàm frigiditatẽ,quia aqua intensissime calida adhuc retinet

fere

fere totam ſuam humiditatẽ: ergo euidens experientia docet, ſiccitatem,& humiditatẽ eſſe magis reſiſtiuas,quàm calorem.

Ex quibus colligitur falſum eſſe illud, quod aſſerit ſecunda opinio,nempe in nullo ſenſu verum eſſe poſſe, quòd eadem qualitas ſit magis actiua,quam reſiſtiua, vel è contra;nam licèt verum hoc ſit de reſiſtentia actiua,falſum tamen de paſſiua, de qua probauimus maiorem eſſe in qualitatibus minus actiuis, vt in ſiccitate, & humiditate, & ideo has eſſe magis reſiſtiuas, quàm actiuas,& conſequenter calorem, & frigiditatem magis actiuas,quàm reſiſtiuas.

Argumenta primæ opinionis probant quidem intentum de reſiſtentia paſſiua aut formali, quam concedimus inæqualiter conuenire primis qualitatibus: nihilominus de reſiſtentia actiua verum eſt,eodem modo,& ordine eis conuenire,ac cõuenit actiuitas,cum ſit idem realiter cum actiuitate. Quod verò dicitur in primo argumento, reſiſtentiam pertinere ad potentiam paſſiuam, diſtinguẽdum eſt:nam de actiua reſiſtentia non eſt verum,ſed hæc ad actiuam potentiam potius pertinet, quia per eamdem potentiam actiuam,qua agens agit, dicitur actiuè reſiſtere,de reſiſtentia vero formali concedendum eſt;ideò hæc ſolum poteſt diuerſo modo conuenire qualitatibus, ac actiuitas eis conuenit,quod concedit noſtra ſententia.Secundum argumentum non indiget ſolutione, cum pro noſtra ſententia potiùs probet de ſola reſiſtentia paſſiua, & formali, maiorem eſſe in vna qualitate,quàm in altera.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis neganda eſt minor, quod omnes iſtæ qualitates eodem modo ſe habeant quantũ ad informationem ſubiecti:nã licet informatio quantũ ad ſubſtantiã non ſit maior in vna,quam in altera, ſed quãtum ad modũ efficacior eſt in minus actiuis, quia firmius inhærent ſubiecto cæteris paribus ex parte intenſionis; cum partes eius magis coniungant inter ſeſe, & ideò fortiores efficiant ad reſiſtendum contrario,vt probauimus, quod eſt magis reſiſtiuas eſſe reſiſtentia formali.

69 Ad ſecundum neganda eſt minor,quòd non ſit verum,vnam qualitatem eſſe magis reſiſtiuam,quam actiuam, vel è contra; & cum dicitur non eſſe verum de reſiſtentia actiua, concedendum eſt,negandum tamen, quod non ſit verum de reſiſtentia formali.Experientia verò,qua probatur,citius expelli frigiditatem ab aqua,quàm calorem ab igne,neganda eſt, ſi applicentur ſecundum proportionem quantitatis intenſionis, actiuitatis,& reſiſtentiæ,& cæterorum, quæ requiruntur ad agendum, hæc autem proportio talis eſſe debet, vt comparentur in eo gradu

inten

intensionis,in quo sint æqualis actiuitatis,& efficaciæ ad agendum;quod non potest fieri,nisi sumãtur secundum gradus inæquales intensionis : nam cum actiuior longè sit calor , semper erit superior frigiditate , si applicantur secundum eamdem intensionem cæteris paribus ex parte aliorum;debent ergo comparari,vel applicari,ita vt quanto actiuior est calor frigiditate, tanto sit remissior ea,& hæc,quæ minus est actiua,applicetur in gradu intensiori,ita vt maior actiuitas vnius compensetur per maiorem intensionem alterius,& talis comparatio , vel applicatio iusta, atque debita erit. Si igitur talis fiat , & cætera sint paria ex parte aliarum conditionum,quæ requiruntur ad agendum,negandum est, quod calor citius expellat frigiditatem ab aqua,qua aqua calorem ab igne, immo potius experientia ipsa docet contrarium.Quod adeò verum est,vt etiamsi applicentur secundum eandem intensionem , & vincatur frigiditas propter magnum excessum actiuitatis eiusdem caloris , post magnam tamen moram temporis consequatur ignis victoriam , quam citius longè consequeretur aqua,si in tali proportione applicarentur,vt habita ratione actiuitatis,& intensionis,multum excederet aqua,tunc enim velocius consumeretur ignis ab aqua, vt docet experientia , non alia de causa,nisi propter maiorem resistentiam formalem frigiditatis.

Ad vltimum argumentu concedendum est antecedens,quod eadem qualitas sit magis actiua;quàm resistiua,resistentia formali,aut è conuerso magis resistiua eadem resistentia,quàm sit actiua:sed neganda est consequentia,quod nõ possit agere summè humidum in summè siccum:nam licet ex hac parte,hoc est comparata resistẽtia formali huius cum actiuitate illius sit excessus,potest tamen compensari ex aliis,nempe ex maiori quãtitate,& densitate agentis, aliisque conditionibus requisitis ad agendum. Ex quibus constat posse actiuitatem summè humidi superare resistentiam formalem summè sicci , quamuis hæc sit maior illa nudè cõsiderata vtraq;,& ita intelligitur agere posse illud in hoc , si applicatio fiat secundum debitã proportionem.

QVÆSTIO III.

An necesse sit actionem semper procedere à proportione maioris inæqualitatis.

VT intelligatur quæstio,explicandum est quid sit proportio maioris inæqualitatis,& quid proportio minoris,atque etiam quid sit,actionem procedere à proportione maioris, 70

aut

aut minoris inæqualitatis. Manifestũ est,actioné versari inter agens,& passum debitè approximata, & illud agere per virtutem actiuam, hoc verò pati per potentiam passiuam, & cum sint contraria,non minus est certum,vnum resistere alteri, hoc est,se defendere ab illo, impediendo quantum potest actionem eius in se,& prohibendo,ne per illam imprimat sibi propriam formam,vt approximatis igne,& aqua,ignis intendit aquę imprimere suum calorem,& consequenter remittere frigiditatem eius,quod est eam debilitare, ne possit circa se agere vel non tam cito, & introductio caloris est agere: debilitare verò virtutem eius est resistere resistentia actiua; & aqua intendit imprimere igni suam frigiditatem,& consequenter debilitare calorem eius,ne agat in se,aut non tam cito, vel tanta intensione,quod est resistere ei resistẽtia actiua:calor etiã eo ipso, quod informat substãtiam ignis ratione incompossibilitatis, & contrarietatis formalis,quam habet cum frigore,impedit, ne statim introducatur in igne,aut saltem ne tota latitudo eius simul introducatur,& hoc modo impedire actionem,& introductionem eius,est ei resistere resistentia passiua, aut formali; simili etiam modo resistit frigus calori,impediendo per suam informationem, actionem, & introductionem eius in aquam. Vt autem vnum agat circa aliud, & imprimat propriam formam necesse est ipsum aliquo modo superare;quia actio,& impressio propriæ formæ est victoria quædam naturalis,cum notum sit, illud vicisse suum contrarium, quod ipsum omnino expellit à proprio loco,& in eum sese introducit.Ad intelligendum verò modum,quo necesse sit, vnum superare aliud, vt in illud agat, necesse est comparare vtrumque inter sese secundum proprias
71 virtutes agendi,& patiendi. Quatuor autem modis comparari possunt agentia contraria inter sese,secundum virtutes actiuas, vt si comparemus ignem cum aqua, vel aquam cum igne, secundum virtutes actiuas caloris,& frigoris,& in comparatione ista euidens est, ignem superare aquam cum sit magis actiuus. Secundò possunt comparari secundum resistentias actiuas, in qua etiam comparatione superius euadit ignis, cum resistentia actiua sit eadem eius actio, vel virtus actiua diuerso modo considerata,& eadem est ratio, si cõparetur actiuitas vnius cum resistentia actiua alterius, vt per se patet. Tertia comparatio esse potest secundum resistentias passiuas: & hoc modo superior erit aqua,cum sit elementum magis resistiuuum, quàm ignis, vt probauimus:& comparationes istæ insufficientes sunt, quia actio,& passio non versantur inter cõtraria, nisi in quantum vnum est agens, & aliud passum:ergo solum debent comparari

parari ſecundum actiuitatem vnius, & reſiſtentiam paſſiuam, aut formalem alterius,& hoc modo cõparata,vel æqualia ſunt, ita vt tanta ſit reſiſtentia paſſiua vnius, quanta eſt actiuitas alterius,& tunc nulla ſequetur actio, quia neutrum ſuperabit alterum,& ideò nec vincere illud poterit, & ex conſequenti nec imprimere ei propriam actionem, & effectum, ſed mutuo ſe impedient;inæqualia igitur eſſe oportet,vt ſequatur actio, per quam vnum vincat alterũ. Sed duobus modis poſſunt eſſe inæqualia. Primo,ita vt actiuitas vnius ſit maior,quàm reſiſtentia alterius,& hæc comparatio vocatur proportio maioris inęqualitatis. Secundo,ita vt ex oppoſito, minor ſit actiuitas vnius, quàm reſiſtentia alterius; & comparatio hæc vocatur minoris inæqualitatis.Quærit ergo titulus quæſtionis, an neceſſaria ſit proportio maioris inæqualitatis ad actionem, hoc eſt, an vt vnum contrarium agat in alterum,neceſſe ſit, actiuitatem eius maiorem eſſe reſiſtentia formali alterius, quod pati debet,vel etiam à proportione minoris inæqualitatis, hoc eſt, etiam ſi minor ſit actiuitas agentis,quàm reſiſtẽtia formalis paſſi,poſſit illud in hoc agere.Prima opinio negat, hoc ſemper eſſe neceſſarium,ſed ſæpe ait,actionem dari à proportione minoris inæqualitatis.Ita Burleus 3.lib.Phyſ.ad textum 16. quem refert,& ſequitur Toletus 1.lib.de gen.q.13. poſt ſecundam concluſ.& quæſt.15.ad 1.Valleſ.controu.44.ad Tyron. Probant ratione, & experientia. Ratione quidem,quia omne agens communicans in materia cum paſſo, poteſt repati ab illo, vt docet expreſſè Ariſt.cap.præſenti. Sed impoſſibilis eſſet reactio, & repaſſio ſi repugnaret ſequi actionem à proportione minoris inæqualitatis:ergo concedendum eſt, dari poſſe. Probatur minor,quia id,quod patitur ab alio, ſuperatur ab eo:ergo paſſum ſemper eſt inferius; ſed debet reagere in idemmet agens ſuperius:ergo non poteſt agere,niſi tamquam inferius,hoc eſt tamquam id,cuius actiua virtus minor eſt reſiſtentia agentis, vt ſe habet tamquam paſſum in reactione, quod eſt agere à proportione minoris inæqualitatis.Probatur conſequentia,quia proportio minoris inæqualitatis dicitur ea ſecundum quam virtus actiua agentis minor eſt reſiſtentia paſſi, vt explicatum eſt, & ſuperatur ab eo:ergo paſſum ſemper eſt inferius, & actiuitas eius minor reſiſtentia agentis: ergo non poteſt in illud agere, niſi à proportione minoris inæqualitatis:quare vel impoſſibilis erit reactio, vel poſſibilis erit actio à proportione minoris.

Secundo,experientia,quia parua guttula aquæ cadens ſuper lapidem excauat illũ,quãtumuis duriſſimum, cuius reſiſtentia 71

abſque-

absque dubio est maior actiuitate guttulæ,& formica sæpè mota super durissimum lapidem aliquid tandem extrahit ab eo, cuius resistentiam maiorem esse actiuitate formicæ euidens est: ergò contra experientiam erit negare, quòd aliquaado detur actio à proportione minoris inæqualitatis.

Hanc opinionem explicant alij hac distinctione. Actio duplex est; vna,per quam agens totaliter vincit passum,& illud in se conuertit: & hæc dicitur actio victorioſa, per quam agens perfectam victoriam consequitur de suo contrario. Alia est, per quam agens non vincit passum simpliciter, neque illud in se conuertit,sed aliqualem gradum suæ formæ ei imprimit,vel in aliqua tantum parte eius agit: & ideo non vocatur actio victorioſa. Quando ergo dicit prædicta sententia, actionem non semper, aut necessatio dari à proportione maioris inæqualitatis,sed sæpè,dari etiam à proportione minoris,non intelligit de actione victorioſa, quia repugnat agens,cuius virtus minor est resistentia passi,idem passum vincere,atque in se conuertere,sed non repugnat aliquem gradum suæ formæ ei imprimere,vel in aliqua eius parte aliqualem effectum producere, quod est aliquam dari actionem remissam,vel imperfectam à proportione minoris inæqualitatis.

72 Secunda opinio asserit, quamcumque actionem vnius contrarij in alterum,semper,& necessariò debere esse à proportione maioris inæqualitatis, ita vt repugnet, dari aliquam à proportione minoris.Ita Nimphus 1.lib.de Gener.comm.195.q.3. Astudillo q. 22. & omnes ferè recentiores, & est communis sententia, quæ videtur mihi non solum probabilior, sed vera. Probatur primò,quia dum resistentia passi æqualis est actiuitati agentis,non potest sequi actio: ergo multò minus potest sequi, dum resistentia passi fuerit maior actiuitate agentis, quæ est proportio minoris inæqualitatis,vt nuper ostẽdimus. Consequentia est euidens, quia si æqualis resistentia passi impedit actionem agentis æqualis actiuitatis, multò magis impedier maior resistentia eiusdem passi actionem agentis minoris actiuitatis. Antecedens verò sic probatur; si tantum resistit passum,quantum agens agit,non superabitur vllo modo ab eo,hoc est, nec totaliter, nec partialiter:ergo nec poterit in ipsũ quidquam agere. Probatur consequentia,quia eo ipso quod passum aliquam impressionem suscipiat ab agente,quamuis minimam, subditur illi,& ideò fit inferius,& verum est,non tantum ei resistere,quantum in ipsum agit,sed minus.

Secundò, quia tunc dicitur maior virtus agentis resistentia passi,quando ab hac non potest illa impediri, quin agat in passum;

sum; tunc enim euidens est esse superiorem, sed quotiescumque agens agit, non potest resistentia passi impedire actiuitatem eius, sed ea non obstante, vel impediente, sequitur actio: ergo 72
repugnat dari actionem, quin virtus actiua agentis sit maior resistentia passi, quod est, actionem quamcumque semper, & necessariò debere esse à proportione maioris inæqualitatis. Vtraque autem hæc ratio vim habet in hoc principio, nempe, intentum agentis in sua actione est imprimere propriam formam passo, passum verò introductioni resistit per qualitatem contrariam: ex quo sequitur quod quamdiu æqualis, vel maior est resistentia passi conatu agentis, impedietur omnino introductio propriæ formæ; sed quotiescumque actio sequitur, introducit agens propriam formam: ergo tunc non est maior, nec æqualis actiuitati, vel conatui eius resistentia passi, sed minor. Vnde sequitur, actionem semper, & necessariò esse à proportione maioris inæqualitatis, & rationes istæ efficaciter probant de quacumque actione, immo probant quamcumque actionem esse simpliciter victoriosam, siue parum, siue multum de forma agentis introducatur, atque etiam siue sit actio, siue reactio, & ideo friuolam esse distinctionem illam de actione victoriosa. Quod hoc argumento probo aduersus eos, qui illa vtuntur ad explicandam secundam opinionem, dum agens incipit agere in passum, nullum gradum propria formæ, nullam partem, quantumuis minimam eius potest ei imprimere, neque vllum effectum circa illud producere, nisi per propriam virtutem actiuam aliquo modo superet resistentiam eius: ergo nec circa ipsum agere, sed passum per reactionem in agens imprimit ei aliquem gradum, vel partem suæ formæ: ergo non est possibilis reactio (quam vocant actionem non victoriosam) nisi maior sit actiuitas passi reagentis resistentia formali agentis, quod ab eo repatitur, & consequenter neque vlla actio, quamuis minima, quod est nec reactionem, nec vllam paruã actionem dari posse à pro- 73
portione minoris. Quo argumento probatur efficaciter, nullam actionem quantumlibet paruam, neque vllam reactionem dari posse, quæ non sit victoriosa (vt loquuntur isti) quia quotiescumque agens agit, victoriam ex passo reportat, vel consequitur, & sine tali victoria impossibile est dari actionem: ergo nec dari actionem, quæ non sit victoriosa.

Ad argumentum verò primæ opinionis, concessa maiori, neganda est minor, quod impossibilis esset reactio, si repugnaret dari actionem à proportione minoris, & dum dicitur, actiuitatem passi reagentis semper esse minorem resistentia agentis principalis, circa quod est reactio, negandum est, immo di-

cendum ſemper eſſe maiorem, quia agens principale non reſiſtit paſſo reagenti ſecundum omnes ſuas partes, vel ſecundum omnes gradus intenſionis ſuæ formæ, ſed ſolum ſecundum illam partem, vel gradum, qui expellitur per reactionem. Et ratio eſt manifeſta, quia reſiſtentia paſſiua, ſeu formalis conſiſtit in eo, quod forma contraria per ſuam informationem impediat actionem agentis, & introductionem formæ contrariæ, ſeu gradus eius, cum quibus eſt incompoſſibilis; ſed dum reagit paſſum circa agens, ſolus ille gradus, qui expellitur, vel ſola
74 illa pars, circa quam verſatur reactio, impediebat actionem, & introductionem formæ contrariæ, quia eam tantum conabatur tunc paſſum expellere per reactionem, vel ſolũ circa illam partem tunc conabatur propriam formam introducere: ergo ſolus ille gradus, vel pars reſiſtebat actioni eius, & iſti vincuntur, cum vel ille expellatur, vel circa hanc ſequatur actio: ergo minor erat reſiſtentia eorum actiuitate paſſi reagentis: nam in eo, quod aliquis vincitur ab alio, ei ſubditur, & ab eo ſuperatur, maiorque illo cenſetur. Ex quo intelligitur primo, quamlibet reactionem, quantumuis miniman, fieri à proportione maioris inæqualitatis, & à proportione minoris non poſſe fieri. Secundò intelligitur deceptio oppoſitæ opinionis in eò conſiſtens, quod credit agens ſecundum ſe totum, & omnes ſuas partes, vel ſecundum omnes gradus ſuæ formæ reſiſtere reactioni paſſi in ipſum; quod non eſt verum, quia ſolum reſiſtit formaliter, in quantum per repugnantiam, & incompoſſibilitatem ſuæ formæ, cum forma contrarij impedit actionem eius circa ſeipſum, & introductionem ſuæ formæ in ſe, ſed ſolum tunc impedit introductionem illius gradus, quem conatur paſſum reagens introducere; vel in ea parte, circa quam reagit paſſum; talis autem reſiſtentia minor eſt, cum ab ea vincatur, actiuitate reagentis, vt oſtendit expulſio talis gradus, vel paſſio talis partis; vnde ſemper actio quæcumque procedit à proportione maioris. Sed contra hanc doctrinam ſic arguo. Paſſum reagens non reagit ſecundum vnum gradum ſuæ formę, aut ſecundum vnam partem integrantem, ſed ſecundum omnes partes, & gradus, qui per modum vnius agentis vniuntur ad re-
75 agendum, & idem contingit in quocumque alio agente, quod non ſolũ operatur per partem, qua tangit paſſum, vel per vnum, aut alterum gradum formæ, quem introducit, ſed per omnes ſimul vnitos ad agendum: ergo nec agens, in quantum ab eo repatitur ſolum reſiſtit ſecundum illum gradum, quem ab eo expellit paſſum, vel ſecundum illam partem, circa quam aliquid ſuæ formæ introducit, ſed ſecundũ omnes partes, & gradus ſuæ

formæ

formæ vnitos per modum vnius resistentis integri, atque completi. Falsum igitur est, quod dicitur solum resistere secundum eum gradum, qui expellitur, vel secundum eam partem, circa quam aliquid impressit passum, per reactionem. Probatur consequentia, quia non est maior ratio, ob quã omnes partes agentis vniantur ad agendum per modum vnius agentis, quàm omnes partes passi vniantur ad resistendum per modum vnius resistentis integri, atque completi. Vnde falsum quoque erit, quòd in reactione maior sit actiuitas passi reagentis, quàm resistentia agentis, quod ab eo repatitur. Respondeo concedendo antecedens, quòd omnes partes agentis per modum vnius concurrant ad agendum; & ideo quòd agens per omnes suas partes, & gradus agat semper; sed negando consequentiam, quòd ita se habeant ad resistendum resistentia formali; & ratio differentiæ est, quia diuersa est ratio agendi, à ratione resistentiæ formalis: nam omnes partes agentis, & omnes gradus formæ, eius æquè immediatè se habent ad actionem, & effectum producendum, & non ita, vt quædam partes, vel gradus agant mediis aliis; quia actio, & effectus æquè immediatè dependent ab omnibus, in quantum constituunt vnum agens completum, cui immediatè attribuitur actio, & à quo immediatè producitur effectus. Ad resistendum verò formaliter non se habent æquè immediatè partes, vel gradus, quia non immediatè impedit omnes actionem agentis contrarij, & introductionem formæ eius, sed ille tantum, quem immediatè intendit expellere agens media introductione proprij, reliquæ vero partes, vel gradus non per se, nec actu impediunt actionem contrarij reagentis. Quod ex effectu probatur, quia nec proximè intendit eos tunc expellere agens, nec circa alias partes passi suam formam introducere, sed illum tantum gradum, vel gradualem partem intensionis, aut circa hanc determinatam partem agere, non circa alias. 76

Sed contra hoc est argumentum, quia ex eo sequitur posse passum reagens destruere totam virtutem agentis, etiam si sit maior propria. Probatur consequentia, quia actiuitas passi semper erit maior resistentia formali agentis: ergo semper poterit aliquid intensionis formę proprię ei imprimere, & aliquid formæ eius expellere, & tandem eam omnino corrumpere, præsertim quia, quo maior intensio formæ propriæ imprimit ei passum per reactionem, eo magis debilitat, atque remittit formam eius, per quam resistit resistentia actiua, & ideo minor erit hæc resistentia eius, & facilius corrumpetur. Respondetur tamen negando consequentiam, quia quo plus procedit actio, eo magis debilitatur virtus passi ad reagendum, & multo magis, quàm 77

virtus reſiſtiua agentis, non ſolum actiua, ſed formalis; cum longe maiorem intenſionem ſuæ formæ imprimat ei agens, quàm ipſum imprimat illi per reactionem: & ideo potius, ac citius corrumpetur paſſum ab agente, quam agens ab eodem paſſo reagente, vt per ſe eſt manifeſtum.

78 Ad primam vero experientiam de guttis aquæ cadentibus. Reſpondeo, non omnes excauare lapidem, ſed priores diſponere tantum ad excauationem, aliquantulum molificando lapidem, poſtquam verò diſpoſitus eſt, illa, quæ accedit, extrahit aliquam particulam; & quidem ſi de ſingulis guttis loquamur reſpectu illius paruæ mollificationis, quam efficit, abſque dubio agit à proportione maioris inæqualitatis, quia maior eſt actiuitas eius, quàm reſiſtentia paſſiua illius paruæ ſiccitatis, quam expellit introducendo aliquantulum humiditatis, non enim reſiſtit totus lapis cuilibet guttæ, immo neque omnibus, ſed illa tantum particula, ſuper quam cadit, & hæc non ſecundum omnes gradus ſiccitatis, ſed ſecundum particulam gradualem, quæ expellitur, reſpectu cuius maior eſt actiuitas guttæ, cum eam expellat, ſed dicitur ei reſiſtere, quia impedit, ne ſimul introducatur tota latitudo humiditatis, nec expellatur ipſa ſecundum totam latitudinem, quam habet, ſed ſucceſſiuè & cum mora temporis: vltima verò gutta extrahens particulam iam mollificatam, etiam agit à proportione maioris, quia maior eſt actiuitas, ſeu vis eius ad extrahendum, quàm reſiſtentia eiuſdem particulæ, vt ſic iam diſpoſitæ. Quod probatur euidenter ab effectu: nam ſi extrahit illam, vincit reſiſtentiam eius, quod repugnaret, niſi maior foret actiuitas.

79 Secunda verò experientia de formica ſuper lapidem motu ſæpius repetito deambulante, eodem ferè mòdo explicanda eſt: nam licet non extrahat prius molificando, vel humectando particulam lapidis, ſua tamé (licet parua) vi, ac pondere, quaſi paulatim concutit eam, & quaſi diuellere aliquantulum incipit ab alia, cui continuatur, & tandem omnino eam ſeparat ab illa, atque extrahit; & reſpectu effectus, quem ſemel efficit, ſuperat ſua actiuitate reſiſtentiam particulæ, etiam dum eam extrahit, quia vt ſic diſpoſita minus reſiſtit, quàm agat formica; & hoc eſt in ſingulis actionibus agere à proportione maioris inæqualitatis, quia comparatur actiuitas eius, non cum tota firmitate adhæſionis, ſed cum illa tantum parte, quæ tollitur, quaſi per debilitationem factam, (vt ita loquamur) & tandem multum iam debilitata minus reſiſtit vltimæ actioni, per quam extrahitur, quàm forma extrahens agat.

QVÆ

QVÆSTIO IIII.

An sit necessarium ad agendum, quod actiuitas agentis excedat resistentiam passi excessu determinato, vel indeterminatus sufficiat?

SVpposito dubio præcedente, necessarium esse ad actionem, 80
quòd actiuitas agentis excedat resistentiam passi, meritò dubitatur à recentioribus, an sufficiat qualiscumque excessus, vel necessariò requiratur determinatus, ita vt licèt actiuitas agentis sit maior resistentia passi, non sequatur actio, nisi certo quodam excessu eam excedat. Et prima opinio negat, determinatum requiri, sed sufficere ait quemcumque, quantumlibet minimum, & indeterminatum. Probatur primò, quia sicut à proportione minoris inæqualitatis numquam sequitur actio, ita à proportione maioris semper sequitur; quia eo ipso, quòd maior est actiuitas, quàm resistentia, potest agens vincere passum, & ex consequenti in ipsum agere; sed quicumque excessus constituit proportionem maioris inæqualitatis: ergo sufficit ad actionem, & determinatus non requiritur. Probatur minor, quia proportio maioris inæqualitatis dicitur, quando actiuitas maior est resistentia; sed quicumque excessus efficit eam maiorem, vt per se est manifestum: ergo quicumque excessus constituit proportionem maioris inæqualitatis. Secundò, quia actiuitas agentis non potest vincere æqualem resistentiam passi, benè tamen quamlibet minorem; nam vbi tantũ resistit vnum, quantum aliud agit, nulla sequitur actio, & vbi plus agit vnum, quàm resistat aliud, necessariò sequitur, sed quicumque excessus, etiam indeterminatus, sufficit, vt agens dicatur plus agere, quàm resistat passum: ergo quicumque excessus sufficiet ad
actionem. Probatur tandem, quia si necessarius sit determina- 81
tus excessus, sequitur, lapidem sursum proiectum, etiam per spatium vacuum, necessariò debere per tempus quiescere in puncto reflexionis, & non tantum per instans, quod videtur apertè falsum, & à pluribus negatur; quia in eo instanti, in quo verum est dicere, impulsum non excedere grauitatem lapidis, sed esse illi æqualem, verum est etiam, non moueri lapidem, sed nec moueri potest tempore immediatè sequenti: ergo debet per tempus quiescere. Minorem probo, quia tempus, quod proximè sequitur, indeterminatum est, cum non detur primum, sed quocumque dato aliud sit prius: ergo tempore illo indeterminato, non potest impulsus decrescere determinato decremento, sed

indeterminato tantum: si ergo excessus indeterminatus non sufficit ad motum, non mouebitur lapis tempore proximè sequente, sed quiescet quiete temporanea.

82 Nostra tamen sententia opposita est, quòd non sufficiat excessus quicumque, sed determinatus requiratur necessariò ad agendum. Quam hac distinctione imprimis explico. Determinatio excessus dupliciter intelligi potest. Primò, ita vt ad agendum sit necessarium, quod actiuitas agentis excedat resistentiam passi vno gradu, vel dimidio, aut tertia parte, seu alio simili. Et in hoc sensu nõ debet esse determinatus excessus, quia tam minimus posset esse, vt non sufficeret, quod statim ostendam; & tam magnus poterit determinari, quod non sit necessarius, sed minor sufficiat: ergo non quilibet determinatus sufficiet, nec etiam quilibet determinatus erit necessarius. Secundo modo potest intelligi, excessum determinatum requiri ad agendum, sicut dicimus quantitatem determinatam requiri ad introductionem formæ in generatione naturali substantiarum, nempe termino intrinseco, ita vt tantus excessus sit necessarius ad agendũ, vt minor quicumque non sufficiat, vel extrinseco, ita vt tantus non sufficiat, sed benè maior quicumque. Et in hoc sensu intelligimus necessariò requiri ad agendũ determinatũ excessum virtutis actiuæ supra resistentiam passiuam, aut formalem.

Probatur autem nostra sententia sic explicata testimonio D. Tho. 12. q. 5. art. 6. ad 2. vbi sic ait: *Neque etiam omnia quæ sunt: illuminata, aut calefacta: possunt alia calefacere, & illuminare sic enim illuminatio, & calefactio essent vsque ad infinitum, &c.*

83 Ex quibus hoc argumentum colligo. Demus ignem tantæ magnitudinis agere, de quo certum est, determinatam habere sphæram suæ actiuitatis, vltra quam non potest actionem extendere; & hæc sphæra sit decem vlnarum, extra quam immediatè sit positum aliquod corpus capax caloris, sed vel nullum habens, vel longè minorem, quam sit calor corporis terminantis sphæram ignis, & tunc sic procedo. Vltimum corpus intra hanc sphæram contentum calefit ab igne, vt per se est manifestum: aut ergo potest talefacere aliud sibi contiguũ extra sphæram positum, vel non: si posse dixeris, sequitur, quod corpus calefactum ab eo possit calefacere aliud sibi contiguum, & ita procedere poterit calefactio in infinitum, nec erit iam sphæra ignis determinata, vt supponimus: si verò dicas non posse, sequitur, non sufficere quemlibet excessum ad agendum. Probatur consequentia, quia vltimum corpus calefactum per suum calorem, excedit aliud sibi proximum nullum habens calorem, vel longè minorem, & tamen cum illo excessu non potest in illud agere,

agere, cuius nulla potest assignari ratio, nisi quia non pertingit mensuram excessus requisiti ad agendum: ergo sequitur, determinatum esse necessarium ad agendum.

Probatur etiam ratione à priori, quia maxima perfectio est, 84
posse communicare aliis proprium esse, si non individuale (nam hoc est summa) saltem specificum, quod est posse ea sibi assimilare, vel sibi similia facere: ergo maior perfectio requiritur ad producendum sibi simile, quàm solum ad essendum, sed vnum contrarium agit in aliud, vt illud efficiat sibi simile: ergo maior virtus requiritur ad agendum, quam ad essendum. Et maior quidem determinata, probatur, quia tam exigua potest esse virtus, vt nō sit sufficiens ad operandum circa aliud, sed agens non agit, nisi ratione excessus actiuitatis supra resistentiam passi: ergo requiritur determinatus excessus ad agendum. Vim huius argum. explico exemplo corporum viuentium, de quibus euidens est, quòd non eo ipso quod sint, possunt agere ad generandum sibi simile, sed necesse est, virtūtem eorum crescere vsque ad determinatum gradum; ergo eodem modo nec reliqua corpora actiua, & passiua possunt agere ad assimilandū sibi passum, nisi virtus actiua eorum aliquem gradum pertingat, vt constat experientia in vltimo corpore existente intra sphęrā actiuitatis ignis, quòd licet calefiat ab igne, non potest alterum sibi contiguum calefacere propter exiguam virtutem, & tam parua potest esse scintilla ignis, vt non possit aliquid agere, vel aliquid caloris imprimere in aliud corpus: necessarius ergo est aliquis excessus determinatus virtutis actiuæ supra resistentiam passi, vt circa illud agere possit.

Probatur tandem à posteriori in ascensu ac descensu lapidis 85
sursum proiecti, hoc modo in vltimo instanti temporis, quo mouetur sursum, producit impulsus contra conatum grauitatis præsentiam quandam adæquatam lapidi, & superiorem quacumque alia prius producta, per quam vltimo terminatur motus sursum, & in qua desinit: ergo necesse est, quòd in eo instanti actiuitas impulsus excedat resistentiam grauitatis excessu determinato intrinseco, cum sit minimus excessus, cum quo agere potest, & cum minori quocumque non possit. Vlterius, impulsus sic excedens grauitatem diminuitur succesiue tempore sequenti: ergo non potest sic diminui, vt fiat minor grauitate, quin prius fiat æqualis; sed non potest fieri æqualis tempore immediatè sequenti, quia æqualitas cōsistit in indiuisibili; ad quod in casu isto non peruenitur, nisi in instanti: ergo necesse est impulsum esse æqualē in aliquo instānti tēporis sequentis; in quo verū erit dicere, nunc est æqualis, & immediatè nō erat æqualis,

ſed maior ; & inter inſtans, in quo eſt æqualis, & inſtans, in quo produxit vltimam præſentiam terminantem motum, datur tempus : ergo in toto hoc tempore medio fuit maior exceſſu indeterminato, & tamen non poterat mouere lapidem ſurſum ; cum motus ſurſum ſupponatur vltimo terminatus per illam indiuiſibilem præſentiam ab eodem impulſu productam. Exceſſus igitur indeterminatus non ſufficit ad agendum. Et licet daremus fieri æqualem in tempore immediato ; idem ſequitur inconueniens, quia cum tempus immediatum ſit diuiſibile, ſequitur, quòd etiam ſi in parte eius fiat æqualis, in prima medietate eiuſdem partis non ſit æqualis ; ſed maior, & tamen non ſufficiebat ad mouendum, vt ex ſuppoſitis eſt manifeſtum : ergo non quicumque exceſſus ſufficit ad agendum, ſed determinatus aliquo modo requiritur.

86 Ad primum argumentum oppoſitæ opinionis diſtinguendum eſt antecedens ex ea parte, qua aſſerit, à proportione maioris inæqualitatis ſemper dari actionem ; nam ſi proportio maioris ſit per exceſſum determinatum actiuitatis ſupra reſiſtentiam paſſi, verum eſt ; ſi verò per indeterminatum, falſum : quia ſicut non quælibet virtus agentis quantumlibet parua ſufficit ad agendum, ſed tanta requiritur, ita vt ſi ſit minor, non ſit ſufficiens, vel cum tanta non poteſt agere, bene tamen cum maiori. Ita requiritur determinatus exceſſus actiuitatis vnius ſupra reſiſtentiam alterius, quia ratione illius actiuitatis, per quam non excedit agens reſiſtentiam paſſi, non dicitur agere, licet per totam ſimul actiuitatem operetur.

Ad ſecundum conceſſa maiori, neganda eſt minor, quod quicumque exceſſus ſufficiat, vt dicatur agens plus agere, quàm reſiſtat paſſum ; nam cum exceſſus indeterminatus non ſufficiat ad agendum (vt probauimus) non dicetur propter illum agens plus agere, quam reſiſtat paſſum : immo neque ratione illius aliquo modo agere, quouſque fuerit determinatus, hoc eſt tantus, vt habeat ſufficientem vim ad agendum, quam non habet ſi ſit minor. Ad vltimum concedendum eſt euidenter ſequi ex noſtra ſententia, quod motus ſurſum, & deorſum lapidis factus per vacuum neceſſariò interrumpi debeat per tempus in puncto reflexionis; ex quo nullum ſequitur inconueniens; immò eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis 8. lib. Phyſ. vt ibidem oſtendimus.

Cuius ratio non minus probat de eodem motu facto per plenum, quàm per vacuum.

An

An excessus actiuitatis supra resistentiam requisitus ad agendum debeat esse determinatus termino intrinseco, vel solum extrinseco.

SVppositо, quod excessus requisitus ad agendum debet esse 87
determinatus, quærimus, an debeat esse determinatus per intrinsecum terminum, quem vocant minimum, quod sic, ita vt tantus requiratur, & quicumqne minor non sufficiat; vel sufficiat determinari termino extrinseco (quem vocant maximum, quod non) ita vt tantus non sufficiat, sed benè maior quicumque: hoc est enim talem excessum esse maximum, cum quo non potest dari actio: sed cum maiori quocumque dari possit. Et videtur quod terminari debeat minimo (quod sic) quod probo in eodem exemplo motus sursum, & deorsum hoc modo. Dum lapis mouetur sursum per impulsum proiicientis, necessarium est talem motum terminari per vltimam præsentiam, vel vltimum vbi indiuisibile, sicut quilibet alius motus rectus: ergo verum erit in instanti, in quo lapis peruenit ad punctum reflexionis, impulsum excedere resistentiam grauitatis. Probatur consequentia, quia si non excederet, non posset agere; sed agit tunc, cum producat præsentiam indiuisibilem, & adæquatam vltimo terminantem motum sursum; ergo excedit resistentiam grauitatis, & excessu quidem determinato per minimum intrinsecum, quia verum est dicere tunc agere, & immediatè post agere non posse: cum non possit mouere, sed finitus sit iam motus sursum: ergo excessus cum quo agit in vltimo illo instanti producendo vltimam præsentiam est minimus, cum quo agere potest, ita vt cum minori, quem habebit immediate post, non possit agere, vt supra probauimus. Vnde sequitur excessum requisitum ad agendum esse determinatum termino intrinseco.

Huic dubio respondeo hac distinctione, nam agere duobus modis sumitur. Primo vniuersaliter pro actione quacumque abstrahente à successiua, & instantanea, vel ab ea, quæ est motus, vel indiuisibile eiusdem motus, quod vocari solet mutatum esse. Secundò sumitur magis in particulari pro eo, quod est mouere motu successiuo, qui propriè dicitur motus. Et si agere sumatur hoc secundo modo, postulat necessariò excessum determinatum extrinsicè per maximum, quod non; ita vt cum excessu determinato per minimum, quod sic, non possit agens mouere, aut producere motum, vel mutationem termini diuisibilis. Si verò accipiatur primo modo, requiri:

exceſſum determinatum minimo quod ſic. Probatur primum in agentibus contrariis, quæ operantur ſucceſſiuè; nam ſi exceſſus ad mouendum requiſitus debet eſſe determinatus per minimum quod ſic; demus minimum exceſſum, quo agens poteſt mouere eſſe vnum gradum, ita vt cum minori exceſſu mouere non poſſit; & tunc ſic arguo. Minor exceſſus, quàm gradus ſufficit ad agendum: ergo non habet terminum intrinſecum talis exceſſus requiſitus. Probatur antecedens; quia omne agens habens contrarium, mouet ſucceſſiuè: ergo verum eſt dicere, quod excedens exceſſu vnius gradus, nunc non mouet, & immediatè poſt mouebit; ſed immediatè poſt exceſſus erit minor: ergo vel non poterit omnino agere, vel neceſſe eſt agere cum minori exceſſu, & vtrumque probat falſum eſſe, quòd requiratur determinatus exceſſus per minimum, quod ſic; nam ſi immediatè poſt non mouet: ergo non ſufficit talis exceſſus ad mouendum, & ſi mouet, cum minori mouebit, quia immediatè poſt producetur aliquid formæ in paſſo: ergo minor erit exceſſus. Probatur ſecundò in agentibus carentibus contrario, & ideo introducentibus formam indiuiſibilem in inſtanti, vt in luminoſo, nam ſi cum exceſſu vnius gradus agit, & non cum minori, ſequitur etiam, vel cum tali exceſſu determinato non agere, vel ſine illo agere. Probatur conſequentia; nam ſi luminoſum excedit vno gradu, vel in eodem inſtanti producit totum exceſſum, & hoc repugnat propter defectum approximationis, vel producit partem determinatam, ita vt minorem non poſſit producere; quod probatur falſum, quia ex eo ſequitur qualitates habere minimum intrinſecum in ſua productione, quod oſtendimus eſſe falſum 1. lib. Phyſic. Probatur ſecundum membrum, quod ad productionem indiuiſibilis requiratur determinatus exceſſus per minimum, quod ſic, quia effectus, qui producitur, eſt indiuiſibilis, & determinatus intrinſicè, vt patet: ergo requirit exceſſum eodem modo determinatum ex parte agentis. Probatur ſecundo in motu ſurſum, quia in vltimo inſtanti cum terminante producit impulſus vltimam, & adæquatam præſentiam, vltimo terminantem motum, & cum minori exceſſu non poteſt aliam producere, immo neque vllo modo operari: ergo ad talem mutationem inſtantaneam efficiendam determinatus exceſſus per minimum intrinſecum requiritur.

Et argumentum in contrarium propoſitum hoc tantum probat, & ideo non indiget ſolutione.

QVÆ

QVÆSTIO V.

An simile possit agere in omnino simile.

HAnc quæstionem tetigit Aristoteles cap. 7. huius libri, 88
iam à nobis explicatum: vt autem intelligatur, duo isti termini declarandi sunt, nempe simile, & omnino simile. Similia vocantur ea, quæ participant eamdem naturam specificam, præsertim sub genere qualitatis, in quo solum reperitur propria similitudo, vt docet Aristoteles in eo prædicamento, vt duo: alba dicuntur propriè similia; sed si participent eamdem qualitatẽ, & nõ secundũ eumdẽ gradum vt si vnũ sit album vt duo, aliud vt sex, non dicentur omnino similia, & propterea additur in titulo quæstionis, omnino simile: sunt ergo omnino similia, ea quæ non solũ conueniunt in eadem natura specifica qualitatis, sed in eodem gradu intensionis, & talia sunt duo alba, vel duo calida vt quatuor. Hoc supposito quærimus, an habẽs eãdẽ qualitatẽ specificã cum alio, & in eodem gradu possit agere in illud intendendo qualitatẽ eius, vt calidũ vt quatuor, in aliud calidũ vt quatuor intendendo calorem eius, & ideo producendo effectum se ipso intensiorem. Certũ est autem sermonẽ esse de agente vniuoco, nam agens æquiuocum non producit sibi simile formaliter, vt per se est manifestum.

Prima opinio affirmat simile posse agere in aliud eiusdem 89
qualitatis, & gradus: non semper, sed in casu aliquo, nẽpe si plus materiæ habeat ratione densitatis, vel ratione maioris quantitatis; vt si duo corpora sint calida vt quatuor, vnum tamen sit multo maius altero; vel si duo corpora æquè calida inter se coniungantur, poterunt agere in corpus aliud æquè calidum, sed minus vtroque intendendo calorem eius, quod est simile agere in aliud omnino simile, producendo effectum seipso intensiorẽ. Ita Sotus 2. lib. Phys. q. 4. concl. vltima, Nimphus 1. lib. de generat. comm. 195. quæst. 2. Marsil. ibidẽ q. 18. & Toletus. q. 3. Probant ratione, & experientia: ratione quidem desumpta ex natura densitatis, quæ talis est (vt capite. 5. ostendimus) vt partes eiusdem corporis magis, ac fortius vniat inter sese: sed virtus vnita fortior est seipsa dispersa: ergo calor eiusdem intensionis in materia densa existens fortior est ad agendum, quàm si esset in alio corpore densitate carente: potestergo producere effectum maioris intensionis, & ideo intendere calidum eiusdem intensionis producendo effectum se ipso intensiorem, & quod densitas facitt in casu isto, efficiet maior

quanti

quantitas corporis,vel coniunctio duorum:ad agendum in tertium vtroque minus.

90 Secundò,probant multis experientijs,ſed his præcipuè, quæ videntur notiores.Prima eſt de ferro candenti agente in ſtupã, & conuertente eam in ignẽ,ſed non poteſt conuerti in ignem, niſi habeat ſummum calorem:ergo producit calor exiſtens in ferro minoris longe intẽſionis calorem,ſummum;melius ergo poterit intendere calorem alterius calidi ſibi omnino ſimilis minoris denſitatis, ratione cuius produxit in ſtupa maiorem intenſionem caloris ea, quam habet in ſe.Secunda experientia eſt de lumine,nam radij Solares per ſpeculum tranſeuntes ſolent generare ignem in corpus extra ſpeculum poſitum : ergo producunt effectum perfectiorem ſe,& ideo poterunt intendere calorem alterius omnino ſimilis. Tertia, de pondere, quod maius eſt in corpore denſo,quàm in raro,vt in plumbo vel auro;& ideo perfectiorem longè effectum impulſionis producere poterit : ergo eadem erit ratio de qualitatibus actiuis ſe expellentibus ab eodem ſubiecto,ex quibus illa poterit producere effectum maioris intenſionis,quæ fuerit in denſiori,vel maiori corpore,licet æqualis ſint intenſionis in ſe. Et tandem plures homines ſimul cõcurrentes plus põderis portare poſſunt,quàm portarent,ſi quilibet eorum per ſe ſeparatus ab altero operaretur:ergo eodem modo plures partes corporis,quò magis vnitæ ſunt,perfectiorem producent effectum:ſed ita ſe habent in corpore magnæ denſitatis : ergo producere poterunt effectum maioris intenſionns,ea, quam idemmet corpus habet in ſe , & conſequenter intendere eamdem qualitatem,& in eodem gradu exiſtentem in corpore ſimili.

Secunda opinio negat ſimile poſſe agere in omnino ſimile per eamdem formam , in qua aſſimilantur,etiam ſi maioris ſit denſitatis,vel magnitudinis , vt calidum vt quatuor quantumlibet denſum , vel magnum agere poſſe in calidum vt quatuor minoris magnitudinis,vel denſitatis.Ita Auicẽna.7.Metha.cap. 3.Gregor.in 1.diſtin.17.q.4.art.2.Venetus in ſumma de gener. cap.3.Alber.Saxoniæ 1.lib.de generat.q.19. Aſſudillo q.21.Victoria in relectione de augmento charitatis.Valleſius controu. 14.ad tyrones ad finem,& omnes ferè recentiores. Et videtur mihi certa in doctrina Ariſtotelis , & longe probabilior. Et quod certa ſit in doctrina Ariſtotelis probatur ex cap.7.huius lib.textu 50.vbi docet expreſſe agens & paſſum diſſimilia eſſe debere,atque contraria,his verbis : *Sed quoniam non quodcumque natum eſt pati , & facere, ſed quæcumque aut contraria ſunt, aut contrarietatem habent, neceſſe eſt vt patiens , & faciens genere quidem*

quidem simile esse, & idem: specie autem dissimile, & contrarium. Et paucis interpositis reddit rationem huius dissimilitudinis sic loquens: *Huius autem causa est, quòd contraria in eodem genere sunt omnia; faciunt autem, & patiuntur contraria ab inuicem quapropter necesse est aliquo quidem modo eadem esse & faciens, & patiens: aliquo autem modo altera, & dissimilia ab inuicem, &c.* Sed ea, quæ sunt eiusdem speciei, & in eodem gradu participant eãdem qualitatẽ, nec dissimilia sunt, nec contraria; sed omnino similia: quamuis vnum sit maius altero, vel maiorem densitatem habeat: ergo pugnat cum verbis Aristotelis, quod possit vnum agere in aliud per eamdem formam, vel ab eo pati. Et si dicas dissimilia esse ratione magnitudinis, vel maioris densitatis; probatur esse falsum, quia maior magnitudo, vel maior densitas non facit dissimilitudinem, sed inæqualitatem: cùm multitudo partium, ratione cuius corpus magis densum posset fortius agere, ad quantitatem potius, quàm ad qualitatem pertineat.

Probatur etiam ratione primo, quia repugnat causam efficientem producere effectum, quem non continet in se formaliter, vel eminẽter; alioqui daret, quod nullo modo habet, quod est impossibile: sed omnino simile, quantumlibet magnum, vel densum non continet formaliter, aut eminẽter gradum intensioris formæ: ergo nec posset illud producere in aliud omnino simile. Exempli gratia, calidum vt quatuor maioris magnitudinis, vel densitatis non continet vllo modo gradum vt quinque; ergo non potest illud producere intendendo aliud calidum, vt quatuor minoris magnitudinis, vel densitatis. Probatur minor, quia solum habet calorem intensum vt quatuor: ergo non continet formaliter quintum gradum intensionis; sed neque eminenter, quia effectus non potest contineri eminenter in causa eiusdem rationis, & speciei, sed diuersi gradus caloris sunt eiusdem rationis, & speciei: ergo repugnat vnum continere alterum eminenter, alioqui non esset causa vniuoca eius, sed æquiuoca, cum sit diuersæ rationis ab effectu. Et si dicas quintum gradum intensionis esse eiusdem speciei, sed diuersæ rationis, & perfectionis secundum rationem indiuidualem. Ex hoc probatur euidentius non contineri eminenter sub gradu intensionis, vt quatuor, quia res inferioris ordinis, & perfectionis non potest continere eminenter rem superiorem: sed quintus gradus per te est perfectior indiuidualiter calore vt quatuor: ergo non potest sub eo contineri eminenter. Et si rursus dixeris quatuor gradus caloris in subiecto densiori, vel maioris magnitudinis perfectiores esse quinto gradu

indiui

indiuidualiter,non ratione intensionis, sed propter maiorem multitudinem partium;& ideo continere illum eminenter præcipuè in ordine ad illum producendum, probo hoc esse falsum; quia causa efficiens debet continere effectum formaliter, vel eminenter secundum rationem formalem efficientis causæ,hoc est ratione suæ formæ, per quam agit; sed multitudo partium nec est forma agẽtis,nec formalis ratio agendi,sed solum conditio,vel dispositio aliqua:ergo impossibile est, quod eius ratione contineatur quintus gradus sub calore vt quatuor,& cõsequenter repugnat ab eo produci in aliud calidum,vt quatuor minoris magnitudinis,vel densitatis.

Secundò probatur ex fine agentis, nam cessante fine, cessat actio agentis; sed respectu alterius omnino similis non potest dari finis agendi:ergo nec poterit dari actio. Probatur minor, quia finis,quem intendit agens sua actione est assimilare sibi passum:sed nihil restat in quo assimiletur per talem formam res omnino similis in ea,vt per se est manifestum : ergo repugnat etiam circa illam agere. Et si dicas non esse similem in magnitudine,vel densitate, aut partium multitudine; & ideo ex hac parte adhuc permanere finem actionis. Hoc est apertè falsum, quia agens non intendit assimilare sibi passum secundum conditionem, vel dispositionem ad agendum concurrentem:sed secundum formam,per quam agit: vt calidum secundum formam caloris intendit assimilare sibi passum circa quod agit,non secundum magnitudinem, vel densitatem, quæ non pertinent per se ad alterationem tamquam rationes agendi, sed solum sunt conditiones,vt quantitas:vel dispositiones materiales,vt maior densitas:ergo cessante assimilatione in calore, cessat penitus finis calefaciendi,& cõsequenter calefactio ipsa.

DVBIVM AGITANDVM PRO solutione argumentorum.

An maior magnitudo,vel maior densitas corporis iuuet ad agendum,& quo modo.

AVthores primæ opinionis contendunt maiorem magnitudinem agentis,aut maiorem densitatem eius iuuare ad agendum,non tamquam rationem formalem agendi quia certum est,nec extensionem,aut multitudinem partiũ, nec densitatem corporis esse virtutem actiuã, & ideo nec formam, per quam operatur agens;vt maior densitas ferri, vel maior magnitu

gnitudo eius non est ei ratio formalis agendi, sed calor, ita tamen iuuare, vt ratio formalis agendi in multitudine partium eiusdem corporis existens, vel in densiori materia fortior sit, & maioris virtutis ad agendum, quàm sit intensio eius, quia magis vnita; & ideo posse producere effectum se intensiorem, & intendere formam passi æqualem se in gradibus intensionis. Quod probant duobus illis argumentis, pro quorum solutione propositum est hoc dubium.

Nos verò iuxta communem opinionem, quam sequimur, duo dicimus: primum, maiorem magnitudinem agentis, vel maiorem densitatem eius, nec esse rationem formalem, vel virtutem agendi: nec ex parte eius sic iuuare ad agendum, vt possit eius ratione agens producere in passo effectum se intensiorem. Probatur primum, quia agens intendit assimilare sibi passum secundum formam, per quam agit in ipsum, vt calidum intendit assimilare sibi passum in calore, qui est sibi ratio formalis agendi: ergo magnitudo corporis, vel densitas eius non potest esse ratio agendi. Probatur consequentia, quia in his non intendit per se assimilationem, sed in calore tantum, vel alia qualitate, per quam agit. Probatur secundum, quia magnitudo corporis, vel densitas eius nullam continent virtutem actiuam: ergo non possunt tribuere eam formæ, quæ est ratio agendi ad producendam maiorem intensionem in passo, quam ipsa habeat in se, & consequenter nec ad agendum in aliud omnino simile. Probatur secũdo, quod nullo ex prædictis modis iuuare possint formam agentis ad producendam maiorem intensionem, quàm in se habeat, quia sequeretur agens, & passum mutuò se posse intendere vsque ad summum gradũ, quod est absurdum. Probatur consequentia, quia si magnitudo agentis, vel densitas eius sit forma agendi, vel iuuet formã agendi ad agendum in passum omnino simile, demus calidũ vt quatuor maioris magnitudinis, vel densitatis intendere posse aliud calidum vt quatuor, vsque ad quintum gradum: & tunc passum factũ calidũ vt quinque poterit agere in idẽmet agens calidũ maioris magnitudinis, vel densitatis, quia cũ illud excedat in gradu integro intensionis, euidens est posse in illud agere, & calorem eius intendere, nec minus est euidens maiorẽ magnitudinẽ, vel densitatem non impedire talem actionẽ. Et hoc rursus per calorẽ iam intensum poterit ratione maioris densitatis, vel magnitudinis agere in aliud intendendo calorẽ eius, & sic se possunt vicissim intendere vsque ad calorem vt octo.

Secundò dicimus multitudinẽ partiũ, aut maiorẽ dẽsitatem, vel maiorem magnitudinẽ corporis posse iuuare formã agẽtis

ad pro

ad producendum ſuum effectum ad maiorem diſtantiam, & maiori velocitate; atque etiam ad producendum ſecundum maiorem intenſionem, quàm produceret ſine illis, ſed nullo modo ad producendum effectum intenſiorem ſe. Et hoc vltimum probatum eſt iam in confirmationem communis ſententiæ. Sed probo alia hoc argumento; maior magnitudo, ſeu maior denſitas agentis, aut maior multitudo materiæ, licet non ſint rationes formales agendi, ſunt tamen conditiones, & diſpoſitiones ad agendum, per quas eadem virtus agendi melius diſponitur in ordine ad actionem, & effectum producendum, quia virtus vnita per denſitatem fortior eſt ſeipſa diſperſa (vt aiunt) & in pluribus partibus exiſtens, vel in maiori magnitudine corporis ſeruata eadem intenſione, atque eadem denſitate fortior fit: ergo maior eſt ei tribuenda ſphera actiuitatis, per quam poſſit extẽdere ſuum effectum, & intra eamdem ſpheram intenſior effectus, quam tribueretur, ſi his conditionibus careret, vel haberet oppoſitas.

Probatur ſecundo euidenti experientia, quia æqualis intenſio caloris in ferro, aut corpore alio denſiori citius, atque intenſius calefacit manum, quam in aëre, vel corpore alio minus denſo, & aqua citius, atque intenſius humectat manum, quam aër, quamuis intenſiorem habeat iſte humiditatẽ. Ignis etiam magnus ad maiorem diſtantiam calefacit, quàm paruus, & intra ſpheram minoris intentionem calorem producit, quàm minor ipſe. Et tãdem videmus duo luminoſa æqualis intenſionis maiorem partem medij illuminare, quàm illuminaret quodlibet per ſe, & in eadem parte medij ab vtroque illuminata intenſius lumen produci, quã ſi ab vno ſolo illuminaretur. Quod ex duobus probatur euidenter: ex primo quidem, quia experimur in eadem parte medij ab vtroque illuminata ſcripturam aliquam legi poſſe, quæ non poſſet legi, ſi ab vno tantum illuminaretur. Ex ſecũdo verò, quia ſi corpus opacum ponatur medium inter vtrumque luminoſum, duplex efficietur vmbra, vna verſus vnum, & altera verſus alterum. Ex quo efficaciter colligitur, quod præter lumen à quolibet productum in parte proximiori, aliquid etiam luminis producitur ab altero in eadem; quod ſic probo. Vmbra cauſatur ex impedimẽto corporis opaci, ratione cuius minus lumen producitur in parte impedita, quam in alijs non impeditis: ſed pars illa aëris, in qua fit vmbra, non eſt impedita ab effectu proximioris luminoſi, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo impeditur ab effectu alterius: ſed non impeditur totaliter, alioqui nulla cauſaretur vmbra, ſed cauſatur, quia ex parte ſolũ impeditur: ergo habet ex parte effectum,

quod

quod est aliquid luminis producere, præter illud, quod producit luminosum magis proximum. Et ex hoc euidenter sequitur intensius lumen produci ab vtroque agente circa eamdem partem medij, quàm produceretur à quolibet per se, propter maiorem magnitudinem, maioremque multitudinem partiũ vtriusque, sed in nullo casu horum producitur forma, vel effectus in maiori intensione ea, quam habet in causa totali, vel partiali: nam calor productus ab igne maioris magnitudinis non excedit intensionem, quam habet calor in qualibet eius parte, nec totum lumen productum in medio ab vtroque luminoso excedit intensionem, quam habet idem lumen in singulis per se sumptis.

Ex quibus colligitur agens minoris intensionis ratione maioris densitatis, vel magnitudinis producere posse intensiorem effectum, quàm aliud, maioris quidem intensionis, sed minoris densitatis, vel magnitudinis; numquam tamen posse producere effectum intensiorem se.

His suppositis restat respondere argumentis primæ opinionis: Et ad primum eorum concedendum est primum enthymema, quòd virtus in densiori corpore existens magis est vnita, & ideo fortior seipsa dispersa, hoc est fortior, quam si esset in corpore minus denso, & ideo intensiorem effectum posse producere, quam posset cum minori densitate, quia ratione densitatis melius est disposita ad agendum, quam esset sine illa: sed neganda est alia consequentia, quòd possit producere effectum intensiorem se, quia talem intensionem maiorem nullo modo continet forma, quæ est ratio agendi, nec secundum se, cum tantum sit intensa vt quatuor, nec ratione densitatis, quæ nullam potest virtutem agendi ei conferre; sed melius tantum disponere subiectum, vt citius, vel ad maiorem distantiam, vel cum maiori intensione non excedente propriam producat proprium effectum.

In secundo argumento afferebantur plures experientiæ ad probandum agentia ratione densitatis, vel magnitudinis, aut multitudinis partium posse producere effectum maioris intensionis, aut perfectionis ea, quam habet forma, per quam operantur; & omnes experientiæ præter primam pertinent ad causas æquiuocas, de quibus non procedit quæstio, vt in principio adnotauimus; nihilominus vno verbo eis respondebitur statim. Ad primam igitur de productione ignis in stupa à ferro candenti, duobus modis respondeo; primo concedendo, quòd in ferro illo non sit forma ignis neque summus calor, sed infra octauum gradum; concedendo etiam, quòd in

ſtupa producat ignem, ſed negando quod producat calorem vt octo, ſe producit minus intenſum, quam in ſe habet, & ille ſufficit ad introducendam formam ignis in tali materia habente cæteras diſpoſitiones ſiccitatis, raritatis, & leuitatis requiſitas; quibus quia caret ferrum, non ſufficit in eo calor maioris intenſionis, quem habet ad introductionem eiuſdem formę ignis, ſed cum propria conſeruatur. Quod exemplo aëris probari poteſt, qui in media regione infrigidat nubes, quibus propterea frigidior eſt, nec tamen conuertitur in aquam, ſicut conuertuntur nubes, quia deficiunt ei cæteræ diſpoſitiones aquæ connaturales, quas nubes habent, vt denſitas, grauitas, & aliæ huiuſmodi. Itaque nec neceſſarius eſt ſummus calor ad introductionem formæ ignis in materia ſic diſpoſita, immo nec tam intenſus, quam ille, qui eſt in ferro, ſed nec iſte ſufficit, vt in ferro introducatur forma ignis. Vnde non ſequitur, ferrum candens producit ignem in ſtupa, ergo intenſiorem calorem eo, quem in ſe habet. Secundò reſpondeo, quòd in ferro eſt forma ignis ſecundum probabilem ſententiam multorum, quam tenent Scaliger exercitatione 10. contra Cardanum numer. 1. Alexander Aphrodiſeus opuſ. de mixtione, quod colligunt ex fulgore eius, quia, vt aſſeruit Plato in Thimęo, nihil poteſt fulgere, ſine igne. Nec difficile eſt id intelligere, quia cum ſit adeò vehemens calor ferri, facile creditu eſt, quòd aërem in poris exiſtentem, & valde diſpoſitum pro forma ignis in ignem conuertat; ab hoc igitur igne in poris ferri exiſtente producitur ignis alter in ſtupa, & non à ſolo calore ferri.

Ad aliàs vero experientias de cauſis æquiuocis vno verbo reſpondeo, admittendo illas, ſed negando quod in aliqua earum producatur effectus maioris perfectionis, quàm cauſa, immò cum æquiuoca ſit hæc, & ideo alterius ſpeciei, & ordinis, quàm effectus à ſe productus, impoſſibile eſt hunc attingere per ſe perfectionem cauſæ, ſed ſemper manet inferior; & ita cenſendum eſt de effectu cauſæ vniuocæ, qui numquam poterit intenſionem formæ agentis ſuperare, quantumcumque creſcat ratione denſitatis, aut cuiuſuis maioris magnitudinis agentis, aut multitudinis partium.

QVÆSTIO VI.

An agens poſſit producere effectum ſibi omnino æqualem, aut ſimilem in perfectione, vel gradu intenſionis?

Vt in

VT intelligatur quæstio, notare oportet, non procedere de 91
effectu simili, vel æquali secundum perfectionem essentialem, nam certum est, quodlibet agens vniuocum producere per generationem substantialem effectum sibi æqualem in perfectione essentiali, vt homo hominem, & leo leonem: sed solum procedit de effectu simili, vel æquali in modo, ac perfectione accidentali, hoc est in gradu intensionis; & ideo, nec procedit de agente æquiuoco, quòd cum habeat formam specie diuersam, nō potest assimilare sibi passum similitudine formali; nec etiam in formali intensione, vt per se patet: sed de solo agente vniuoco producente formam eiusdem speciei, & eodem modo capacem intensionis, ac est capax forma, per quam ipsummet operatur. Quærimus ergo an calidum vt quatuor possit producere in passo, vt in ligno, aut ferro calorem eiusdem intensionis; ita vt totam virtutem intensionis, quam habet, possit refundere in passum; & facere illud æquè calidum, & omnino sibi simile, vel solum possit producere inferiores gradus caloris.

Et prima opinio asserit posse calidum intensionis, vt quatuor producere quatuor alios gradus caloris in passo; & etiam luminosum posse producere lumen eiusdem intensionis, quam habet in se. Ita authores illi, quos quæstione præcedente citauimus pro sententia; quæ asserit simile posse agere in omnino simile intendendo qualitatem eius; nam consequenter dicere tenentur posse producere totam intensionem, quam in se habet; quia si calidum vt quatuor potest intendere calorem vt quatuor existentem in ligno, vel aëre, demus illum intendere vsque ad quintum gradum; ex quo sequitur, quòd possit producere quinque gradus caloris in alio subiecto nullum calorem habente, vt in aqua, vel terra. Probatur autem hæc sententia 92
ratione, & experientia. Ratione quidem, quia calor existens in aliquo subiecto secundum omnes gradus intensionis, quos in se habet, est qualitas actiua; ergo secundum omnes gradus est productiua alterius sibi similis; quare in subiecto capaci poterit producere omnes gradus intensionis, quos in se habet, quod est posse producere aliud sibi omnino simile. Probatur etiam experientia: nam euidens est vnum ignem posse producere alterum: ergo potest producere calorem vt octo. Probatur consequentia, quia calor vt octo est dispositio ad formā ignis; quare non potest negari, quod possit agens producere effectum tantæ intensionis, quantam habet forma, per quam agit. Immo nec negari potest, quod actu producat, quia non producitur ignis sine calore vt octo. Et ex hac experientia deduci potest hoc argumentum. Si calidum vt octo, quale est ignis, non

posset producere calorem vt octo, sed minorem; sequitur octauum gradum caloris non esse qualitatem actiuam; quod est falsum; cum omnes gradus sint eiusdem rationis: sed probatur consequentia, quia numquam potest illum gradum imprimere subiecto: ergo nec per illum potest agere, quod est non esse actiuum.

93 Secunda opinio est quorumdam recentiorum asserentium, quòd licet non possit corpus habens formam tantæ intensionis, producere aliam eiusdem intensionis in alio corpore, nisi fortè cum eo esset penetratum: in superficie tamen eius, per quam cum eo se penetrat superficies propria, producere potest totam intensionem, quam in se habet; quod hoc exemplo potest declarari. Demus calidum vt quatuor approximatum ligno, vel alteri corpori non habenti calorem, tunc asserunt, ratione distantiæ inter agens, & partes profunditatis passi non posse in eas producere totam intensionem, quam habet, sed minorem; sed in superficie eius, per quam se tangunt posse producere indiuisibile intensionis vt quatuor: quod probant hoc argumento. Si calidum vt quatuor se penetraret cum passo; nihil obstaret, quin posset producere in eo calorem eiusdem intensionis, quia sola distantia impedit modo productionem totius intensionis; sed per vltimam superficiem se penetrat cum vltima superficie passi: ergo poterit circa illam producere indiuisibile intensionis vt quatuor. Probatur minor, quòd se penetret, quia duo corpora se penetrare, non est aliud, quàm vtrumque correspondere eidem spatio; sed duæ illæ superficies agentis, & passi correspondent eidem superficiei indiuisibili spatij, vt per se est manifestum. Et probatur in baculo existenti in aqua, & aëre, cuius superficiei correspondent vltimæ superficies aëris, & aquæ: ergo se penetrant.

94 Nostra sententia quatuor asserit, primum est, corpus magnitudinis, ac densitatis proportionatæ suæ naturæ, & suæ intensioni posse producere effectum sibi omnino similem, hoc est, eiusdem intensionis circa passum eiusdem magnitudinis, ac densitatis, si sit cum eo penetratum; quod licet non possit naturaliter contingere, quia penetratio corporum non est possibilis naturaliter, si tamen per diuinam potentiam se penetraret, produceret talem effectum. Probatur efficaciter hoc argumento. Virtus agentis secundum totam intensionem, quam habet, est actiua, & productiua alterius sibi similis, & per penetrationem agentis, & passi & perfectissimè approximata, ita vt nulla sit distantia inter agens, & passum; neque aliquid aliud, per quod aliquo modo impediri, vel retardari possit à perfecta productione sui effectus;

effectus ; & ex alia parte agit naturaliter,& in quantum potest: ergo producit effectum sibi omnino æqualem in gradu intensionis. Probatur consequentia,quia agens naturale nullo modo impeditum perfectè operatur, & ideo perfectè assimilat sibi passum ; sed perfecta assimilatio in his formis dicit similitudinem non solum in natura specifica, sed etiam in eodem gradu intensionis : ergo producit effectum sibi omnino similem in gradu intensionis, vel totam intensionem, quam habet, imprimit passo.

Secundo asserit,agens eiusdem virtutis,& eodem modo pro- 95
portionatum passo secundum densitatem , & magnitudinem non penetratum cum eo,sed ei contiguum,non posse producere effectum circa ipsum æqualis intensionis ; sed minoris tantum. Quod hac ratione probatur;approximatio agentis ad passum est conditio necessariò requisita ad agendum,& ideo propter maiorem , vel minorem distantiam diuersarum partium eiusdem passi respectu agentis asserunt omnes vniformiter difformiter circa illas agere, hoc est, simul imprimendo eamdem formam omnibus, perfectius tamen, vel intensius proximioribus:sed agens, & passum non sunt perfectè approximata, etiam si sint contigua , nisi se penetrent : ergo non poterit agens perfectè agere in passum,nec perfectè illud sibi assimilare,nisi fuerit cum eo penetratum , & ex consequenti nec producere in eo totam intensionem,quam habet. Probatur minor;quia ea, quæ non sunt simul,aliquo modo distant:ergo non sunt perfectè approximata; sed ea, quæ non se penetrant, non sunt simul , licet sint contigua : ergo non sunt perfectè approximata. Probatur iterum minor , quia se penetrare duo corpora idem est , ac esse simul loco , vel spatio, ita vt eisdem partibus spatij correspondeant partes vtriusque corporis;quod patet non habere corpora contigua, sed diuersis spatiis correspondere , & ideo aliquo modo distare inter se saltem negatiuè , licet nullum sit corpus medium inter vtrumque ;& propterea non esse perfectè approximata,vt requiritur ad perfectè agendum,& patiendum.

Tertium , quod asserimus contra secundam opinionem est, 96
agens non posse producere in sola vltima superficie passi , per quam tangitur ab eo totam intensionem , quam habet , immo nec maiorem,quam in partibus profunditatis. Probatur primo ex parte subiecti,nempe eiusdem superficiei,in qua recipi debet talis effectus, quia non potest effectum maioris intensionis recipere,quàm partes profunditatis, quas terminat, nisi in quantum est terminus earum ; ergo præcisè in quantum indiuisibilis ; sed indiuisibile non potest esse per se alterabile , quia qui-

cumque motus alterationis est accidens corporeum diuisibile postulans subiectum, vt probauimus 6. lib. Physicor. ergo repugnat dari motum alterationis in sola indiuisibili superficie terminante corpus,& consequenter repugnabit aliquam intensionem caloris recipere præter illam, quam recipiunt partes profunditatis terminatæ. Probatur vltima consequentia, quia non potest talem calorem recipere, nisi per motum, quia successiuè illum recipit.

Secundò, quia vel indiuisibilia continuatiua, & terminatiua qualitatum sunt modi, vel res. Si dicas esse modos, euidenter sequitur nec de potentia Dei absoluta, posse separari ab ipsa qualitate, quam continuant, vel terminant: & etiam si velis esse res, naturaliter repugnat separari à continuo, vt fatentur omnes. Nemo enim vnquam dixit, quòd punctum possit separari naturaliter à linea. vel superficies à corpore; neque vllo modo existere per se separatum in rerum natura, quia etiam si sit res,imperfectissima tamen,& naturaliter dependens à reipsa, quam continuat, vel terminat tamquam aliquid eius, propter quam, & non propter se fit à natura; sed si superficies vltima passi intensiorem recipit calorem, quàm partes profunditatis corporis, quas terminat, sequitur euidenter dari indiuisibile qualitatis realiter separatum à qualitate: ergo impossibile censendum est. Probatur minor, quia in partibus solum recipitur calor,vt tria(exempli gratria)in superficie verò recipitur indiuisibile caloris intensum, vt quatuor; quod euidens est nullas partes intensionis terminare, cum non possit terminare, nisi calorem intensum, vt quatuor, & talis non detur, vt supponimus,nec proinde potest eis adhærere, quia indiuisibile non adhæret partibus,nisi eas terminet,vel continuet:ergo est separatum ab eis realiter, & per se separatum ab omni alia re est in rerum natura.

97 Probatur tandem, quia vel illa maior intensio caloris,quam recipit sola superficies terminans, producitur per motum, vel per mutationem instantaneam; vtrumque est impossibile:ergo repugnat superficiem recipere effectum maioris intensionis, quam partes. Probatur minor, quòd non per mutationem, quia euidens est; & recentiores, qui sequuntur illam sententiam,id concedunt, intensionem illam successiuè produci; cum habeat contrarium in subiecto: ergo non per mutationem, sed per motum producitur. Quod verò hoc sit impossibile probatur,nam vel motus iste est idem numero cum motu totius corporis: & hoc non, cum sit in subiecto realiter distincto, & habeat terminum realiter distinctum. Nec etiam potest distin-

gui nu

gui numero, cum nec ſubiecta ſint diſtincta numero ; nam indiuiſibilia quantitatis,vel ſubſtantiæ non diſtinguuntur numero ab ipſa quantitate;& ſubſtantia,vt per ſe eſt manifeſtum:ergo repugnat produci permutationem , vel motum. Et ſi dicas produci per motum diſtinctum numero à motu partium , non quidem numero totali , & completo , ſed partiali. Hoc probatur falſum , quia terminus productus per talem motum non eſt pars termini motus earumdem partium,cum nec componat cum illis eamdem numero qualitatem , nec vllo modo eis adhæreat , vt probaui , quia nec eas continuat , nec terminat: ergo nec motus per quem producitur talis maior intenſio poteſt componere vnum motum numero cum motu partium; cum nullo modo ad eum pertineat,ſed numero debet diſtingui ab eo,& ita neceſſe eſt concedere , quod idem corpus mouetur ſimul duobus motibus calefactionis ſolo numero diſtinctis, quod patet eſſe falſum. Et probari etiam poſſet talis diſtinctio numerica motuum ex eo , quod motus partium eſt diuiſibilis ſecundum extenſionem,motus verò ſuperficiei indiuiſibilis hoc modo:ergo repugnat eſſe eumdem numero motum. Probatur conſequentia,quia repugnat eamdẽ entitatem eſſe diuiſibilem, & indiuiſibilem eodem modo diuiſibilitatis:impoſſibilis eſt ergo productio talis intenſionis maioris in ſola ſuperficie.

Et ſi pro eadem ſententia dicatur , dari quædam accidentia, 98
quæ ſolum inhærent in ſuperficie corporis,& non in profunditate, vt figura & color, quem ideo definit Ariſtoteles in lib. de ſenſu,& ſenſili,dicens: *Color eſt extremum perſpicui in corpore terminato.* Atque etiam de lumine , quod videtur inhærere in ſola ſuperficie parietis , & ideo non eſſe reputandum impoſſibile , quod maior illa intenſio caloris recipiatur in ſola ſuperficie paſſi. Reſpondeo, nullum ex his exemplis vim habere ad id probandum, nam de figura, & colore manifeſtum eſt eſſe accidentia corporis,vt corpus eſt,& ideo ſecundum trinam dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis ei inhærere, quamuis ſolum appareant in ſuperficie. Et ideo Ariſtoteles videtur colorem definiſſe ſub ratione viſibilis , & non ſub ratione ſecundæ qualitatis ex mixtione primarum procedentis. Et de lumine probabile eſt in ſolo corpore diaphano inhærere tamquam in ſubiecto ; opacum vero ſolum extrinſicè illuminare. Probabile eſt etiam oppoſitum , quod in corpore opaco recipiatur, & non in ſola ſuperficie eius,de quibus ſuis propriis locis diſputabimus. De qualitatibus vero actiuis,& paſſiuis , & præſertim de primis , quæ ſunt materia præſentis diſputationis,euidens eſt,quod in profunditate corporis per ſe inhæreant,

& non in ſola ſuperficie terminante : quare diſpar eſt ratio de cæteris,& ideo nihil ex eis probatur aduerſus traditam doctrinam de qualitate tangibili non imprimenda in ſola ſuperficie; quia ſpecialem continet repugnantiam iam à nobis probatam, quæ non eſt in cæteris, etiam ſi fortè aliqua earum in ſola ſuperficie inhæreat.

99 Vltimum, quod afferit noſtra ſententia eſt ; agens ratione maioris magnitudinis,aut denſitatis poſſe aliquando producere effectum eiuſdem intenſionis, & ideo ex hac parte omnino ſimilem. Ad hoc probandum præſuppono ea, quæ in præcedenti quæſtione dicta ſunt, videlicet, quod quamuis denſitas corporis, vel magnitudo eius non ſit ei ratio agendi, & ideo non poſſint hæc iuuare ipſum ad producendum effectum maioris intenſionis ea, quam habet in ſe ; poſſe tamen iuuare ad producendum maiorem intenſionem effectus ea, quam produceret ſine illis. Gratia exempli,ſi calor vt quinque in aëre exiſtens poteſt producere calorem vt tria in manu ; idemmet calor vt quinque in aqua exiſtens poterit producere calorem vt quatuor in eadem manu, & exiſtens in ferro intenſiorem. Ex quo ita arguo : creſcente denſitate, & aliis diſpoſitionibus comitantibus potentior eſt virtus agentis ad producendum intenſiorem effectum ; ergo per aliquam denſitatem, & magnitudinem recompenſatur aliqua ex parte defectus approximationis, quem habet agens contiguum paſſo reſpectu approximationis perfectæ, quam haberet idem agens penetratum cum eodem paſſo;ergo creſcente magis eadem magnitudine,ac denſitate intenſior effectus producetur, & plus recompenſabitur ex eodem defectu approximationis. Vnde ſequitur tantum poſſe illas creſcere, vt totaliter recompenſetur idem defectus approximationis, & agens contiguum paſſo producat effectum æqualis intenſionis, ac ſi eſſet perfectè approximatum per penetrationem, quod eſt totam intenſionem, quam in ſe habet, poſſe producere non minus, quàm ſi foret penetratum. Huic tamen argumento reſpondere imprimis conantur oppoſitum opinantes vtentes communi illa diſtinctione proportionis Geometricæ, & Arithmeticæ. Aſſerentéſque non creſcere intenſionem effectus in caſu ſecundum proportionem Arithmeticam, ſed ſecundum Geometricam creſcente magnitudine, & denſitate agentis, & ideo numquam poſſe eo peruenire agens, vt poſſit producere totam intenſionem,quam habet, ſed minorem ſemper,quantumcumque denſitas, & magnitudo creſcant. Hæc tamen diſtinctio proportionum, licet in aliis caſibus locum habere poſſit, (quod modo nec definio, nec diſputo) in præſenti

præsenti tamen locum non habet, quod sic probo. Agens imperfectè approximatum non potest producere, nisi tantam intensionem effectus, & si perfectius approximetur, produceret maiorem, ac tandem omnino perfectè per penetrationem producet æqualem; ergo crescit intensio effectus crescente approximatione secundum eamdem proportionem vsque ad æqualitatem intensionis; sed per densitatem, & magnitudinem agentis suppletur defectus approximationis; ergo sic possunt crescere, vt omnino suppleatur; & consequenter, vt æqualis intensio effectus producatur sine illa, ac produceretur cum illa. Quod alio simili argumento probo, nam ratione maioris densitatis, & magnitudinis potest agens ad maiorem distantiam producere eamdem intensionem effectus, quam produceret sine illis in passo sibi contiguo; & his crescentibus potest ad multo maiorem: & tunc sic arguo, agens naturale fortius agit in proximum, quàm in remotum intra spheram suæ actiuitatis; demus ergo tale agens ita magnum, ac densum, calidúmque vt quatuor, posse producere ad tantam distantiam tres gradus caloris cum dimidio, & tunc euidens est, intensiorem producere in partibus, quo sibi proximiores sunt, ac tandem sequitur producere totam intensionem quam habet in partibus passi sibi contiguis.

Sed contra hoc ita arguunt, si ratione densitatis, & magni- 100
tudinis potest agens producere totam intensionem effectus, quam in se habet, sequitur, non esse vniuersaliter verum illud idem principium mox à nobis assumptum, nempe, agens naturale prius, & fortius agit in proximum, quàm in remotum intra spheram suæ actiuitatis, quod est vniformiter difformiter agere. Probatur consequentia, quia si in passum sibi contiguum potest producere totam intensionem effectus, quam in se habet; ergo si verum est idem principium, prius eam producet in medietate eiusdem passi sibi proximiorem, in qua non poterit deinceps aliquid producere, sed solum in medietatem sequentem. Toto igitur tempore, quo in eam operatur, nihil operabitur in partem proximiorem contentam intra spheram propriæ actiuitatis, & propterea non erit verum, quod fortius agat in partem proximam, quàm in remotam suæ spheræ, immo aget in remotam, nihil agendo in proximam. Hoc tamen argumentum parũ difficultatis habet, si modus agẽdi in eodem casu rectè intelligatur; nam toto tempore, quo agens producit in medietatem passi sibi contiguam totam intensionem, quam habet, & minorem in medietatem remotiorem, vtraque habet rationem passi, vt per se est manifestum, & ideo verum semper

eſt, fortius operari agens in proximam, quàm in remotam, & in totum paſſum vtramque conſtans vniformiter difformiter. Sed poſtquam in eamdem partem proximiorem produxit totam intenſionem, quam habet, iam illa deſinit eſſe paſſum, & incipit eſſe agens, quia cum tota ſua intenſione qualitatis vnitur agenti, & per modum vnius agentis operantur circa aliam partem, in qua euidens eſt vniformiter difformiter agere, quouſque totam intenſionem effectus ei imprimant, & tunc ceſſabit penitus actio, & difficultas argumenti. Et quod de partibus paſſi aliquotis dicimus, eodem modo intelligi debet de medietatibus eius in infinitum, quæ ſunt partes proportionales in eis incluſæ, ſed placet eamdem ſolutionem explicare hoc
101 exemplo. Si in medio igne proiiciatur lignum; certum eſt poſſe in totum illud producere totam intenſionem caloris requiſitam, & ſufficientem ad introductionem propriæ formæ, & conſequenter formam ipſam. Certum eſt etiam totum hoc præſtare agendo in illud vniformiter difformiter, quia non omnes partes profunditatis eius ſunt æquè approximatæ; ergo prius producet vtrumque effectum diſpoſitionum, & formæ in partes proximiores, quàm in remotas, & poſtquam produxit in proximas, nihil circa illas agit, quia iam eas ſibi perfectè aſſimilauit, ſed deſinunt eſſe paſſum, & incipiunt habere rationem vnius agentis cum igne iam in eum conuerſæ in partes remotiores, & ita numquam deſinit ignis agere in paſſum vniformiter difformiter, vt per ſe eſt manifeſtum; ergo neque in caſu argumenti, cum ſit per omnia ſimile; nam, quod non conuertatur ſecundum ſubſtantiam paſſum in agens, ſed ſolum ſecundum formam eiuſdem intenſionis, patet nihil ad rem pertinere, neque ideo vllam diſſimilitudinem afferre.

102 Ad argum. primæ opinionis conceſſo primo enthimemate, quod calor ſit qualitas actiua ſecundum omnes gradus intenſionis, quos habet, atque etiam, quod ſecundum omnes gradus ſit productiua ſibi omnino ſimilis, neganda eſt vltima conſequentia, quod producat omnes in ſubiecto capaci: nam ad agendum, præter formam, quæ eſt ratio agendi, requiritur approximatio agentis ad paſſum, tamquam conditio neceſſaria: & ideo ſecundum modum approximationis, perfectius, vel minus perfectè operatur agens naturale, & cum non ſit perfectè approximatum, niſi per penetrationem, non poteſt perfectè imprimere ſuam virtutem paſſo, quamuis ex parte eiuſdem formæ, quæ eſt ratio agendi poſſet totam imprimere.

103 Ad experientiam vero de igne concedendum eſt antecedens, quod producat alterum ignem, ſed diſtinguendum conſequens,

quod

quod producat calorem, vt octo, nam immediatè per se, hoc est, circa passum nondum corruptum, nec in ignem conuersum, non est verum, quia forma passi non potest permanere cum calore vt octo, sed cum multo minori expellitur, & introducitur forma ignis, quam consequitur calor vt octo. Hunc vero producit quidem ignis, nõ iam agendo in passum iam corruptum, nec agendo per calorem propriũ, sed media forma substantiali iam à se introducta per naturalem emanationem ab ea, quare numquam est verum, quod ignis agens per se immediatè circa passum producat totam intensionem caloris, quam in se habet.

An aliud vero arg. ex eadem experientia deductum, neganda est consequentia, quod octauus gradus caloris non sit forma actiua. Et cum dicitur non posse illum per se immediatè introducere in passum, negandum est, quia quantum est ex parte sua, potest, sed eam non introducit propter extrinsecum impedimentum eiusdem passi, non potentis eum recipere, ex eo quod prius corrumpitur cum minori. Sed potest quis aduersus hanc solutionem sic arguere; etiam si calor vt octo esset dispositio præcedens necessariò requisita ad introductionem formę ignis, quod fatendum esset si passum non corrumperetur cum minori: tunc necessariò dicendum esset, ignem posse per se immediatè agens circa passum, ei imprimere totam intensionem sui caloris, vel negandum, quòd posset introducere propriam formam substantialem, & producere alium ignem sibi similem, quod est absurdum, & totum hoc verum esset, etiam si non se penetraret cum passo, sed imperfectè tantum esset approximatum, sicut est modo per contactum: ergo, quod agens non producat in passum totam intensionem formæ, quam habet, non prouenit ex impedimento, vel defectu perfectæ approximationis, vt dicimus, & cum non possit excogitari aliud, quia forma ipsa ex se est sufficiens ad producendum totam intensionem, non est negandum id posse fieri. Respondeo non esse naturaliter possibile, quod summus calor prærequiratur in materia ad introductionem formæ ignis, quia non est possibile formam passi cum eo conseruari, & ideo naturalis est ordo rerum, vt vna possit corrumpere alteram, & in materia eius introducere propriam formam cum minori intensione dispositionis, quam postulat ad sui conseruationem in bona dispositione naturali, quod si abstuleris hunc ordinem, & admiseris necessariò prærequiri summam dispositionem in materia; tollis etiam ordinem naturalem generationis rerum, quare non mirum est, si in tali casu concedatur, quod non posset ignis producere alterum ignem sibi similem, vt verè est concedendum, nam quod

possit,

poſſit,verum eſt,ſeruato modo naturali agendi, & non aliter, quare numquam eſt verum, quod agens imperfectè approximatum paſſo poſſit producere circa idem paſſum totam intenſionem,quam habet.

104 Ad argumentum ſecundæ opinionis conceſſa maiori, quòd ſi corpus agens ſe penetraret cum corpore patienti, poſſet ei imprimere tòtam intenſionem formæ,per quam agit. Neganda eſt minor,quod ſuperficies agentis & paſſi, per quas ſe tangunt,penetratæ ſint, quia penetratio ſolis quantitatibus ratione ſuæ extenſionis conuenire poteſt, non indiuiſibilibus, vt in prædicamento quantitatis oſtendimus. Cuius ratio eſt manifeſta;nam ad eſſentiam quantitatis pertinet extenſio partium, quæ eſt radix impenetrabilitatis : ergo impenetrabilitas propria paſſio quantitatis eſt,ſicut diuiſibilitas;ſed indiuiſibili, vt tali repugnat extenſio partium : ergo etiam repugnabit impenetrabilitas. Sed cui repugnat impenetrabilitas, non poteſt conuenire penetratio,quia oppoſita ſunt circa idem:ergo, penetratio non poteſt conuenire indiuiſibili vt tali, & ideo ſuperficies vltimæ agẽtis,& paſſi non poſſunt ſe penetrare. Quod verò correſpondeant eidem indiuiſibili ſpatio, non ſufficit, quia penetratio corporum non conſiſtit in hac ſola correſpondentia, ſed petit pro fundamento occupationem eiuſdem ſpatij, vel extenſionem in eo,à quo nata ſunt ſe excludere corpora per ſuam intrinſecam extenſionem, alioqui duo angeli mouentes ſimul idem corpus dicerentur ſe penetrare, cum eis correſpondeat idem ſpatium ſuo modo, nẽpe corpus ipſum ab vtroque ſimul motum, quod eſt falſum. Deficiente igitur hoc fundamento in indiuiſibilibus non poteſt dari in eis penetratio : ſed quia negatiuè ſaltem dicuntur non diſtare duæ illæ ſuperficies,quod ad intentum argumenti videtur ſufficere;nam ex hoc videntur habere tam perfectam approximationẽ,quam habent corpora per penetrationẽ:neceſſe eſt alio modo ſoluere argumentum.Ideo ad formam eius neganda eſt eadem minor; quia licet perfectè ſint approximatæ illæ ſuperficies, non ſequitur maiorem intenſionem effectus produci in ſuperficie paſſi,quàm in partibus profunditatis.Quod autem dicitur agẽs naturale per qualitatem contrariam agere in paſſum vniformiter difformiter,concedendum eſt:& quòd rurſus ex hoc infertur,intenſiorem effectum producere in magis propinquum, quam in minus,diſtinguendum : nam ſi capax ſit maioris effectus,verum eſt;ſi vero ſit incapax,falſum.Superficies autem vltima non eſt capax recipiendi effectum maioris intenſionis, quã recipiunt partes profunditatis, quas terminat : quia per ſe nec agit,

nec agit, nec patitur: sed solum hæc conueniunt illi quasi per participationem corporis, quod terminat, ideo solum potest recipere effectũ eiusdem intensionis, & nõ maioris: nam ex eo, quod maiorem intensionem reciperet, darentur indiuisibilia intensionis formæ separata à forma ipsa intensa realiter, vt probauimus: & hoc verum est, siue indiuisibile sit modus, siue res: quamuis magis euidens sit, supposito quod sit modus.

QVÆSTIO VII.

An idem possit agere in seipsum actione vniuoca?

VT intelligatur quæstio, duplex actio distinguenda est, quædam vniuoca, per quam producitur forma eiusdem speciei cum ea, per quam operatur agens, vt calefactio, infrigidatio, generatio cuiuslibet similis agẽti in natura specifica. Alia est actio æquiuoca, quæ procedit à forma diuersæ speciei; vel rationis formalis ab effectu per eam producto, quales sunt omnes illæ, per quas producuntur effectus omnes sublunares ab influentijs cœlestibus; omnes etiam actiones immanentes, vt sensationes, & intellectiones, augmẽtationes, & motus locales. Hoc supposito, de sola actione vniuoca quærit titulus quæstionis, an possit ab eodem in seipsum procedere, præsertim illa, quæ circa qualitates contrarias actiuas, & passiuas versatur, de quarum mutua actione, & reactione ordinata ad mixtionem præcipuè agit Aristoteles, & nos, qui commẽtatorem eius agimus, & quia de actione æquiuoca egimus 8. lib. Phys. disputantes cum eodem Aristotele, an vniuersaliter verum sit ab alio moueri, quidquid mouetur, vel posse moueri à seipso. Quæstio itaque proponitur, an calidum possit seipsum calefacere? aut frigidum se infrigidare? Nec loquimur de calefactione, aut infrigidatione, quæ est naturalis emanatio caloris, vel frigiditatis à substantia ignis, vel aquæ, per quam ignis aliquantulum infrigidatus reducit se ad suum pristinum calorem expellendo frigiditatem sibi impressam à contrario, vel aqua ad frigiditatem antiquam expellendo calorem ei impressum ab igne. De hac, inquam, non loquimur, quia vel non est actio (vt quibusdam placet) sed quædam naturalis consecutio; vel si actio est (quod videtur probabilius) non est vniuoca, sed æquiuoca, cum principium eius non sit frigiditas eiusdem aquæ, sed substantia eius, aut substantialis forma: & etiam si vniuoca actio esset, probabilius, est, quòd non sit tribuenda eidem aquæ, vt principali agenti, sed generanti, vt 8. lib. Physic. probauimus. 105 106

Vnde

Vnde in tali actione non dicitur aqua mouere ſe ipſam, vel in ſeipſam agere, ſed moueri potius ab alio, nempe à generante. Solum ergo loquimur de calefactione, vel infrigidatione procedẽte à calore, vel frigiditate eiuſdem calidi, vel frigidi. Vnde idem eſt quærere, an idem poſſit agere in ſeipſum actione vniuoca, ac ſi quæramus, an eadem qualitas poſſit ſeipſam intendere; vt an calor vt quatuor exiſtens in ferro, vel ligno poſſit intendere ſeipſum, ita vt etiam ſi nullum aliud calidum agat in ipſum, poſſit per propriũ calorem fieri calidum vt quinque, vel ſex. Hoc autẽ ſi poſſibile eſt, duobus tantum modis fieri poteſt ſecundum communẽ cõſenſum omnium interpretũ Ariſtotelis, aut per antipariſtaſim, aut per reflexionem; ideo de vtraque ſeparatim agẽdũ eſt, primò de antipariſtaſi, deinde de reflexione.

An qualitas per antipariſtaſim intendatur, & quonam modo?

107 DVo quærimus; primum, an verè intendatur eadem qualitas per antipariſtaſim? ſecundum, quonammodo, vel à qua cauſa fiat talis intenſio? Vt autem vtrumque intelligatur, explicanda eſt ſignificatio ipſius nominis (antipariſtaſis) Eſt autem antipariſtaſis Græca vox, idem ſignificans, quòd Latinè circumobſiſtentia debilioris contrarij ab alio fortiori; vt ſi calidum vt duo omni ex parte circumdatum ſit à frigido vt ſex obſiſtente actioni eius, atque impediente ne vlterius tranſeat, vel extendatur. Eiuſmodi obſiſtentia, vel impedimentum fortioris contrarij vocatur antipariſtaſis, quia contrarium hoc ſua præſentia obſtat, ſeu impedit, ne vlterius extendat aliud propriam actionem. Contrarium verò infirmum ſic circumdatum à potentiori quaſi ſupra ipſum reflectitur, & veluti vires ſuas in ſe colligit, & per talem reflexionem propriæ virtutis videtur eam roborare, & quaſi ad pugnandum cum ſuo contrario circum obſiſtente præparare: ciuſmodi autem roboratio propriæ virtutis non videtur aliud eſſe poſſe præter intenſionem eius. Gratia exempli: aquæ puteales æſtiuo tempore frigidiores ſunt quã hiemali, quod non videtur prouenire poſſe, niſi ex eo, quod circumdatæ ſunt à calore vehementi aëris; & per hanc circumobſiſtentiã videtur frigiditas earũ quaſi reflecti ſupra ſeipſam, & ſe intra ſeipſam quaſi colligere, & per talẽ collectionem reflexam ſe roborare, quod eſt ſe intendere. Ipſa igitur circumobſiſtentia, vel circumſcriptio debilioris contrarij à fortiori vocatur antipariſtaſis: roboratio vero, vel intenſio qualitatis eiuſdem cõtrarij debilioris dicitur antipariſtica actio. De qua duo quærimus; primum, an detur & per eam verè intẽdatur qualitas debilio

debilioris cõtrarij ad præſentiam cõtrarij fortioris? Secundũ, an procedat à contrario circum obſiſtente, vel ab eadem qualitate, quæ ideo dicatur ſeipſam intendere, vel ab aliqua alia cauſa.

Prima opinio tenet in antipariſtaſi nullã dari actionem, per 108
quã vnũ contrariũ intendatur ad præſentiã alterius, ſed ſolum ſecundum apparientiam ſenſus magis intenſam videri propter diuerſam diſpoſitionẽ corporis, à quo tangitur. Gratia exempli: Aquæ puteales re vera non ſunt frigidiores in æſtate, quam in hieme, ſed frigidiores apparent ſenſu in æſtate ex eo, quod manibus calidis tanguntur: in hieme vero calidiores, quia contrectantur manibus frigidis. Ita Galenus lib. 3. de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 7. & videtur confirmari alia ſimili experientia, quia quocũque tẽpore id fiat, videmus tangenti manibus valde frigidis aquã tepidã apparere calidã, quæ ſi tangatur manibus valde calidis, videbitur frigida: ergo quidquid de antipariſtaſi dicitur, potius in apparientia conſiſtit, quàm in vera intenſione qualitatis. Hæc tamen ſententia experientiæ contraria eſt; quod ſic probo. Nam etiã ſi eiſdẽ manibus eodem modo diſpoſitis in æſtate contrectentur aliæ aquæ non puteales, non apparẽt frigidiores: ergo quod frigidiores iudicentur puteales, non efficit ſola diſpoſitio organi (quæ eadem eſt) in eiſdem manibus vtraſque contrectantibus; ſed frigiditas intenſior per antipariſticã actionem producta. Secũdò, quia ſi manibus eodẽ modo calefactis contrectemus putealem aquam in hieme, atque in æſtate: euidens eſt frigidiorem hoc tempore, quam illo iudicari: ergo non id efficit ſola diſpoſitio organi, ſed maior frigiditas aquæ: neque hoc videtur negaſſe omnino Galenus, vt conſtabit ex Cõmentarijs in Hipp. ſection. 1. Problem. 15. ſed ſolum in aliquo caſu.

Secunda opinio non multum à prima diuerſa negat in anti- 109
pariſtaſi dari actionem aliquam, quæ ſit vera intenſio debilioris contrarij, ſed condenſationem tantum eius, per quam magis vniuntur partes, & fortiores fiunt ad agendum, quia virtus vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa, & ideo aquæ puteales frigidiores ſentiuntur in æſtate, quia tunc condenſantur: calidiores verò in hieme, quia rarefiunt, vel ſaltem minus frigidæ, & calidiores in hieme, quia licet non habeant intenſiorem frigiditatẽ, vel calorem, habent tamen melius diſpoſitũ per denſitatem; & ideo diuerſo modo ſe habent ad ſenſum. Quare non propter ſolam diſpoſitionẽ organi diuerſãm videntur calidiores, vel frigidiores hoc, aut illo tempore; ſed propter realẽ qualitatẽ. Ita Hugo Senenſis 1. lib. de generat. c. 7. Sed hæc etiam ſententia inſufficiẽs imprimis probatur, quia nõ reddit cauſam talis dẽſitatis in

aqua

aqua productæ, & multo minus raritatis productæ in æſtate. Secundo, quia nullam cauſam reddit caloris, quem ſentimus tangentes aquam in hieme: nam cum aqua ex ſe nullum calorem habeat, repugnat calidam iudicari per ſenſum, niſi ab extrinſeco imprimatur ei calor, quantumcumque rarefieret, quia ſola raritas non poteſt cauſare calorem in organo ſenſus, vt experimur cauſare aquam in æſtate. Deinde experientia probatur falſa, quia præter puteales aquas dantur aliæ eiuſdem denſitatis, aut raritatis, & aliquando maioris, quæ tamen nec in æſtate iudicátur frigidiores, nec in hieme calidiores: ergo ſola denſitas, vel raritas non eſt ſufficiens cauſa, vt calidiores, vel frigidiores ſentiantur. Probo conſequentiam, quia eadem, vel maior denſitas aliarum eumdem effectum imprimeret: ergo eodem modo ſentirentur calidiores, aut frigidiores, quod eſt contrarium experientiæ.

110 His ſententiis refutatis, in vno conueniunt cæteri omnes authores, qui de antipariſtaſi loquuntur, & in alio differunt. Conueniunt quidem in eo, quòd per antipariſtaſim vera, & realis fiat intenſio qualitatum aquæ, & ſimilium corporum, & ita tenendum eſt, quia euidenter probatur his experientiis. Nam putei, & ſpecus ſubterranei frigidiores ſunt in æſtate, quo tempore in ſuperioribus terræ partibus nimium viget calor; vnde & puteales aquæ frigidiores extrahuntur; quod per obſiſtentiam contrarij, nempe caloris circumſtantis fieri, euidens eſt: & ob eamdem cauſam venter animalium in æſtate frigidior eſt, & ideo non bene concoquitur cibus; cum tamen ex oppoſito in hieme calidior ſit, meliúſque cibum concoquit, vt docent Hippocrates Aphoriſmo 15. & cum eo Galenus in commentariis eiuſdem Aphoriſmi. Quod etiam natantes experiuntur. Aquæ etiam puteales in hieme calidiores ſunt propter obſiſtentiam contrarij, nempe frigoris vndequaque circumſtantis loca ſubterranea. In æſtate etiam media regio aëris frigidior eſt propter obſiſtentiam contrarij, nempe caloris vndique eam circumdantis, qui eo tempore viget in infima regione eiuſdem aëris, in ſuprema verò ſemper propter ſpheram ignis. Et tandem aqua noctu infrigidata in æſtate, & manè expoſita modico tempore radiis ſolaribus infrigidatur magis propter calorem circumſtantem; propter has igitur, & alias experientias non minus euidentes negari non poteſt, quod per antipariſtaſim fiant reales effectus in corporibus, & reales intenſiones qualitatum.

111 Quo ſuppoſito tamquam certo tota difficultas huius dubij conſiſtit in inuenienda cauſa huius intenſionis realis. Et ratio difficultatis maxima eſt, quia antipariſtaſis eſt obſiſtentia contrarij

contrarij fortioris, à quo repugnat roborari contrarium minus forte : ergo repugnat qualitatem eius à contrario circumobsistente intendi. Probatur consequentia, quia contrarium agit per qualitatem sibi propriam ad destruendum aliud contrarium ; vt ignis per calorem ad destruendam aquam ; sed repugnat calorem esse principium frigiditatis : ergo repugnat eamdem frigiditatem intendere, & sic de cæteris contrariis. Vnde sequitur actionem antiparistícam, per quam intenditur qualitas debilioris contrarij, non posse procedere à fortiori contrario circumobsistente ; alia ergo causa talis intensionis quærenda est, quam cum difficile sit inuenire, tot ferè sunt sententiæ authorum, quot capita.

Prima opinio tenet, non solum condensari aquam, vel aërem rarefieri per antiparistasim, sed calorem, aut frigiditatem eorum intendi per eamdem condensationem, vel rarefactionem, & ita puteales aquas in æstate frigidiores iudicari per sensum, quia per condensationem subiecti intenditur in eis calor: in hieme vero calidiores sentiuntur, quia rarefactione subiecti magis calefiunt ; quæ eadem ratione in aëre contingunt. Causa autem radicalis, & prima intensioris caloris est substantia eorumdem corporum, à qua procedunt qualitates ipsæ : nam substantia condensata virtutem habet infrigidandi se ; rarefacta verò virtutem habet calefaciendi se, & ideo calidior, vel frigidior sentitur, non propter solam densitatem, vel raritatem, sed propter intensiorem calorem, vel frigiditatem, quam in se producit media densitate, vel raritate. Ita sentiunt recentiores quidam: probantque primum, quòd frigiditas intendatur in eodem subiecto, per condensationem duplici experientia. Prima, quia aër à pulmone apertiori ore emissus calidus egreditur, angusto vero oris motu difflatus egreditur frigidus : cuius non potest esse alia ratio ; nisi quia hoc posteriori modo emissus condensatur : ergo densitas intendit frigiditatem eius. Estque alia experientia similis ; nam in æstate experimur aërem flabello ventilatum refrigerare faciem, quia aër ille per commotionem condensatur, & per condensationem intenditur frigiditas eius. Secundum vero, quod raritate intendatur calor eiusdem subiecti, probant experientia mutuæ collisionis ferri, & silicis: per quam ignis excutitur; causa vero generationis eius non potest esse alia, quàm intensio raritatis in aëre, per quam facile in scintillas flammæ conuertitur.

Hæc tamen sententia insufficiens est, & falsa: insufficientiam 112
eius probo ex duobus, ex primo quidem, quia experientia constat aquas puteales in æstate frigidiores esse ; sed nulla potest

excogitari causa, à qua tunc condensentur: ergo non redditur causa sufficiens per cõdensationem intensioris frigiditatis eius. Ex secundo vero, quia impossibile est in elementum nullum habente in se principium alicuius qualitatis, produci talem qualitatem à propria substantia condensata; vt supposito, quòd aqua non habet principium caloris in se, repugnat per condensationem produci, vel intendi calorem in ea. Et supposito quod aër non habet in se principium frigoris; non poterit frigidior fieri per condensationem. Probatur hoc ex fundamento eiusdem sententiæ, quæ duo ait concurrere ad intensionem caloris, vel frigoris; nempe substantiam corporis, & densitatem, aut raritatem; & ita substantiam condensatam, vel rarefactam esse sufficientem causam talis intensionis; sed substantia aquæ non potest per se concurrere effectiuè ad calorem; nec substantia aëris ad frigiditatem, cum nullum sit principium in eis harum qualitatum: ergo quantumuis illa condensetur, vel iste rarefiat, non poterunt in se causare talem intensionem qualitatis contrariæ. Falsitatem verò eiusdem sententiæ sic probo: raritas, & densitas non continent vllo modo calorem, vel frigiditatem: ergo non possunt intensionem earum producere. Euidens est consequentia, quia causa alicuius effectus debet illum aliquo modo in se continere: alioqui dabit id quod nullo modo habet. Antecedens probatur: primò, quia raritas, & densitas non sunt qualitates actiuæ, sed solum tribuunt corpori maiores dimensiones, vt superius probauimus. Secundo, quia qualitates istæ solum habent disponere partes subiecti, eas magis coniungendo ad perfectius, vel imperfectius agendum per qualitates actiuas: ergo non possunt esse rationes agendi, nec proinde causæ effectiuæ intensionis earum.

113 Nec experientiæ ab eadem opinione adductæ aliquid probant. Nam ad primam respondeo, aërem æquè calidum immediatè exire semper à pulmone, siue aperto ore, siue compressis labiis emittatur, quod experietur quisque si manum ori applicet, si tamen manus ab ore distet, infrigidatur quidem non immediatè ab aëre emisso, sed ab eo, quo corpus foris ambitur ab eodem emisso aëre aliquando commoto.

Ad aliam vero experientiam de ventilatione flabelli negamus aërem ventilatum per condensationem refrigerare nos; sed causa refrigerationis est, quia aër ambiens nos, contactu nostro calidior effieitur; per agitationem vero ille expellitur, & ei succedit alter minus calidus à quo refrigeramur.

Secunda opinio asserit hanc intensionem prouenire ab eadem

dem qualitate, ita vt dum aqua circũdata est à calore maximo; vt putealis in æstate seipsam intendat ex eo, quod impedita, & quasi circumuallata, aut coarctata à contrario calore vigente in aëre reflectitur supra seipsam, & quasi colligit se supra se, & per hanc reflexionem magis roboratur, & quasi se præparat ad pugnandum cum suo contratio calido: roboratio autem hæc non est aliud, quam intensio propriæ virtutis. Ita sentiunt Astud. 1. lib. de gener. q. 21. & Pompona tit. de actione, & reactione art. 3. Tolet. 1. lib. de gener. q. 14. Hæc tamen opinio falsa est, & in doctrina Aristotelis non potest defendi. Probatur hoc secundum ex c. 7. huius libri; vbi docet expresse, quod simile non possit agere in omnino simile; & probat primo, quia agens & passum debent esse contraria, sed simile non est contrarium alteri omnino simili: ergo non potest in illud agere. Secundo, quia si ageret simile in aliud sibi omnino simile, posset agere in seipsum actione vniuoca; quod repugnat, quia agens, & passum debent esse distincta. Sed hæc sententia vtrumque destruit: ergo non potest defendi in doctrina Aristotelis. Probatur minor, quia si eadem qualitas per antipariſtasim intendit se ipsam: ergo simile agit in omnino simile, & idem in se ipsum. Probatur consequentia, quia frigidum vt quatuor omnino simile sibi est, & se intendit, idem est etiam sibi ipsi: ergo agit in se ipsum.

Probatur deinde, quòd sit falsa hac ratione. Impossibile est 114
effectum aliquem produci ab aliquo agente, nisi in virtute eius, per quam agit, contineatur formaliter, vel eminenter; quia nemo potest dare alteri id, quod nullo modo in se habet; sed calidum vt quatuor quantumcumque se colligat supra se, vel reflectatur, non continet quintum gradum caloris formaliter, nec eminenter: ergo non potest eum sibi imprimere, nec proinde se intendere. Minor euidens est de continentia formali, quia calidum vt quatuor non habet formaliter plus intensionis, quàm vt quatuor. Sed probatur, quòd nec maiorem intensionem contineat eminenter, quia repugnat perfectum eminenter contineri in imperfectiori, vt per se est manifestum.

Tertia opinio negat qualitatem seipsam immediatè intendere per antipariſtasim, mediatè vero se intendere affirmat, emittendo ex se species quasdam intensionales, sicut color solet eas emittere ad oculum: eiusmodi autem species sic emissæ à corpore frigido impediuntur à calido potentiori circumobsistente, ne vlterius procedant; sic autem impeditæ retrocedunt, vel migrantes de subiecto in subiectũ, vel seipsas multiplicando ab vno in aliud subiectũ; sicut species coloris productæ ab eodẽ

colore in aëre multiplicant se vsque ad visum; sic igitur reflexæ intendunt eamdem qualitatem, à qua fuerunt emissæ, & ideo dicitur de primo ad vltimum eadem qualitas se intendere mediatè, quia producit effectum intentionalem, eam per reflexionem intendentem. Ita sentiunt Nimphus 1. lib. de generatione Comm. 195. q. 2. dub. 1. Marsilius quæst. 17. & 18. Albertus Saxoniæ quæst. 15. Caiet. Thienensis titulo de reactione cap. 14. Iacobus de Forlibio sect. 15. Aphorismorum Hipp. ad aphorismum 15. Venetus in summa cap. 23. Hæc tamen opinio non est minus falsa, quam præcedens, quod sic probo. Species intentionales habent esse diminutum, & propterea, nec subiectum alterant, nec illud denominant, nec sentiuntur per sensum: ergo sunt imperfectiores qualitate eas producente: quare non possunt eam intendere. Secundò, qualitas habens quatuor gradus non potest seipsam immediatè intendere; ergo nec medio aliquo effectu à se producto tamquam à causa principali. Probatur consequentia, quia talis effectus non potest esse ea perfectior, & ideo nec maioris virtutis: ergo si non habet qualitas sufficientem virtutem ad se intendendum immediatè, nec etiam poterit habere eius effectus; quare species illæ non poterunt intendere qualitatem à qua emittuntur.

115 Quarta opinio negat qualitatem à seipsa posse intendi immediatè, vt docuit secunda, aut mediis speciebus, vt docuit tertia; sed aliam causam extrinsecam quærendam esse. Hanc vero existimant in aquis putealibus, in stomacho, & aliis huiusmodi, quæ vigente frigore in partibus extrinsecis, vt in aëre circumdante magis calefiunt, esse exhalationes siccas, & calidas virtute solis à terra eleuatas æstiuo tempore, quæ adueniente hieme, & aëre nimium frigescente, ab eoque circumdatæ fugiunt per meatus, & poros terræ ad internas, seu subterraneas partes eius, easque calefaciunt; atque adeò aquam in eis existentem; & hæc est causa propter quam eodem hiemali tempore calidæ extrahũtur; in æstate vero vigente iam calore aëris circumdantis facile ascendunt eædem exhalationes ad superiores partes eius, cum leuioris naturæ sint; & internas terræ partes, aquasque in eis existentes dimittunt; sic autem dimissæ, cum sint ex propria natura frigidæ, facile expellunt à se calorem illum ex consortio earumdem exhalationum contractum, & sese reducunt ad pristinam atque naturalem frigiditatem, & propterea valde consentaneum est naturæ aquarum putealium frigidiores esse
116 in æstate, quamuis in hieme sint calidiores. Itaque iuxta hanc sententiam causa per se intensionis caloris aquarum putealium in hieme extrinseca est, nempe exhalationes calidæ, & siccæ; quæ

fugien

fugientes ſuum contrarium, nempe frigiditatem nimiam aëris circumſtantis, ſeſe coniungunt eiſdem aquis; & per talem coniunctionem eas calefaciunt: & ita intelligi debent aliæ experientiæ ſimiles. Cauſa verò per ſe intenſionis frigoris earumdem aquarum, & aliarum rerum ſimilium in æſtate intrinſeca potius eſt; nempe natura earum, quæ ab exhalationibus contrariis expedita facile reducitur ad naturalem frigiditatem expulſo calore ab extrinſeco recepto. Ita ſentiũt plures recẽtiores; & ita explicant antipariſticam actionem, & effectum eius; cuius cauſam per accidens eſſe aiunt contrarium circumobſiſtens, in quantum impedit exitum illarum exhalationum; & exhalationes ipſæ etiam ſunt cauſæ per accidens infrigidationis aquarum, in quantum ſuo abſceſſu, vel fuga remouent impedimentum, quo remoto ſe reducunt ad naturalem frigiditatem.

Hæc tamen ſententia propter hoc tantum diſplicet, quod ſine cauſa, vel fundamento tribuit exhalationibus, vel aliis corporibus virtutem motiuam, per quam fugiunt contrarium, & aliquando motu contrario propriæ naturæ: quod ſic probo. Nam exhalationes calidæ, & ſiccæ leuioris naturæ ſunt, vt ipſi etiam authores fatentur: ergo non poſſunt moueri deorſum per virtutem naturalem, atque intrinſecam. Probatur conſequentia, quia iam haberent virtutem, & inclinationem naturalem ad motus contrarios, nempe ſurſum, & deorſum: nec poſſunt moueri motu violento, cum non ſit à quo impellantur, nam contraria qualitas, quam fugiunt, non poteſt impellere ad motum localem, cum ſolum ſit principium alterationis, & non motus localis. Et ſi dicatur etiam habere corpora omnia virtutem naturalem iuxta probabilem ſententiam multorum, vt ſe moueant ad replendum vacuum verſus omnem differentiam loci, & ideo ad motus cõtrarios; cum habeant quoq; naturalem ac determinatam ad motum deorſum, ſi grauia ſint, vel ad motum ſurſum, ſi leuia. Hoc non tollit difficultatẽ argumenti, quia cum virtus hæc ordinetur ad bonum commune totius vniuerſi; vel ad impediendum malum ei oppoſitum, nempe vacuũ, ſolum poteſt cõuenire corporibus, in quantum ſunt partes totius vniuerſi; & ideo nõ videtur eſſe aliud, quàm natura propria eorum, per quam componunt vniuerſum, nec eſt ad motũ contrarium, aut violentum, ſed præter naturã, cum fiat à natura ipſa vniuerſali, vel vniuerſalibus cauſis, quarũ reſpectu obedientalẽ quamdam videntur habere potentiã inferiora corpora, vt verſus omnem differentiã loci ab eis moueantur in ordine ad bonũ commune. Sic enim explicant probabilem hanc ſententiam omnes, qui eã amplectuntur. Ex qua explicatione intelligitur diuerſam

valde esse rationem de motu exhalationũ ad fugiendum contrarium, qui cum non ordinetur ad bonum cõmune totius vniuersi, nec fiat à natura vniuersali, vel vniuersalibus causis, necessariò fieri debet ab aliqua causa particulari extrinseca impellente talia corpora ad motum cõtrarium suæ naturæ, & ex consequenti verè, & propriè violentum: talem autem causam impellentem dari repugnat, vt probauimus, & ideo impossibilis reputanda est talis fuga exhalationum; & solum conficta ad effu-
118 giendam difficultatem argumenti. Et si dicatur secundò, experientia constare, quòd quædam corpora moueantur ad fugiendum suum contrarium, vt si papyrus oleo perfusa, igni applicetur, statim ac comburi incipit, mouetur oleum ad præsentiam ignis, quasi flammam eius fugiens. Et si viride lignum approximetur igni, videmus humorem quemdam à partibus internis eius effluere quasi vim combustiuam ignis fugiens. Et tandem gutta aquæ cadens supra tabulam, vel aliam rem siccam, siccitatem fugiens reducit se in figuram globuli per motum localem suarum partium: & hanc fugam arripiunt corpora grauia, quæ difficilius mouentur: ergo facilius potest intelligi, quòd exhalationes sua natura leuissimæ, & quæ facile moueri possunt versus omnem differentiam loci moueantur ad præsentiam fortioris contrarij præsertim, vt propriam corruptionem effugiant. Respondeo his experientiis non probari, quod vnum corpus possit moueri ad præsentiam contrarij, vt effugiat propriam corruptionem, nam si semel hoc admittatur, euidenter sequitur quodlibet corpus habens contrarium ad præsentiam eius moueri, vt corruptionem eius fugiat. Probatur consequentia, quia si præsentia contrarij fortioris est sufficiens causa fugæ per motum localem quotiescumque fuerit fortius contrarium præsens mouebitur ipsum fugiens: quod constat esse falsum, cum aqua non moueatur, etiam si ab igne sit circumscripta, & nimis calefacta. Sed dicunt authores isti virtutem hanc se mouendi ad fugiendum contrarium, non esse in quibuscumque corporibus, sed in quibusdam tantum leuioris naturæ, quæ ideo facile mouentur versus hanc, vel illam partem, & tales esse exhalationes, aut vapores; & propterea eis conceditur talis virtus. Hæc tamen solutio ex argumento eorum euidenter probatur falsa; nam oleum ad præsentiam ignis mouetur, vt ipsi obijciunt, quod constat graue corpus, ac densum esse, & magis densum, quàm aqua, quæ tamen non mouetur ad præsentiam ignis: ergo falsum est, quòd hæc virtus se mouendi ad præsentiam contrarij tribuenda sit solis corporibus leuioris naturæ; sed vel omnibus, vel nullis tribui debet,

cum

cum obsistentia contrarij fortioris eiusdem rationis, & efficaciæ sit respectu omnium. Et ita neganda omnino est talis vir- 119
tus motiua omnibus corporibus, quia re vera nullum est, siue leuioris,siue grauioris naturæ, quod contrarium fugere possit, vel propter eius obsistentiam moueri. Ad experientias verò adductas in argumento respondeo, oleum non moueri ad fugiendum contrarium; sed quia rarefit per actionem eius; & ideo partes eius dilatantur,ac se extendunt ad maiorem locum, præsertim versus illam partem papyri nondum combustam,per quam facile elabuntur: nam versus ignem non possunt se extendere, quia illa pars papyri combusta est, & cum ea aliquæ etiam partes olei. Humor vero ligni ad externas partes eius confugit,& ipse etiam rarefit ab igne, & ideo partes eius dilatantur,& per poros eiusdem ligni elabuntur,quos etiam dilatat ignis, & ideo maiorem locum tribuunt humori, vt rarefactus possit vsque ad partes externas se extendere,& per eas decurrere. Vltima vero experientia de gutta aquæ facilius explicatur; nam aqua sua natura est corpus sphericũ, cuius partes naturali inclinatione mouentur ad proprium centrum,vt saltem quantum fieri possit,propinquiores ei fiant,& propter vtrumque cadens supra tabulam præsertim siccam,quæ ratione siccitatis resistit dilapsui aquæ supra se,reducit se ad figuram sphericam.

Nostra igitur sententia duo asserit,primum est,actionem an- 120
tiparistaticam, per quam intenditur qualitas infirmioris contrarij ad præsentiam fortioris circumobsistentis non esse tribuendam eidem contrario fortiori tamquam causæ per se, sed solum tamquam causæ per accidens;hoc est,tamquam remouenti impedimenta, vt talis intensio qualitatis producatur ab aliqua causa per se, vel tamquam melius disponenti, vel applicanti causam per se ad productionem eius.Primum probat euidenter argumentum illud pro ratione dubitandi propositum,quia repugnat vnum contrarium habere virtutem productiuam alterius; cum potius habeat destructiuam: ergo repugnat quod sit causa per se intendendi formam eius, quod est eam perficere. Secundum verò statim explicabitur. Quo supposito quærenda est causa per se talis intensionis.

Ideo secundo asserit nostra sententia, causam per se talis in- 121
tensionis formæ debilioris contrarij aliquando esse intrinsecam,videlicet propriam naturam,vel substantiam eius expeditam ab extrinsecis impedientibus:si qualitas quæ intenditur,sit ei naturalis:aliquando extrinsecam, si qualitas, quæ ei imprimitur,vel in eo intenditur,sit contraria naturæ eius.Vtrumque explicabitur simul cum modo, quo id fiat eisdem experientiis

de aquis putealibus,& ſimilibus.Nam aquæ putealeſ calidioreſ ſunt in hieme, & cum calor non ſit naturalis aquæ, ſed contrarius ſuæ naturæ, non poteſt habere cauſam intrinſecam ex parte eiuſdem aquæ, ſed extrinſeca quærenda eſt, & ſic inuenienda. Nam Sol ſua virtute maxime vigens in æſtate, maximam quoque calidarum,atque ſiccarum exhalationum copiam extraxit ex partibus terræ ſubterraneis; ſed non omnes potuit vſque ad externas partes aëris eleuare, quia aduentante hieme, & eodem Sole valde à terra elongato, aëreque proinde frigeſcente, & circumobſiſtente eaſdem partes terræ ſubterraneas, pori eiuſdem terræ, qui ſunt quaſi viæ, per quas exhalationes illæ ſurſum mouentur, atque eleuantur, nimia frigiditate aëris conſtringuuntur, & ita nullus patet exeundi aditus eiſdem exhalationibus, ſed coguntur non quidem fugere,neque talis fuga, (etiam ſi poſſibilis foret) neceſſaria eſt; ſed in eiſdem locis permanere,& cum ſua natura ſint calidæ, per ſe producunt calorem in eiſdem partibus ſubterraneis, quibus coniunguuntur, atque in aquis in eis exiſtentibus. Et eodem modo aſſignanda eſt cauſa maioris caloris in ſtomacho reſidentis hiemali tempore, ratione cuius citius, & melius præſtat concoctionem ciborum.Nam à frigore circumobſiſtente magis com- 122
primuntur partes corporis, & impeditur exitus, vel reſolutio ſpirituum vitalium calidorum,& ideo calor naturalis,cui coniunguuntur, magis viget in ſtomacho. Ex oppoſito vero eædem aquæ puteales frigidiores ſunt æſtiuo tempore, quia vigente calore Solis in aëre externo circumobſiſtente exiccantur, & rarefiunt, ac dilatantur eædem partes, & pori terræ; & quaſi via aperitur exhalationibus, vt exire poſſint, & motu naturali ſurſum tendere; & ita relinquuntur ſubterraneæ partes, & aquæ in eis degentes quaſi expeditæ ab extrinſecis contrariis,& cum ſint ex propria natura frigidæ, facilè ſe reducunt in naturalem frigiditatem, expellentes à ſe calorem ex conſortio earumdem exhalationum contractum. Et ita aſſignatur cauſa per ſe intrinſeca intenſionis frigoris, quæ eſt propria naturæ aquæ,à qua naturaliter emanat. Et eodem modo redditur cauſa, ob quam ſtomachus in æſtate frigidior eſt, & non ita cito, nec ita benè præſtat ciborum concoctionem, quia nimio calore aëris circumobſiſtentis dilatantur partes, & pori viuentis corporis, & via aperitur ſpiritibus vitalibus exeundi, per maiorémque reſolutionem eorum permanet frigidior ſtomachus. Similis eſt etiam ratio propter quam modica aqua à fabris ferrariis ſupra prunas fornacis iniecta magis eas incendit, & ſupra partes calcis eas magis calefacit, & in vapores calidos reſoluit;

soluit; nam aqua sua grauitate deprimit, ac detrudit partes subtiliores, & calidiores prunarum, & calcis; illisque impedit exitum; ibidémque sic depressæ condensantur, & fortiores fiunt ad intendendum maiorem calorem aliarum partium solidarum, atque etiam ad resoluendum maxima ex parte calcem in vapores calidos. Et tandem ex eadem doctrina redditur causa per se, propter quam aqua noctu infrigidata tempore æstiuo, & paruo tempore mane exposita radiis Solaribus magis infrigidatur; nam aër eam circumstans calore Solis rarefit, & se extendens versus vas aquæ inducit vapores frigidos circumobsistentes partes aquæ à quibus frigiditas eius per se intenditur. Et ex eadem doctrina solui possunt plura alia problemata, hac sola distinctione considerata, nam vel subiectum, cuius qualitas intenditur per antiparistasim, vel obsistentiam contrarij habet principium radicale in se, à quo dimanare possit talis qualitas, sed impeditum ab extrinsecis contrariis, & tunc à remouente impedimenta illa procedit intensio tamquam à causa per accidens: à natura vero eiusdem corporis se reducente ad intensionem eiusdem qualitatis naturalis tamquam à causa per se: atque etiam ab aliqua alia causa coadiuuante eiusdem naturæ, si vero qualitas producenda, vel intendenda non sit naturalis corpori, vel non sit naturalis in tali gradu intensionis, tunc procedit intensio eiusdem qualitatis, vel prima eius productio tamquam à causa per accidens ab eodem contrario, cuius occasione detinetur, approximatur, rarefit, aut condensatur, vel melius disponitur aliqua alia extrinseca causa habente virtutem producendi, vel intendendi talem qualitatem, & ab hac procedit intensio tamquam à causa per se, nam in his effectibus semper est quærenda aliqua causa particularis, & per se, nec recurrendum ad primam quantum fieri possit.

QVÆSTIO VIII.

An qualitas in medio existens intendatur per reflexionem, & à qua causa?

REflexio in rebus Physicis, atque corporeis solis corporibus 124
conuenit, ex eo quod ab aliis impediuntur, ne in suo motu vlterius procedant: sic autem impedita coguntur retrocedere eadem vi, qua motu directo in suum terminum tendebant: quod patet in pila, aut lapide proiectis: nam si corpus aliud obsistens eis occurrat eadem vi, qua vlterius procederent in

ſuo motu directo, reuertuntur, & motus iſte reuerſionis vocatur reflexio, quæ per quamdam tranſlationem, vel ſimilitudinem tribuitur qualitatibus, dum virtute agentis producerentur in tota ſphæra ſuæ actiuitatis: ſed in ipſomet extenſionis motu ſolet eis occurrere corpus impediens directum earum progreſſum,& à tali corpore, quaſi repercuſſæ retrocedunt,vel reuertuntur, non quidem migrando de ſubiecto in ſubiectum, quia hoc repugnat accidentibus, ſed ita vt in partibus medij, in quibus per motum directum productæ fuerunt, intendantur: & huius reflexionis habemus exemplum in lumine producto in aëre quaſi per motum directum procedentem ab aliquo luminoſo, vt à Sole: cuius virtute extenditur lumen per aërem: ſed dum ſic extenditur motu directo illuminationis occurrere ſolet corpus opacum, vt ſpeculum, à quo impeditur tranſitus eius ad vlteriores partes aëris, ad quas tranſiret per eumdem motum directum: lumen vero ſic impeditum, quaſi retrocedit, ac reuertitur, vel reflectitur ſupra ſe; hoc eſt, ad partes medij aëris; in quibus iam fuerat productum per motum directum, non tamen ita reflectitur, vt eadem pars luminis, quæ pertingit parietem, aut ſpeculum recedat ab illa parte ſubiecti, in qua inhæret, ſed retrocedere dicitur, quia ratione corporis opaci, à quo impeditur, ne vlterius tranſeat, vel ne producatur in vlterioribus partibus medij cum tanta intenſione, videtur ſe intendere in prioribus partibus eiuſdem medij aëris, in quibus fuit iam productum per directam illumi-
125 nationem;de hac igitur reflexione duo quærimus. Primum, an verè, & realiter intendatur per illam qualitas in partibus anterioribus medij, in quibus producta iam fuerat per directam illuminationem. Secundum, ſuppoſito, quod realiter intendatur,an à ſe ipſa,vel ab alia cauſa procedat talis intenſio, & quæ ſit cauſa illa. Loquemur autem maioris claritatis gratia de reflexione lucis tamquam de notiori, intelligẽtes de cæteris qualitatibus ſecundum proportionem omnia, quæ de eius reflexione dicentur. Vt autem reflexio lucis fiat, non ſufficit interpoſitio cuiuſlibet corporis, ſed requiritur, vt ſit corpus opacum, denſum, ac terſum: & quo perfectius has conditiones habuerit, eo maior in eo fiet reflexio lucis, cæteris paribus ex parte luminoſi, quod non debet eſſe adeo exiguum: vt vires ei deficiant ad reflexionem: ſed alicuius virtutis notabilis. Aër igitur defectu vtriuſque conditionis non eſt cauſa reflexionis, ſed aqua ratione denſitatis alicuius reflexionis cauſa eſſe poteſt,& maioris terra;ſed ea corpora ſunt ad reflexionem aptiſſima, quæ non ſolum opaca, terſa, ac denſa ſunt, ſed etiam perlucida,

lucida, vt vitrum, crystallum, & maxime omnium metalla expollita;quibus expolitis:

Duæ sunt extremæ opiniones de hac re. Prima eorum, qui 126
negant qualitatem intendi per reflexionem; sed lumen productum in superficie corporis opaci intensius apparere aiunt ob densitatem,& tersitatem eiusdem corporis; ratione cuius producit quosdam effectus æquiuocos maioris perfectionis, quàm possit producere lumen existens in medio, quamuis vtrumque sit eiusdem intensionis, vt lumen, quod producitur in speculo, producit per reflexionem radiorum calorem magis intensum, quàm producere possit lumen medij; & aliquando contingit, vt tot radij concurrant, quod eorum virtute producatur ignis, vt experientia compertum est: ideo ratione eiusdem densitatis, & tersitatis speculi lumen in eo productum fortius mouet visum per species intentionales à se emissas, quam moueat lumen medij,& hæc est causa propter quam apparet intensius,licet verè non sit intensius in superficie corporis opaci,aut in partibus medij proximioribus, quàm in reliquis. Hæc tamen sententia falsa probatur;primò,experientia,quia sensu percipimus perfectius esse lumen in partibus proximioribus speculi,quam in remotioribus,aut quàm in cæteris partibus aëris; sed hoc nõ potest procedere ex maiori densitate corporis, quia aër non habet maiorem densitatem in his partibus, quàm in reliquis, nec potest lumen videri perfectius in eis propter densitatem,aut tersitatem corporis opaci, quia densitas ratione sui non est per se visibilis: ergo nec potest esse causa,vt lumen, quod est per se sensibile, perfectius appareat. Vnde cum per- 127
fectius iudicetur per sensum, necesse est maiorem perfectionem, vel intensionem in se habere. Probatur deinde ratione; quia lumen,& aliæ qualitates,in quibus reflexio esse potest,habent virtutem producendi effectum ad tantam distantiam, quam vocamus propriam sphæram actiuitatis earum: ergo si impediantur,& reflecti possunt:sequitur non minus posse effectum producere per actionem reflexam,quam possent per directam. Quare sicut possent producere aliquem gradum in vlterioribus partibus,si nõ impedirentur: necesse est eumdem posse producere in anterioribus: & ex consequenti intendere lumen productũ per actionem directam in eis. Et si dicatur diuersam esse rationem,quia in vlterioribus non erat productum lumen, & ideo poterant illud in eis producere: in anterioribus verò iam erat productum per illuminationem directam:nõ soluitur argumentum,quia lumen iam productum in partibus anterioribus intendi potest, non minus quàm potest in vlterioribus

primò

primò produci: ergo non impedit, quin possit per reflexionem produci, & per productionem intendi; nam virtus agentis potens est lumen medij intendere, & medium ipsum imperfectè illuminatum capax est intensioris luminis, à virtute verò agentis, & capacitate passi sublatis impedimentis naturaliter procedit effectus in idemmet passum.

128 Secunda opinio extrema asserit per reflexionem non solum intendi lumen in medio, sed etiam in agente principali, à quo procedit; si tale agens non habeat summam intensionem; sed determinatam, & quæ crescere potest. Gratia exempli: si luminosum à quo procedit lumen reflexum, sit Sol habens summam intensionem lucis, solum potest lumen intendi in aëre medio per reflexionem radiorum eiusdem Solis à speculo. Si vero luminosum sit imperfectum, & capax intensionis, vt lucerna; non solum intendetur lumen medij per reflexionem radiorum eius in speculo factam: sed etiam lumen eiusdem lucernæ. Ita sentiunt Conimbricenses 1. lib. de Generatione, cap. 9. quæst. 1. artic. 1. & probant hoc argumento. Si lumen agentis principalis non posset seipsum intendere per reflexionem, ideo esset, quia luminosum maius non potest intendi à minori, & ideo nec lucerna ab aëre à se illuminato, in quo constat minorem lucem esse: vel quia reflexio radiorum facta in speculo, aut radij ipsi reflexi non possent peruenire vsque ad agens principale: sed neutrum obstat: ergo concedendum est posse intendi lumen agentis. Probatur minor, quia si primum obstaret, sequeretur, nec vnam partem aëris magis illuminatam posse illuminari per reflexionẽ ab alia parte aëris minus illuminata, quod patet esse falsum. Quod verò non obstet secundum, probant, quia si reflexio lucis à speculo extendatur vsque ad decem palmos, & intra illos ponatur lucerna, quæ est principale agens: euidens est vsque ad illam peruenire radios reflexos, illamque pertingere: ergo intendere possunt lumen eius.

Sed hæc etiam sententia falsa est, & contraria doctrinæ Aristotelis. Probo hoc secundum ex cap. 7. huius libri, vbi docet, & probat simile non posse agere in omnino simile, quia ex eo sequeretur idem posse agere in seipsum actione vniuoca: sed vtrumque sequitur ex hac sententia: ergo est contra Aristotelem. Probatur minor, quia radij lucis reflexæ procedunt ab ipsa lucerna tamquam à causa principali, vt fatentur expressè Patres ipsi Conimbric. atque etiam totum ipsum lumen productum in medio per directam, & reflexam illuminationẽ: ergo si intendunt lumen eiusdẽ lucernæ, eadem lucerna intendet proprium lumen, quod est agere in seipsam, & simile agere in omnino

nino ſimile, quod fieri poſſe negat Ariſtoteles. Et ſi dicatur Ariſtotelem ſolum negare, quòd ſimile poſſit agere in omnino ſimile, & idem in ſeipſum actione directa, non vero reflexa, friuola erit interpretatio, quia ſimile poſſe agere in omnino ſimile, ideo negauit Ariſtoteles: quia inter omnino ſimilia ceſſat finis proprius actionis naturalis, qui eſt agens aſſimilare ſibi paſſum: nec minus ceſſat reſpectu actionis reflexæ, quàm directæ, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo vtroque modo id reputauit impoſſibile. Idē etiam poſſe agere in ſeipſum, ideo negauit, quia agens principale, & paſſum apud ipſum debent eſſe realiter diſtincta, vt patet ex octauo libro Phyſ. præſertim in actione vniuoca: ſed non erunt minus indiſtincta in actione reflexa, quàm in actione directa, cum idem agens principale ſit paſſum: ergo in vtraque id reputauit impoſſibile. Quod enim pars aëris, in qua ſubiectantur radij reflexi, ſit diſtincta à lucerna, non ſufficit, quia illa non agit, niſi in quantum illuminatur ab eadem lucerna per directos radios, atque reflexos.

Quod vero eadem ſententia ſit falſa, probatur primò, quia repugnat cauſam producere aliquem effectum, quem non contineat formaliter, vel eminenter: ſed lucerna non continet maiorem illam intenſionem, quam dicunt ſuſcipere per reflexos radios: nec datur alia cauſa eam producens, in qua contineatur ergo repugnat lucernam intendi per talē reflexionem. Probatur minor, quia illuminatio ſiue directa, ſiue reflexa eſt actio vniuoca: ergo effectus per eam productus eiuſdem ſpeciei eſt cum forma, per quā operatur agens: quare non poteſt eum cōtinerere eminenter: quia cauſa eminenter continens effectū alterius ſpeciei debet eſſe. Quod vero non ſit vlla cauſa à qua contineatur formaliter, non eſt minus euidens: quia lucerna non continet maiorem illā intenſionē, quam ſuſcipit: nam ſi eam contineret formaliter, non poſſet eam ſuſcipere. De corpore verò opaco, in quo fit reflexio, atque etiam de medio ipſo, illuminato conſtat eam non continere, quia totam intenſionem luminis habent mendicatam à lucerna: ergo non poſſunt habere maiorem.

Secundo probatur, quia ſi lucerna poſſet ſe intendere per re- 130
flexionem, ſequeretur ſe intendere vſque ad ſummum gradum, quod eſt abſurdum, cum non ſit capax tantæ intenſionis. Sed probatur conſequentia, nam ſi ſe intendit: ſupponamus ſuſcipere vnum gradum intenſionis: quo ſuppoſito ita arguo. Lumen lucernę intenſum vt quatuor potuit per reflexionē producere in ſe quintū gradum: ergo ſic intēſum vt quinque fortius eſt ad illuminandum: quare fortiorę poterit emittere radios

ad ſpecu

ad ſpeculum,à quo neceſſe eſt fortiores etiam vſque ad eãdem lucernam reuertantur,& lumen eius intendant,& ita vſque ad ſummum gradum.

Ad argumentum oppoſitæ ſententiæ concedenda eſt maior, quod propter primam cauſam non poſſit intendi lumen agentis principalis per reflexionem;nempe, quia luminoſum minus non poteſt maius intendere:& cum ex hoc infertur, non poſſe parté medij minus illuminatã intendere per reflexionem partem ſibi proximam magis illuminatam: diſtinguendum eſt: nam per ſe ipſam non poteſt,hoc eſt, in quantum minus illuminata,ſed in quantum maius lumen per reflexionem fortè accipit, quia proximior eſt corpori, in quo fit reflexio, vel in quantum per modum vnius agentis vnitur luminoſo principali magis intenſo.Ex hoc tamen non ſequitur poſſe idem luminoſum principale intendere etiam per reflexionem:cuius ratio eſt manifeſta,quia cum totũ lumen productum in corpore opaco,atque etiam in medio tam per directã illuminationem, quàm per reflexam, procedat à luminoſo principali tamquam à cauſa vniuoca,& ideo non habeat maioré intenſionem illud, quã hæc,repugnat ab eo,vel ab aliqua eius parte,etiã per reflexionẽ intẽdi, quia nihil poteſt agere vltra ſuam perfectionem.

Tertia denique ſententia quorumdam recentiorum aſſerit produci quidem lumen in ſolo medio per reflexionem,non tamen intendi;ſed eſſe aliud numero diſtinctum ab eo,quod producitur per directam illuminationẽ.Hæc tamen ſententia clarius probatur falſa,quia duo accidentia extenſa, & purè abſoluta eiuſdem ſpeciei in eadem parte ſubiecti recepta neceſſariò continuantur,& fiunt idem numero per continuationẽ,vt patet in calore producto in aqua à diuerſis agentibus, immo & diuerſo tẽpore:ſed duo illa lumina producta per directã illuminationem,atque reflexã ſunt extenſa accidentia, & recipiuntur in eadẽ parte medij:ergo fiunt idẽ numero per cõtinuationem.

A quanam cauſa procedat maior intenſio luminis producta in medio per reflexionem?

131 SVppoſito, quòd qualitas intendatur in medio per reflexionem in corpore reſiſtente factam;quærimus à quanam cauſa procedit per ſe talis intenſio?Et vt diſputationis exemplum in eadem illuminatione conſtituamus,triplex poteſt excogitari cauſa, nempe lumen ipſum in medio productum per directam illuminationem,quod ſe ipſum intenderet per reflexionẽ à corpore opaco,aut luminoſum, à quo mediũ illuminatur directè; & lumen producitur in corpore opaco:vel tandẽ lumen hoc in corpore

corpore opaco, in quo fit reflexio productũ. Et de primo cõueniunt omnes, quod non fit causa suæ intensionis per reflexionẽ factæ, quia idẽ numero agens non potest se intendere: cum talẽ intensionẽ non contineat formaliter, neque eminenter, vt probauimus: ergo repugnat lumẽ in medio productũ esse causã suæ intẽsionis. Quæstio ergo de duobus alijs procedit: nẽpe de principali luminoso, vel de corpore opaco per lumen in se receptũ.

Et prima opinio asserit causam intensionis in medio factæ per reflexionem non esse luminosum principalem, sed corpus opacũ ab eo illuminatum. Ita sentiunt ex recentioribus plures. Quod vt probent, præsupponunt, intensius lumen produci in aliqua saltẽ parte corporis opaci, vt in aliqua parte speculi, quã producatur in partibus medij. Cuius causam esse putant, quia licet dẽsitas, & terſitas speculi potius illuminationi resistãt, atq; impediant, ne vlterius progrediatur: ex alia vero parte disponunt idem subiectum ad maiorem intensionem luminis recipiendam in ea parte, in qua illuminatur. Neque obstat vniuersale illud principium ab omnibus receptum, quod agens naturale fortius agit in propinquum, quam in remotum. Ex quo videretur sequi maiorem intensionem luminis produci à luminoso in partibus medij sibi propinquioribus, quam in corpore opaco remotiori. Nam principium hoc intelligi debet (vt sit vniuersaliter verũ) si proximum, & remotum sint æquè disposita ad recipiendum effectum ab agente: si vero remotum melius dispositum sit, perfectiorem effectũ recipiet, quia per meliorem dispositionem recompensatur maior distantia. Vnde cum melius sit disposita aliqua pars speculi ratione densitatis, & terſitatis intensiorem effectum recipere poterit, etiam si remotior sit. Sed hoc fundamentum ita explicatũ probant exemplo Lunæ à Sole illuminatæ: cuius aliqua pars magis illuminat hæc inferiora, quàm reliquum corpus eius: ex eo, quod maius lumen recipit à Sole: cuius non potest reddi alia causa, nisi quia astrum Lunæ ratione suæ densitatis, & terſitatis melius disponitur, vt secundum aliquam sui partem intensius illuminetur à Sole. Ita ergo in cæteris reflexionibus minorum corporum cõtingere debet, vt corpus opacum, nempe speculum ratione suæ densitatis, & terſitatis melius dispositum sit ad suscipiendum lumen in aliqua sui parte, per quam intensiorem potest producere lumen in partibus medij, ad quas reflectuntur radij eius: alioqui concedendum esset lumen productum in his inferioribus à Luna, non ab ea, sed à Sole produci.

Hoc supposito, probãt quod maior intẽsio luminis in medio nõ procedat à principali lumine, vt à Sole, vel lucerna: primo, quia

quia effectus luminosi principalis, à quo directè illuminatur medium, impeditur à corpore opaco, ne vlterius transeat: sed per tale impedimentum sibi superueniens, non augetur virtus eiusdē luminosi; & ideo nec redditur fortius ad agendum: ergo non potest intensiorem effectum producere in partibus medij per reflexionem, quā produxit in eisdem per directam illuminationem. Probatur consequentia, quia idem in quātum idem, hoc est per virtutem eiusdem intensionis agens, & circa passum eodem modo dispositum semper facit eumdem effectum,
133 & non maiorem. Secundò quia, si luminosum intensionis vt quatuor solū potest producere in reliquis partibus suæ sphæræ lumen vt duo (exempli gratia) ergo ex tali productione repugnat, quod in partibus eiusdem sphæræ propinquioribus corpori opaco, & à se remotioribus, sequatur maior intensio luminis. Probatur consequentia, quia agens naturale fortius agit in propinquum, quàm in remotum æqualiter dispositum; sed partes medij propinquiores corpori opaco, in quibus lumen intenditur per reflexionem, remotiores sunt respectu eiusdem luminosi; & eodem modo dispositæ, ac reliquæ partes eiusdem medij: ergo repugnat fortius circa eas agere, quàm circa propinquiores: & ex consequenti repugnabit, quod intensius lumen in eis productum per reflexionem procedat ab eodem luminoso, & necessarium est procedere ab intensiori lumine recepto in corpore opaco, cui sunt propinquiores. Probatur hæc vltima consequētia, quia non est excogitabile aliud agens à quo possit procedere.

134 Nostra sententia omnino est opposita, & explicatur duabus conclusionibus. Prima est, intensio luminis producta in medio per reflexionem, non producitur à corpore opaco per lumen in se receptum, sed à principali luminoso, à quo corpus ipsum opacum illuminatur. Probatur testimonio Aristotelis 8. lib. Phys. text. 32. vbi docet reflexionem localem corporis non fieri à corpore impediente, vel obsistente, sedà proijciente idem corpus, quod reflectitur, his verbis: *Sicut reflexa sphæra non à pariete mota est, sed à proijciente.* Quæ verba præter quàm, quòd expressa sunt; ita intelliguntur ab omnibus interpretibus tam antiquis, quàm nouis: præsertim à D. Thoma, Soto, Toleto, & Conimb. in commentarijs eorum. Ex hoc igitur sic arguo: Pila ideo reflectitur in pariete impediente, quia impulsus ei impressus à proijciente eam vlterius deduxisset, nisi paries extensionem sui motus impediret: eo vero impediente non priuatur impulsus suo effectu vlterius dilatandi motum, sed quasi permutatur vlterior motus directus in reflexum eiusdem

intensio

intenſionis; ita vt ſi per decem paſſus extenſurus erat vlteriorem motum directum, per totidem extendat reflexum:& ab eadem cauſa à qua extenderetur directus, fit reflexus;vt docet expreſſe Ariſtoteles, & cum eo omnes interpretes,nempe à proijciente, quòd eſt principale agens, & non à pariete, qui eſt corpus obſiſtens, in quo fit reflexio; ſed eodem modo fit reflexio luminis, vel alterius qualitatis: ergo motus reflexus illuminationis ab eodem luminoſo principali fit, & non à corpore opaco ab eo illuminato, in quo fit reflexio; & conſequenter intenſio luminis per eum producta tamquam proprius terminus. Probatur minor, quia virtus luminoſi principalis extenderet illuminationem directam per decem paſſus, niſi obſtaret corpus opacum:ergo illo obſtante,& facta in eo reflexione non priuatur luminoſum ſuo effectu,hoc eſt extenſione illa ſui motus, ſed quaſi commutatur directa in reflexam. Vnde ſequitur eodem modo procedere alterationem reflexam à principali luminoſo,quo procederet directa quantum ad vlteriorem extenſionem,niſi impediretur à corpore opaco; ſed ab eodem agente procedunt motus, & terminus per ſe eius:ergo ab eodem luminoſo principali procedit terminus per ſe eiuſdem alterationis reflexæ: ſed terminus illuminationis reflexæ eſt lumen productum in medio cadens ſupra lumen productum per illuminationem directam in eiſdem partibus, per quas reflectuntur radij: ergo intenditur lumen medij ab eodem agente in eiſdem partibus, & non à corpore opaco impediente. Probatur conſequentia,quia intenſio qualitatis non eſt aliud, quàm noua productio eius circa eamdem partem ſubiecti. Et ſi dicatur non 135
benè probari ex motu locali reflexo intenſionem luminis in medio ab eodem luminoſo factam; nam per motum localem reflexum nullum effectum in medio productum per motum directum intendit, aut perficit mobile, ſed eamdem præſentiam producit, quam produceret, vel produxit per motum directum: ergo non bene probatur ex locali reflexione intenſio luminis facta in medio ab eodem agente,à quo fit directa. Reſpondeo probari quidem efficaciter,quia ex eo non perficitur in medio per motum reflexum effectus per directum, quia non manet, nec manere poteſt, ſed tranſit ſicut motus: ſi vero permaneret, abſque dubio perficeretur quadam ratione extenſiua, non vero intenſiua, quia præſentia localis non eſt capax intenſionis; perficeretur vero, quia duplicaretur in eodem corpore, & in ordine ad idem ſpatium. Effectus autem illuminationis directæ permanet in medio; propterea neceſſarium eſt, vt cadat ſupra illum effectus productus per illuminationem dire-

ctam in eiſdem partibus medij, in quibus cadunt radij reflexi. Sed vnus gradus luminis cadens ſupra alium in eadem parte ſubiecti facit intenſionem: ergo intenditur lumen in his partibus medij ab eodem agente.

Probatur etiam ratione eadem concluſio; primò, quia tota ratio propter quam oppoſita ſententia aſſerit reflexionem fieri à corpore opaco tamquam à cauſa per ſe eſt, quia ratione denſitatis, & terſitatis magis eſt diſpoſitum, vt ſaltem ſecundum aliquam partem intenſius lumen recipiat, quàm medium; quod non eſt ita denſum. Sed hoc fundamentum eſt falſum: ergo opinio ipſa in eo fundata erit falſa. Probatur minor, quia opacitas corporis impedit potius receptionem luminis, quam iuuet ad eam recipiendam; ſed terſitas, ac denſitas corporis pertinent ad opacitatem: ergo potius impediunt, quam iuuent, vel diſponant
136 ad receptionem intenſioris luminis; falſum eſt ergo quòd corpus opacum propter maiorem denſitatem, & terſitatem ſit magis diſpoſitum, vt in aliqua eius parte intenſius lumen recipiatur, quam in partibus medij. Maior videtur mihi euidens, quia euidens eſt corpus opacum ratione opacitatis impedire tranſitum luminis: ergo repugnat opacitatem facere illud capax maioris luminis. Probatur conſequentia, quia ſi magis capax eſſet, impedire nõ poſſet. Præterea diaphaneitas corporis eſt propria, atque germana diſpoſitio ad recipiendũ lumen; ſed opacitas opponitur diaphaneitati, aut tranſparentiæ: ergo repugnat efficere corpus capax maioris luminis. Et eadẽ ratione probatur minor de denſitate, ac terſitate; quia quo corpus magis denſum, & terſum eſt, minus eſt diaphanũ, vt per ſe eſt manifeſtũ: ergo minus eſt diſpoſitum ad recipiendam lucem, & ideo non poteſt intenſiorem recipere ſi ſit æquè, vel minus approximatum luminoſo.

137 His addo, denſitatem in nullo corpore eſſe diſpoſitionem ad recipiendum maiorem intenſionem alicuius qualitatis, vt euidenti inductione probari poteſt, licet ſit diſpoſitio, ad magis retinendam intenſionem receptam, & ad fortius agendum cum eadem, vel maiori intenſione.

Secundo probatur ex reflexione aliorum accidentium intentionalium, nam ſicut lux eſt qualitas intentionalis, ita ſpecies viſibiles ſunt accidentia intentionalia; & ſicut reflectitur lux in ſpeculo, ita reflectuntur ſpecies: ſed ſpecies reflexa in ſpeculo cauſatur ab eodem obiecto viſibili, à quo cauſatur directa, & non à ſpeculo: ergo reflexio lucis, & intenſio per eam producta, non à ſpeculo, ſed à luminoſo cauſatur. Minorem admittunt aduerſarij, & probabitur efficaciter 2. lib. de anima c. de viſu, quia ſpecies eſt aliqualis ſimilitudo obiecti viſibilis, & ideo ab eo debet pro

bet procedere; sed quod videtur per reflexionem specierum in speculo factam non est species, vel similitudo obiecti, sed obiectum ipsum, vt ibidem probatur efficaciter, ergo ab eo procedit species reflexa, & non à speculo, & cõsequenter à luminoso procedit reflexio luminis, & intẽsio eius producta in medio, & non à speculo illuminato. Fundamentum vero oppositæ sententiæ negandum est, quia iam probauimus ratione tersitatis, & densitatis non posse corpus opacum esse maioris lucis capax, sed minus & minorem recipere, quàm partes medij, & ideo non posse ab eo procedere intensius lumen in medio. Quod autem dici- 138
tur de illuminatione Lunæ, simile quidem est, & ideo concedimus maximam partem luminis nocturno tempore producti per similem reflexionem in eodem astro Lunæ factam, produci, à Sole quidem tamquam à principali, & proxima causa: iuuare tamen lumẽ in eadem Luna receptum, quæ sic à Sole illuminata, quasi per modum vnius agentis vnitur eidem Soli eam illuminanti, & ab vtroque procedit nocturna illuminatio mũdi. Quod dicimus supposita opinione, quæ asserit totum lumen, quod habet Luna, recipere à Sole; nam alij de ea, ac de quibusdam aliis astris existimant aliquam eius partem à se habere: de quo statim agemus in libris de cœlo, & mundo: vbi & modum huius reflexæ illuminationis Solis, & Lunæ copiosius explicabimus. Eiusmodi autem reflexio lucis in Luna facta à Sole non percipitur sensu, sicut percipiuntur aliæ longè minores in his inferioribus factæ, propter maximam distantiam inter Lunam, & Solem, & corpora ingentis molis inter vtrumq; astrũ media; nam reflexio ista fit eo tempore, quo Sol est in vno emisperio, & Luna in altero; & cum primis mediat inter vtrumq; magna pars profunditatis quarti cœli; deinde profunditas tertij, secũdi, & primi, & tãdem sphæra integra quatuor elementorũ. De reliquis verò minoribus reflexionibus in his corporibus inferioribus factæ secundũ proportionẽ dicendũ est, fieri quidem à principali luminoso per maiorẽ intensionẽ luminis in partibus medij productam, sed iuuare etiam lumẽ productum in corpore opaco; licet non sit magis intensum, quam in medio, quia se coniungit eum principali luminoso, & per modum vnius agentis operantur.

Ad primum argumentum eiusdem sententiæ concessa maio- 139
ri, quod luminosum impediatur à corpore opaco, ne vlterius extendat suam actionem, atque etiam minori, quod per hoc impedimentum non reddatur fortius ad agendum, neganda est consequentia, quia ad producendum maiorem intensionem per reflexionem, non est necessarium, quod augeatur virtus eius; nam si sufficiens erat ad extendendam illuminationem dire-

ctam ad vlteriores partes medij,erit quoque ſufficiens ad eamdem extenſionem commutatam in reflexam efficiendam, ſicut de impulſu probauimus in reflexione locali. Præterea, licet per impedimentum corporis opaci non intendatur virtus luminoſi,ſed quia ratione reflexionis agit per diuerſam lineam, operatur quaſi duplex agens; & ideo in ea parte medij ad quam pertingit reflexio quaſi duplicatum effectum producit, eam illuminando quaſi duabus viis, hoc eſt per duas, ac diuerſas lineas rectam, & reflexam: non ergo mirum eſt, ſi quaſi pro duobus agentibus operetur. Non fit enim intenſio luminis in omnibus partibus medij, ſed in certa,ac determinata,videlicet in angulo reflexionis,ſicut reflexio fit ex parte ſpeculi in angulo incidentiæ. Quod vero dicimus quaſi pro agenti duplicato operari luminoſum in illuminatione recta, & reflexa, & ideo quaſi duplicatum producere effectum in ea parte,ſecundum proportionem ſuæ virtutis, aut intenſionis, intelligi debet, ita vt totus effectus non ſolum non ſuperet intenſionem eius, ſed neque adæquare eam poſſit, vt ex ſupra dictis eſt manifeſtum. Et ſi dicatur, luminoſum agit per illuminationem directam naturaliter: ergo agit circa medium in quantum poteſt. Quare repugnat maius lumen producere in medio per reflexionem. Reſpondeo agere quidem per illuminationem directam in quantum poteſt,ſed non omni modo, quo poteſt; & ideo licet producat totum lumen, quod poteſt producere tali modo agendo, non tamen totum,quod poteſt,hoc & alio modo,nempe actione reflexa;nam ſicut poſſet nouum lumen producere in vlterioribus partibus medij, poteſt in anterioribus per reflexionem, quod eſt lumen earum intendere,vt probauimus. Et ex hac doctrina explicari debet commune illud axioma, nempe: *Idem in quantum idem ſemper facit idem.* Vt enim ſemper ſit verum, ſic debet intelligi; vt idem in quantum idem eodem modo agens ſemper faciat idem; ſecus vero eſt,ſi varietur modus agendi,vt contingit in hac parte.

140 Ad ſecundum neganda eſt conſequentia, quod per reflexionem non poſſit produci intenſior effectus ab eodem agente in partibus propinquioribus corpori opaco,quàm productus ſit in aliis ab eo remotioribus per ſolam directam illuminationem. Et cum dicitur agens naturale fortius agere in partes ſuæ ſphęræ ſibi proximiores,quàm in remotiores,ſi ſint æquè diſpoſitæ, diſtinguendum eſt; nam agens per eamdem lineam verum eſt, non tamen,ſi per diuerſas operetur, vt in reflexione contingit: ſic enim agit quaſi duplicatum agens, cum agat per diuerſas lineas, rectam & reflexam; & ideo quaſi duplicatum producit effectum;

effectum : nam in parte illa medij, ad quam pertingit reflexio producit aliquid illius luminis, quod produceret in vlteriores partes medij intra propriam sphæram clausis, si non impediretur per interpositionem corporis opaci. Suppletur ergo per actionem reflexam additam directæ illuminationi defectus approximationis; immo & superatur, vt per se est manifestum.

QVÆSTIO IX.

An omne agens dum agit, repatiatur à suo contrario circa quod agit?

VT intelligatur quæstio,& ad difficultatem eius breui per- 141
ueniamus, conditiones quasdam enumerare, & explicare oportet omnino necessarias, vt agens dum agit, repatiatur à suo contrario, in quod agit; quas vno, aut altero verbo tetigit Aristoteles cap. 7. huius primi libri à textu 53. Primam ergo conditionem necessariam esse ait, vt agens, & passum materialia sint : nam si agens sit spirituale, non poterit repati ab eo, in quod agit : & si passum etiam sit spirituale, non poterit circa ipsum operari agens ; & ratio vtriusque est eadem, quia res spiritualis altioris ordinis est, & ideo agere quidem circa rem materialem potest propter eminentiorem virtutem, quam habet; sed in ipsam nec potest agere res materialis inferioris ordinis, & virtutis ; nec ideo ab ea repati potest, quia à quo aliquid repatitur, illud idem in ipsummet agit. Nec satis est vtrumque esse materiale; sed secunda conditio requiritur (ait Aristoteles) vt habeant eamdem materiam, non numero, sed specie. Vnde licet corpora cœlestia agant in hæc sublunaria, non repatiuntur ab eis, quia licet communicent in materia, non eiusdem speciei, sed diuersæ. Et ratio huius conditionis est, quia actio, & reactio ordinantur ad generationem, & corruptionem eius, in quo recipiuntur ; sed corpora cœlestia ex eo, quod habeant materiam specie diuersam ab his sublunaribus ; sunt incorruptibilia : ergo non possunt repati ab eis. Sed nec sufficit habere materiam eiusdem rationis; quia medicus communicat in materia cum infirmo, in quem agit eum sanando, & tamen non repatitur ab eo inquit Aristoteles, quia non est agens vltimum, seu immediatum, sed primum : repatitur vero medicamentum ab eo applicatum, quia est vltimum, atque immediatum agens. Ideo tertia conditio est necessaria, quod agens sit vltimum, seu proximum. Nec tamen id sufficit, sed requiritur quarta, quod 142

agens contineatur intra ſphęram actiuitatis paſſi,quia contingere poteſt,vt agens ſit maioris longe virtutis,quam paſſum,& ideo ad maiorem diſtantiam poſſit extendere ſuam actionem, quod eſt maiorem habere ſphæram actiuitatis,quam paſſum;& tunc fieri poſſet quod paſſum eſſet intra ſphæram agentis : hoc vero extra ſphæram paſſi vt conſideranti patet, & actio quidem tunc dabitur, ſed non reactio, quia ſicut repugnat aliquid agere in aliud,niſi intra ſphæram actiuitatis eius ſit;non minus repugnat in illud reagere,quia reactio vera actio eſt.Quinta,& vltima conditio eſt, quod agant actione vera, & propria ; hoc eſt corruptiua,quæ verſatur ſolum inter propria contraria:nam hoc modo ſumitur ab Ariſtotele actio in hoc opere,vt vidimus ſuperius. Si enim ſolũ agant actione perfectiua,nulla ſequitur repaſſio, vt conſtat in illuminatione : non enim repatitur luminoſum à corpore diaphano, in quod agit; nec obiectum à potentia ſenſitiua. Itaque vt omnes conditiones hoc verbo comprehendamus,vt agẽs poſſit repati à paſſo, circa quod agit, materiale debet eſſe ; habens materiam eiuſdem ſpeciei, vltimum;& intra ſphæram eiuſdem paſſi contentum : agentémque circa paſſum actione corruptiua.Et de tali agẽte procedit quæſtio,an dum ſic agit, ſemper, & neceſſariò repatiatur ab eodem paſſo, circa quod agit.

143 Circa quam quæſtionem plures ſunt opiniones, quas prolixè refert,& reiicit Toletus 1.lib. de gener. q.15.ex quibus tres tantum nos referemus, quæ difficultatem eius attingunt, nam reliquæ nullius momenti ſunt. Prima opinio negat omnino reactionem, hoc eſt actionem paſſi in agens,à quo patitur. Ita Maior in 1.diſtin.17.& cum eo alij ex nominalibus. Probatur primo, quia à proportione minoris inæqualitatis, non poteſt dari aliqua actio ; ſed non poteſt paſſum reagere, niſi à proportione minoris : ergo impoſſibilis eſt reactio. Probatur minor, quia proportio minoris inæqualitatis eſt, quando virtus agentis eſt minor reſiſtentia paſſi, vt ſuperius probauimus ; ſed virtus paſſi (ſi verè patiatur ab aliquo) debet eſſe minor reſiſtentia eiuſdem agentis,à quo patitur : ergo non poteſt in illud agere, vel reagere. Probatur minor, quia reſiſtentia actiua agentis prouenit à tota latitudine formæ eius, quam conſtat eſſe maioris virtutis, quàm forma paſſi, & reſiſtentia formalis eiuſdem agentis prouenit ab eadem forma incompoſſibili cum forma paſſi etiam ſecundum totam eius latitudinem,
144 quia ſecundum eam eſt ei contraria, & repugnans. Exemplum poſſumus afferre in aqua, quæ ſi patitur ab igne, neceſſe eſt maiorem eſſe virtutem actiuam ignis, quàm reſiſtentiam eius,

ſed

sed etiam est maior resistentia ignis, quàm actiuitas aquæ, nam per eumdem calorem vt octo, quo agit, resistit resistentia actiua, cum hæc sit eadem realiter cum virtute actiua, aut cum actione. Resistentia etiam formalis, quæ est incompossibilitas, aut repugnantia vnius formæ cum alia; maior est in igne, cum sit per eumdem calorem vt octo contrarium frigiditati eiusdem aquæ, & ei repugnans secundum totam suam latitudinem. Et hoc argumentum magis ad sensum videtur conuincere, quando agens maximæ virtutis est; passum verò adeo exiguam habet, vt absurdum videatur dicere, quòd in idem maximum agens possit reagere.

Secundo probatur, quia dum vnum contrarium agit in aliud, vt ignis in aquam, constat sua actiuitate superare illam; sed necesse est etiam sua resistentia superare actiuitatem eius: ergo necesse erit magis etiam resistere passo, quàm passum in eum agat: Quare impossibilis erit reactio; nam quotiescumque magis resistit passum, quàm agens agat, repugnat actionem sequi, vt superius ostendimus. Probatur minor, quia dum ignis agit in aquam per calorem, non solum resistit reactioni eius per eumdem calorem, sed etiam per propriam substantiam naturaliter agentem ad conseruationem. Quia sicut naturaliter ab ea dimanat tamquam à principio actiuo, ita naturaliter conseruatur media actiuitate eiusdem substantiæ: sed aqua non reagit, nisi per solam frigiditatem: ergo maior erit resistentia ignis, quam actiuitas eius. Consequentia videtur necessaria, quia habet eamdem causam, quam habet actiuitas, nempe calorem; sicut actiuitas aquæ habet frigiditatem, & præterea propriam substantiam ignis conseruantem eumdem calorem. Sed probatur minor ex his, quæ diximus 2. lib. Phys. agentes de causa efficiente; videlicet substantiam non agere in aliud, nisi per sua accidentia, per quæ solum attingit passum: ergo aqua non agit per se immediatè, sed solum per frigiditatem.

Secunda opinio non omnino negat reactionem, sed solum 145
secundum eamdem contrarietatem, eam admittens secundum aliam: ita vt agens per vnam qualitatem non patiatur à passo per qualitatem illi contrariam, sed benè per aliam diuersam; vt dum ignis agit in aquam per calorem, non reagat aqua in ignem per frigiditatem, sed per humiditatem debilitando siccitatem eius. Ita Nimphus 1. lib. de generat. Comm. 195. quæst. 3. referens pro se Auerroem, Alexand. & alios. Probatur primo, quia si admittatur reactio secundum eamdem contrarietatem; sequitur impossibile prorsus esse, quòd vnum

contrarium agat in alterum ; ſed conſequens eſt falſum, vt per ſe eſt manifeſtum ; ergo impoſſibilis eſt reactio per eamdem contrarietatem. Probatur conſequentia , quia agens naturale prius agit in proximum, quàm in remotum:ergo prius expellit contrarium à parte proxima,quàm à remota ; ſi ergo agens per vnam qualitatem repatitur per contrariam : ergo in prima ſui parte aliquem gradum contrariæ qualitatis recipit ; prius ergo debet illum gradum expellere ab ea parte tamquam ſibi magis proxima, quàm ab aliqua parte paſſi;ſed numquam poteſt eam omnino expellere,nam ſi ſemper repatitur : ergo ſemper ei imprimitur de nouo aliquid contrariæ qualitatis, à qua impedietur actio eius, ne tranſeat ad paſſum contrarium;quia licet aliquid ſemper expellat,aliquid etiã ſemper recipit de nouo : impoſſibilis ergo erit actio vnius contrarij in alterum , ſi repati debet ſecundum eamdem contrarietatem.

146 Secundò, quia repugnat aliquid moueri ſimul motibus contrariis , hoc ſequitur, ſi detur reactio ſecundum eamdem contrarietatem : ergo non eſt admittenda, Probatur minor duobus exemplis. Primum ſit ignis agentis in aquam per medium aërem , à quo aër neceſſariò calefiet , quia non poteſt calor tranſire ad aquam , niſi per aërem , & aqua debet reagere in ignem per frigiditatem. Supponamus reagere per eamdem lineam , & tunc neceſſariò debet refrigerare aërem ; calefiet ergo eadem pars aëris ab igne , & infrigidabitur ſimul ab aqua, quod eſt moueri motibus contrariis. Exemplum ſecundũ erit, ſi ſupponamus maximum calidum agere in paruum frigidum, ita vt totum frigidum ſit intra ſphæram actiuitatis calidi , ſed medietas tantum calidi contineatur intra ſpheram actiuitatis frigidi. Tunc ergo ſi frigidum reagit in calidum per frigiditatem , aliquem gradum imprimere debet in prima medietate calidi, non in poſtrema, cum hæc ſit extra ſphæram actiuitatis eius:& eodem tempore , quo frigidum reagit in illa medietate per frigiditatem , reliqua medietas calida ei approximata debet in eamdem agere per calorem ad expellendam frigiditatem, quam ei imprimit aqua : quare ſimul calefiet, & frigefiet illa pars,mouebitúrque contrariis motibus.

Tertia opinio omnino contraria his duabus aſſerit duo:primum,ſemper,& neceſſariò dari reactionem inter contraria aduerſus primam. Secundum , talem reactionem dari ſecundum eamdem contrarietatem aduerſus ſecundam. Ita expreſſe Ariſtoteles cap. 7. huius libri textu 53. & cap. 10. text. 87. & 89. ſed clariſſimis verbis 4. lib. de generat. animalium capit. 3. non longe à principio , quæ ita habent : *Omne agens patitur etiam*

Digitized by Google

etiam à patiente,vt quod ſecat,hebetatur ab eo, quod ſecatur, quod calefacit, refrigeratur. Denique quodcumque mouet excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu: & interdum etiam ita fit, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat, & refrigeretur, quod calefacit, & caleſcat, quod frigefacit, &c. Ita etiam Galenus lib.3. de cauſis Simpthom. capit.2. Diuus Thomas 1. lib. de generation. lectio.10. Themiſti. & Simplic 3.lib.Phyſ.textu 8.Philoponus, quem citauit Nimphus vbi ſupra, & cæteri omnes interpretes Ariſtotelis ſuper capit. 7. huius libri paucis exceptis, quos pro aliis opinionibus citauimus: & eſt vera ſententia, ac tenenda.

Probatur experientia, & ratione. Experientia quidem,quia euidens eſt manum calidam tangentem frigidam eam calefacere;& frigidam calorem huius temperare: atque etiam ſi pruna accenſa niuem tangat, niuis ipſa liqueſcit, & pruna ex parte infrigidatur.

Ratione verò, primo ex mixtione elementorum hoc modo. 147
Quodlibet elementum habet vnam qualitatem in ſummo gradu intenſionis: ſed forma corporis mixti ex mixtione elementorum reſultans non poteſt introduci in materia, nec in ea conſeruari cum diſpoſitione aliqua habente ſummum gradum intenſionis, nempe cum ſummo calore, vel ſumma frigiditate; ſed poſtulat omnes has qualitates attemperatas, hoc eſt ad minorem gradum intenſionis redactas:quod conſtat non poſſe fieri, niſi per mutuam actionem, & reactionem elementorum: ergo neceſſariò hæc admittenda eſt, vt mixtio cenſeatur poſſibilis. Licet enim elementa ignis, & aquæ agant, ſi non repatiatur quodlibet ab alio,dum in ipſum agit,non remittetur calor, vel frigiditas eorum,vt per ſe eſt manifeſtum: ergo nec attemperari poterunt.

Et ſi aliquis dicat, ad agendum in aliud requiri determina- 148
tam virtutem ſaltem per terminum extrinſecum, quod vocatur maximum quod non: ita vt tam minima dari poſſet, quæ non ſufficeret ad agendum: benè tamen quæcumque maior,vt probauimus ſuperius agentes de exceſſu determinato ad agendum requiſito. Ex quo ſequitur non ſemper paſſum reagere poſſe. Probatur conſequentia in extrema parte ſphæræ actiuitatis ignis, vel alterius agentis, quam certum eſt non poſſe in aliud corpus ſibi approximatum iam extra ſphæram eiuſdem agentis exiſtens agere, & ideo ſi illud habeat contrariam qualitatem,nempe frigiditatem,per quam agat in extremam illam partem ſphæræ ignis calidam,non repatietur ab ea:quia ſupponimus non poſſe amplius agere per caloré.Reſpondeo,etiam in

his casibus agens ex parte sua semper repati posse à passo: quod vero non repatiatur, per accidens est propter defectum passi non habentis virtutem ad agendum; sicut etiam contingit dum passum est intra sphæram actiuitatis agentis: sed agens nō est intra sphæram actiuitatis passi, quia est minoris virtutis; & ideo habet minorem sphæram. Aristoteles vero vniuersaliter loquitur, & vniuersaliter verum est agens semper posse repati, atque etiam semper repati, nisi aliqua conditio necessaria deficiat, deficit autem in casu argumenti potentia actiua ex parte passi.

149 Ad primum argumentum primæ opinionis neganda est minor, quod non possit passum reagere, nisi à proportione minoris inæqualitatis. Et cum dicitur maiorem esse resistentiam actiuam agentis actiuitate passi, concedendum est: sed ex hac non probatur, quod actio sit à proportione maioris, vel minoris inæqualitatis: nam cum resistentia actiua sit idem realiter cum actione, vel actiuitate: & formaliter non sit aliud, quàm debilitatio contrarij, euidens est, quòd ex ea non sit sumenda proportio requisita ad agendum inter agens, & passum: quia etiam si virtus passi debilitetur per actionem agentis, non simul consumitur, sed successiue: ideo non tollitur, quin per virtutem remanentem reagere possit; cum sola ergo resistentia passiua, aut formali comparanda est virtus agentis: & de hac resistentia formali neganda est eadem minor, quòd maior sit in agente actiuitate passi. Et cum dicitur formam agentis secundum totam latitudinem suæ intensionis resistere formaliter: distinguendum est: nam duobus modis sumitur resistentia formalis, pro actuali, & pro potentiali: vel pro resistentia, quasi in actu secundo, aut quasi in actu primo: & de resistentia actuali negandum est, quia actualis est per incompossibilitatem actualem, quam constat non habere formam, nisi ratione illius partis intensionis necessariò expellendæ per introductionem partis formæ contrariæ: nam cum reliquis partibus eiusdem formæ agentis non repugnat naturaliter permanere simul: ergo non habent reliquæ partes intensionis incompossibilitatem formalem actualem cum tota latitudine formæ, per quam reagit passum, & consequenter non resistunt introductioni eius resistentia formali actuali, sed solum potentiali, quod est posse resistere, & non resistere actu: forma vero eiusdem passi actu agit secundum totam latitudinem intensionis, quia actu agere, solum dicit actu influere in effectum: influ-
150 xum vero tribuit forma agentis applicata ad passum, & cum sit eodem modo applicata secundum totam latitudinem intensionis, absque dubio influit secundum totam, & consequenter

secundum

Digitized by Google

ſecundum totam agit. Et cum ſolum reſiſtat eadem forma agentis reſiſtentia formali actuali ſecundum illum gradum, vel partem expellendam ad introductionem partis formæ paſſi eiuſdem menſuræ, ſequitur maiorem eſſe actiuitatem actualem paſſi reſiſtenſia formali actuali agentis, ſecundũ quas ſolum fit comparatio: & conſequenter non reagere à proportione minoris, ſed maioris inæqualitatis: reſiſtentia vero formalis potentialis, quæ conuenit eidem formæ agentis ſecundum totam latitudinem intenſionis ad hanc comparationem non pertinet, quia cum ſit comparatio in ordine ad agendum, & reſiſtendum actu ſolum fit inter actiuitatem actualem, & reſiſtentiã actualem: vnde licet potentialis illa ſit maior, non efficit proportionem minorem cum actiuitate actuali paſſi.

Circa minorem ſecundi argumenti aſſerẽtem, maiorem eſſe reſiſtentiam formalem agentis actiuitate paſſi, quia non ſolum reſiſtit formaliter calor ignis, per ſe ratione incompoſſibilitatis actualis cum frigiditate aquæ, ſed etiam ratione ſubſtantiæ eiuſdem ignis, à qua efficienter conſeruatur, ſicut efficienter dimanat. Diuerſo modo loquuntur recentiores: nam quidam hanc conſeruationem efficientem admittunt, ſed negant efficaciorem eſſe ſubſtantiam ignis ad conſeruandum calorem, quam frigiditatem a quæ ad illum deſtruendum: & ideo non ſufficere talem conſeruationem, vt maior cenſenda ſit reſiſtentia formalis eius actiuitate frigiditatis: etiam ſi per ſe ſola dicatur agere. Quod probant in aqua: nam ignis citius eam calefacit, quàm ipſamet ab igne ſeparata ſe reducat ad frigiditatem expulſam per eumdem calorem: ergo efficacior eſt quælibet harum qualitatum ad producendum ſibi ſimilem in ſubiecto contrario, quàm ſubſtantia eiuſdem contrarij ad conſeruãdam propriam qualitatem à ſe emanantem. Alij vero admittentes etiam, quòd ſubſtantia conſeruet efficienter qualitatem propriam, conſequenter aſſerunt efficaciorem eſſe ad eam conſeruandam, quàm ſit qualitas contraria ad eam deſtruendam. Probant primo, quia eſt perfectior non ſolum ſecundum entitatem, ſed etiam ſecundum rationem cauſæ, cum ſit cauſa æquiuoca ſuæ qualitatis: qualitas vero ad agendum circa contrarium vniuoca, cauſa vero æquiuoca perfectior eſt. Deinde, quia agit ſecundum perfectiſſimam approximationem, cum agat per naturalem emanationem circa ſeipſam: qualitas vero per imperfectam ſecundum contractum. 151 152

Alij denique non admittunt, quod qualitates elementorum conſeruentur ab eorum ſubſtantijs effectiue, quia negant etiam effectiuè ab eis procedere, vel emanare, vt ſummus 153

calor

calor ab igne,& ſumma frigiditas ab aqua. Sed putant ſolum conſeruari ab ea tamquam à cauſa materiali, in qua tamquam in ſubiecto inhæret. Probant hanc ratione ; licet qualitates iſtæ dependeant in fieri ab agente,à quo producuntur,& à propria ſubſtantia,à qua tunc emanant ; vt calor ignis geniti ab igne generante,& à propria ſubſtantia eiuſdem ignis geniri,ſed poſtquam productæ ſunt, non dependent in conſeruari ab aliquo agente creato,ſed à ſolo Deo : ergo falſum eſt, quod efficienter conſeruentur à propria ſubſtantia. Antecedens probatur euidenti experientia ; nam calor productus in aqua eiuſdem rationis eſt cum calore ignis:ſed ille non dependet ab aliquo agente creato in conſeruari, niſi à ſolo Deo, vt per ſe eſt manifeſtum:ergo neque calor ignis dependebit ab agẽte creato in conſeruari,quale eſt eius ſubſtantia;ſed à ſolo Deo.Quo ſuppoſito, facile reſpondent argumento negando minorem eius,quod maior ſit reſiſtentia formalis agentis, quàm actiuitas actualis paſſi, cum non adiuuentur efficienter à ſubſtantia; & ideo ſemper paſſum poterit reagere à proportione minoris inæqualitatis.

154 Noſtra vero ſententia duo aſſerit:primum eſt,has qualitates primas elementorum efficienter conſeruari à ſubſtantijs eorumdem elementorum, & non ſolum materialiter. Et probo primo,quod dimanent ab eis efficienter, & ideo quod dependeant ab eis non ſolum in eſſe, ſed etiam in fieri tamquam à cauſis efficientibus ; nam qualitates iſtæ dimanant naturaliter ab eiſdem ſubſtantijs in eodem inſtanti,in quo generantur eodem modo, quo dimanant proprietates aliarum rerum ab eſſentijs:ergo dimanant efficienter. Probatur conſequentia,quia ſi in ſolo genere cauſæ materialis conuenirent his corporibus tamquam propriæ diſpoſitiones materiæ, nulla eſſet talis emanatio ab eorum ſubſtantijs, ſed à ſolo agente producerentur in materia,ſicut reliquæ diſpoſitiones.Secundo,quia dum corpora iſta per actionem contrarij amittunt aliquos gradus ſuarum qualitatum,vt aqua calefacta ab igne aliquos gradus ſuæ frigiditatis, ſtatim remoto igne incipit expellere à ſe calorem, & reducit ſe in naturalem frigiditatem;ſed nullum eſt agens particulare, à quo producatur efficienter talis frigiditas præter ſubſtantiam eiuſdem aquæ,à qua dimanat naturaliter, vt per ſe eſt manifeſtum : ergo neceſſariò dicendum eſt ab ea emanare tamquam à cauſa efficiente. Quod enim procedat à generante,non nego:ſed repugnat,quod à generante procedat efficienter,niſi media propria ſubſtantia,vel ſubſtantiali forma,tamquam à virtute eius:qua media agit ad eius emanationem.

Probatur

Probatur euidenter; quia contingit, quod generans aquam iam non sit in rerum natura, dum talis frigiditas ab ea procedit: ergo repugnat tunc agere, vel eam producere, nisi mediaaliqua virtute ab eo derelicta, & actu existente, quæ non potest esse alia ab ipsamet substantia aquæ, aut substantiali forma eius: ergo absque dubio procedit ab illa efficienter.

Hoc supposito, probatur, quod ab eadem conseruetur effi- 155
cienter: primo, quia repugnat naturaliter, quod aliquis effectus naturalis procedat ab aliquo agente, & quod ab eo eodem, modo præsente non conseruetur, vt euidenti inductione constat in omni effectu naturali sic se habente ad suam causam efficientem, à qua procedit: sed qualitates istæ, vt calor ignis, & frigiditas aquæ procedunt à suis substantijs tamquam à causis efficientibus eodem modo semper præsentibus, ac dum primo ab eis emanant: ergo conseruantur ab eis efficienter. Secundo, quia conseruatio rei non est aliud, quàm continuata productio eius, sed quasi continua emanatione procedunt qualitates istæ à suis substantijs: ergo semper dependent ab eis efficiéter, quod est efficienter ab eis cõseruari. Probatur minor simul cum consequentia, quia quotiescumque aliqua pars, vel gradus earumdem qualitatum extinguitur ab agente contrario, statim eo separato incipit emanare ab eadem substantia.

Secundum, quod asserimus est, adhuc hoc supposito maio- 156
rem esse actiuitatem actualem passi, quàm resistentiam formalem actualem agentis, & ideo posse adhuc reagere passum in ipsum. Probatur primo euidenti experientia; nam euidens est calidum vt tria, vel vt quatuor applicatum aquæ aliquid agere in eam, & plus acturum si cum ea se penetraret: ergo maior est actiuitas actualis eius formali resistentia frigiditatis aquæ, etiam si a substantia aquæ efficienter conseruetur. Probatur consequentia, quia si non esset maior, nulla posset actio sequi: nam vt superius probauimus à proportione minoris inæqualitatis non potest actio prouenire. Deinde probatur ratione, quia si propter conseruationem effectiuam summi caloris à substantia ignis, & summæ frigiditatis à substantia aquæ maior esset resistentia formalis passi, quàm actiuitas agentis, vt asserit prima sententia opposita, euidenter sequitur, non solum reactionem passi in agens contrarium esse impossibilem, sed omnem actionem inter quæcumque contraria, quod est absurdum. Probatur consequentia: nam si resistentia formalis actualis contrarij maior est actiuitate alterius, quia forma passi non solum resistit resistentia formali ratione incompossibilitatis, quam habet cum forma agentis, sed quia conseruatur esse

tur effectiuè à propria ſubſtantia, cum hoc ſit ſemper verum, & neceſſarium in agentibus per primas qualitates ſibi proprias, qualia ſunt elementa; ſequitur ſemper in his verum eſſe, quod plus reſiſtat paſſum, quàm agens agat; & ex conſequenti impoſſibilem eſſe actionem. Probatur conſequentia, quia ſi plus reſiſtit: ergo non poteſt ſuperari ab agente, neque ab eo pati; nam eo ipſo, quod patitur aliquid ab alio, euidens eſt ſu-
157 perari, & vinci ab eo. Ex quibus ad formam argumenti principalis neganda eſt minor, quod maior ſit reſiſtentia formalis agentis per propriam formam conſeruatam effectiuè à propria ſubſtantia, quàm actiuitas paſſi ad reagendum: nam cum forma agentis ſolum reſiſtat paſſo reagenti, per illum gradum neceſſariò expellendum, etiam ſi conſeruetur ſecundum eumdem gradum effectiuè à propria ſubſtantia; cum paſſum reagat per totam latitudinem intenſionis ſuæ formæ: maior erit actiuitas, quàm reſiſtentia, quia maior eſt virtus agendi totius intenſionis formæ, quàm reſiſtentia formalis vnius gradus qualitatis contrariæ, etiam conſeruati à propria forma ſubſtantiali, vt per ſe eſt manifeſtũ. Et propterea à proportione maioris inæqualitatis ſequitur reactio.

Ad primum argumentum ſecundæ opinionis neganda eſt conſequentia, quod ex reactione ſequatur actionem inter contraria eſſe impoſſibilem. Et cum dicitur agens naturale prius agere in proximum, quam in remotum, diſtinguẽdum eſt: nam ſi proximum, & remotum ſe teneant ex parte medij, vel paſſi, verum eſt, quia neque actio poteſt peruenire ad poſteriorem, ſiue remotiorem partem medij, vel paſſi, niſi per priorem, aut proximioré: ſi vero intelligatur de partibus eiuſdem agentis, falſum, quia agens neque in medium, neque omnino in paſſum agit tranſmittendo actionem ad vnam partem proprij corporis per aliã vſque ad vltimã, & per illã ad paſſum; ſed per omnes ſimul vnitas per modũ vnius agentis agit immediatè in mediũ extrinſecum, vel in paſſum ſibi approximatũ; & ideo licet aliqua pars agentis ſit affecta aliquo gradu qualitatis contrariæ, non eſt neceſſarium, quòd agẽs prius agat per alias partes proprias in illam ad expulſionem talis gradus, quàm agat in paſſum, vel medium extrinſecum: nã illa pars non eſt ſibi medium agendi in paſſum, ſed immediatè agit in illud per omnes ad
158 modum vnius agentis concurrentis. Gratia exempli, ſi aliqua pars aquæ ſit calefacta vno gradu caloris, & ei approximetur aliud calidum, in quo poſſit agere, non eſt neceſſarium quòd prius expellat à ſe vnum illum gradum caloris, quam agat in calidum extrinſecũ, quia non agit in illud trãſmittendo actionem

nem per partē illā calefactam, ſed per illam, & alias vnitas per modum vnius agentis frigidi immediatè agit: poſt actionem vero in calidum, illo iam ſuperato, vel ſeparato expellet omnino gradum illum caloris ab illa parte virtute propriæ ſubſtantiæ, à qua ēmanabit gradus frigiditatis amiſſæ. Et ita non impeditur aqua ab illa parte calefacta, quin poſſit agere in calidum ſibi approximatum. Huic ſolutioni addo aliā, quod etiā ſi pars proxima aquæ poſſet agere in eādem partē calefactam ab ignē per repaſſionē, impeditur tamen ab eodē igne reagente; vnde propter hoc impedimentum non expellitur ab illa gradus caloris ei impreſſus, quamdiu durat actio, & reactio, nec proinde mouetur motibus contrarijs. Eodem modo reſpondendum eſt ad poſteriorem experientiam ſecundi argumenti de calido agente in frigidum, & habente vnam partem tātum intra ſphæram actiuitatis eius, ſed totum ipſum frigidum intra propriam contentumtum, vt conſideranti eſt manifeſtum.

Solum reſtat ſoluendum ſecundum argumentum. Quantum 159
ad priorem eius partem, in qua adducitur alia experientia de medio extrinſeco, nempe aëre, per quem ignis agat in aquam. Ad cuius ſolutionem tamquam certum præſupponendum eſt actionem, & reactionem non dari, niſi inter vltimum agens, & paſſum: vltimum vero agens eſt illud, quod immediatè tangit paſſum, & ideo ſolum immediatum agens repati poteſt. Ita docet expreſſe Ariſtoteles text. 53. huius libri; quod probauit in ſanatione; nam medicus, inquit, per artem ſanat infirmum, ſed nihil repatitur in actione ſanandi, quia ipſe per ſe non tangit paſſum, ſed medicamentum tangens per ſe repatitur. Vnde ſequitur impoſſibile eſſe, quòd agens per medium repatiatur à paſſo, niſi ſimul cum medio per modum vnius agentis agat in ipſum; tunc enim immediatum, & vltimum agens erit, & ideo repati poterit. Hoc igitur ſuppoſito, argumentum affert exemplum de igne agente in aquam medio aëre. Vt autem vniuerſalis ſit ſolutio de omni agente per medium, notandum eſt; medium tribus modis ſe habere poſſe, nam vel nudum eſt vtraque qualitate contraria, per quam duo corpora agunt, & patiuntur vel vtraque affectum eſt, vel altera tantum: & primum non eſt naturaliter poſſibile propter ordinem, ac diſpoſitionem corporum naturalium ſimplicium, qualia ſunt elementa: vel mixtorum, quæ ex eis componuntur, aliqua enim qualitate contrāria, vel vtraq; neceſſario debēt affici. Si vero daretur ſuper naturaliter caſus, in quo corpus medium neutrā qualitatē contrariam haberet, ſed vtriuſque eſſet capax (quod ad actionē, & reactionē neceſſariū eſt) tunc vtrūque extremū, nempe agens,

& paſſum

& passum agerent simul in medium, quoúsque in eo producerent vtramque qualitatem, in tota ea intensione, in qua non sunt incompossibiles in eodem subiecto, vel in eadem parte eius;nam secundum hos gradus intensionis non se expellunt ab
160 eodem subiecto, vel eius parte; & toto tempore, quo agunt simul in medio,neutrum extremum repatitur ab alio,quia neutrum est agens vltimum,vel immediatum in aliud;sed ad summum repatientur aliquid à medio incipiente habere vtramque qualitatem, & per singulas poterit aliquid reagere in vtrumque extremum contrarium. Itaque toto hoc tempore mouebitur medium motibus non contrariis simpliciter, sed secundum quid,quod non repugnat;quia sicut qualitates contrariorum in tali gradu non sunt incompossibiles in eodem subiecto, ita nec motus, per quos producuntur, quia contrarietas motuum ex contrarietate terminorum desumenda est,& ex consequenti compossibilitas eorum in eodem subiecto: sicut ergo termini non sunt incompossibiles in eodem gradu,ita nec motus.Postquam verò medium peruenerit ad hos gradus,neutrum extremum circa illud agere poterit: sed quodlibet cum eodem medio sibi coniuncto,in quantum propria qualitate affecto per modũ vnius agentis aget,vel reaget immediatè in aliud:& tunc patet non sequi quòd mediũ moueatur simul motibus contrariis,quia nõ datur actio per mediũ,sed solum immediata vnius extremi in alterũ:medium vero per diuersas qualitates coniungitur vtrique, & per modum vnius agentis agit in aliud, & ab extremo potẽtiori nihil recipit,sed solum cum eo agit per qualitatem iam receptam,ab alio vero aliquid repatitur, & recipit, ideo non mouetur motibus contrariis, nec est possibile in casu isto,quia euidẽter sequeretur simul intendi, & remitti eamdem qualitatem eius,nempe calorem, vel frigus: nam si frigefit ab aqua:ergo intenditur frigiditas eius: & si simul calefit ab igne, cũ latitudo gradualis vtrius qualitatis iam sit in eo adimpleta, non potest recipere calorem nouũ sine expulsione,aut remissione frigiditatis,quæ ideo simul in eo intenderur,& remittetur:& consequenter simul erit maior,& minor:quod repugnat.Itaque totum calidum per modũ vnius agentis agit in frigidum,& totum frigidnm per modũ vnius agentis agit in calidum. Nec est necessarium,vt totum calidum prius expellat à se frigiditatem, quam habebat mediũ sibi coniunctũ ad agendũ,nec etiã totum frigidum expellat calorẽ eiusdem medij sibi cõiuncti,quia non agit totũ calidum in frigidũ transmittendo actionem per suas partes ad passum, sed immediatè coniunguntur omnes partes eius ad agendum in illud:& eadẽ ratione totum frigidum non

reagit

Digitized by Google

reagit in calidum transmittendo reactionem per suas partes; sed partes omnes simul vnitæ per modum vnius agentis reagunt immediatè in calidum, vt superius explicatum est.

Si vero medium à principio fuerit affectum vtraque quali- 161
tate contraria, eodem modo sentiendum est; nam vel habet eas in eo gradu, vltra quem sunt iam incompossibiles, & tunc nec agens, nec passum poterunt agere in mediũ, vt in passum à quolibet distinctum; sed agens simul cum eo sibi coniuncto, vt habente propriam qualitatem per modum vnius agentis aget immediatè in passum, & hoc cum eodem medio sibi coniuncto, vt habente propriam qualitatem per modum vnius agentis reaget in idemmet agens. Et ita etiam patet, quod si medium hoc modo se habeat non mouebitur motibus contrariis per actionem, & reactionem extremorum, sed vno tantum motu repassionis à minori contraria. Si vero eas habuerit in minori gradu poterit, tam agens, quam passum in illud agere quousque ad illum gradum perueniant qualitates ipsæ contrariæ in eo, vt in maiori intensione sint incompossibiles, & non mouebitur simul motibus contrariis simpliciter, sed tantum secundum quid; & ideo possibiles simul in eodem subiecto, sicut & qualitates ad quas terminantur in eodem gradu simul esse possunt.

Et si tandem medium ita se habeat, vt vna tantum, vel altera 162
qualitate contraria afficiatur, quo pacto se habet aër medius inter ignem, & aquam; habet enim summam humiditatem, & prope summum calorem; dicendum est ignem, & aquam posse simul agere circa ipsum, quousque intensio caloris, quæ ei deficit vsque ad octauum gradum impleatur partim per intensiorem calorem, & partim per aliquid frigiditatis ei impressum. Nam quousque impleta sit latitudo ex vtraque qualitate non necessariò vnum contrarium expellit aliud; post impletam vero vtrumque extremum illud sibi coniunget, vt affectum sua qualitate ad agendum in aliud per modum vnius agentis, & ideo solum repatietur à debiliori extremo, tamquam aliquid alterius, & solum mouebitur vno motu repassionis, non duobus, neque contrariis.

CAPVT X.

De Mixtione.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Reliquum autem est considerare de mixtione, &c.

Breuis expositio textus.

OMnia, quæ de actione, & passione disputauit Aristot. per quatuor capita præcedentia ordinata sunt ad intelligendam naturam mixtionis; hæc verò cum sit generatio quædam vnius ex multis concurrentibus ordinatur ad intelligendam naturam generationis, quæ huius libri, & totius operis scopus est. Intentum igitur huius vltimi capitis est, inuestigare naturam mixtionis. Diuiditur autem in tres partes; prima propositis his, quæ ad intelligendam naturam mixtionis explicari debent, docet dari mixtionem in rerum natura; eam distinguens à cæteris mutationibus; refutata prius quorumdam sententia mixtionem omnino negantium, & soluto eorum argumento, quo id probare contendebant. In secunda explicat modum, quo fiat mixtio ex propria sententia refutatis prius sententiis aliorum. In tertia tandem colligit, quid sit mistibile, & quid sit mixtio.

Circa primum asserit quinque esse explicanda de mixtione, vt benè eius natura intelligatur. Primum, quid mixtio sit? Secundum, quid sit miscibile, hoc est, qualia esse debeant ea, ex quibus mixtio fieri debet? Tertium, in quibusnam rebus mixtio reperiatur, seu quibus conueniat? Quartum, quonam modo fiat mixtio? Postremum, an sit in rerum natura? Incipit autem hæc explicare ab vltimo, quia secundum ordinem scientificum, primum, quod ad scientiam cuiuslibet rei consequendam debet præsupponi, est rem illam esse, hoc est, esse possibilem.

1 Circa possibilitatem autem mixtionis non defuerunt, qui eam omnino negarent, propter hoc argumentum. Si mixtio sit possibilis, plura debent ad eam concurrere; vel ergo plura illa ita se habent, vt in mixtione ipsa permaneat vtrumque, vel vtrumque corrumpatur, vel vnum permaneat, & corrumpatur alterum: si integra permaneant, non magis dicentur miscerì nunc, quam prius. Probatur, quia eodem modo se habent, sicut prius se habebant; sed prius non miscebantur: ergo neque nunc miscentur. Et idem sequitur, si vnum eorum permanet, & alterum desinit esse: nam manifestum est, rem actu existentem non miscerì cum re non existente: si verò vtrumque desinat, multo minus verum erit, quòd misceantur; quia ea, quæ desinunt, miscerì non possunt; sed ad summum dicentur corrumpi. Hoc tamen non obstante asserit Arist. possibilem esse mixtionem. Vt autem id ostendat, distinguit illam à cæteris mutationibus. Et primò, quod non sit generatio, probat hoc argumento. Quando vnum generatur ex altero, vt ignis ex ligno, nec dicimus, nec verũ est, quòd ignis admisceatur ligno, vel lignum igni;

igni; ſed ſolum, quòd vnum fiat ex altero: ergo mixtio diuerſum quid eſt à generatione, & corruptione. Probat deinde primo, mixtionem non eſſe alterationem, vel augmẽtationem hoc modo. Illa, quæ augentur, & alterantur integra permanent ante, & poſt augmentationem, & alterationem; immo & in augmentatione, & alteratione ipſa; ſed quæ miſcentur non poſſunt integra permanere, vt probatum eſt: ergo mixtio non poteſt eſſe alteratio, nec augmentatio. Et eadem ratione ait probari, nec accidẽtia miſceri cum ſubiectis, nec inter ſeſe, vt albedo cum corpore, aut cum nigredine, quia poſtquam accidens coniunctũ eſt cum ſubiecto, vel cum alio accidẽti in eodem ſubiecto ſalua, & integra manent, vt per ſe eſt manifeſtum. Suppoſita diſtinctione mixtionis à reliquis mutationibus, probat eſſe poſſibilem: quia ea, quæ ſunt, alia ſunt in actu, alia vero in potentia, vel in virtute: ſed poſſibile eſt miſcibilia, vt elementa ita cõcurrere ad mixtionem, vt deſinant eſſe actu; permaneant verò in virtute, hoc eſt per virtutes ſuas, quæ ſunt qualitates propriæ, per quas concurrunt ad mixtionem, vt ignis per ſuum calorem, & per ſuam frigiditatem aqua: ergo poſſibile erit quod miſceantur ad componendum mixtũ. Et hæc eadem diſtinctio ſoluit argumentũ propoſitum: nam ea, quæ miſcentur, nec permanent ſecundum eſſe actuale, neque omnino deſinunt eſſe, ſed ſecundum virtutem, vel potentiam: iſte autem modus permanendi poſtea explicabitur.

In ſecunda parte explicat modum, quo fiat mixtio. Primò quidem ex aliorum Philoſophorũ ſententia; deinde ex propria. Duplex fuit opinio eo tempore de modo, quo mixtio fiat. Prima eorum, qui putarunt mixtionem fieri ex corporibus in tam minimas particulas diuiſis, quæ licet ſecundum ſe poſſint eſſe minores, non tamen ſecundũ apparentiam ſenſus; quia non poteſt eas ita minimas percipere: & has minimas particulas aiunt ſecundum ſe totas; vel omni ex parte ad inuicem iuxta poni, & per talem iuxta poſitionem permiſceri, quia ſenſus non poteſt percipere ſeparationem earum, & ideo iudicat eſſe permixtas. Exemplũ aſſignare poſſumus in farina tritici, & hordei permixtis; nam farina non eſt aliud, quàm granũ ita in minimas partes diuiſum, aut conciſſum, vt eas ſenſus non poſſit diſcernere. Alij vero dixerunt mixtionem corporum fieri ex partibus minimis non ſolum ſecundum ſenſum, ſed etiam ſecundum materiam, & ſubſtantiã ipſam, vt non ſint amplius diuiſibiles, nec ideo poſſint dari minores. Quæ quidem omni ex parte iuxta poſitę dicuntur permiſceri: & hoc modo dicunt tam iſti, quã illi permiſceri elementa in minimas partes diuiſa, aut ſecundũ ſenſum tãtum, aut ſecundũ materiã, & veritatem rei. Sed vtramq; opinionẽ reijcit

Ariſt. primo, argumento communi aduerſus vtramque, deinde ſingulis argumentis refutando ſingulas. Probat ergo vtramque eſſe falſam hoc modo. Si mixtio ex minimis illis partibus viciſſim iuxta poſitis fieret, non eſſet vera mixtio, ſed potius compoſitio cuiuſdam acerui minorum corporum. Probatur conſequentia; primo, quia licet adeo exigua ſint, quodlibet permanet integrum, atque ſeparatum ab alio ſecundum ſitum, quamuis ſenſus non percipiat talem ſeparationem: ergo coaceruata potius, quam permixta dicentur. Secundò, quia iam mixtum non eſſet homiomeron, ſeu homogeneum in ratione mixti, ita vt quælibet pars eius eſſet mixta, ſicut quælibet pars aquæ eſt aqua: probatur conſequentia, quia partes miſcibilium diſtinctæ, & ſeparatæ permanent, quamuis diſtinctio, & ſeparatio ſenſu non percipiatur. Conſequens autem falſum eſt, quia ratio mixti æquè debet conuenire toti, & partibus, vt per ſe eſt manifeſtum.

4 Probat deinde primam opinionem eſſe falſam, quia ſi mixtio tantum fieret ad ſenſum, ſequeretur reſpectu vnius eſſe mixtionem, eius videlicet, qui ſeparationem miſcibilium non perciperet, & reſpectu alterius acutiorem viſum habentis, eamque perſpicientis non eſſe mixtionem; quod patet eſſe abſurdum, quia non eſſet mixtio vera res, ſed apparens; naturalia vero non ex apparientia iudicanda ſunt, ſed ex vera earum natura. Probat tandem falſam eſſe ſecundam opinionem hoc modo. Corpus naturale, cum ſit continuum, debet eſſe diuiſibile in infinitum hoc eſt, in ſemper diuiſibilia: ergo repugnat diuidi in tam minimas partes, quę non ſint amplius diuiſibiles, alioqui ex indiuiſibilibus componeretur tamquam ex partibus, quod 6. Phyſ. probatum eſt repugnare. Et etiam ſi tales partes indiuiſibiles darentur ſimul concurrentes, vt aſſerit hæc ſententia; talis concurſus non eſſet mixtio, ſed congregatio, ſeu coaceruatio multorum indiuiſibilium.

His ſententiis refutatis oſtendit ex propria quonam modo fiat vera, & naturalis mixtio; ad id autem oſtendendum, declarat prius, in quibuſnam rebus mixtio reperiatur, aut qualia debent eſſe, quæ miſcentur, ac diſtinctione præmiſſa, corpora naturalia quædam ſunt mutuo actiua, & paſſiua, hoc eſt, quæ agunt in alia, & ſimul ab eis patiuntur, vt elementa, & vniuerſaliter corpora omnia, quæ habent materiam eiuſdem rationis: alia, quæ agunt quidem in alia, ſed ab eis non patiuntur, vt corpora cœleſtia. Et hæc miſceri non poſſunt, ſed illa tantum. Vnde Medicinæ ars & ſanitas non poſſunt miſceri, quia licet ab illa producatur hæc, non tamen ab hac patitur. Hæc autem conditio

non

Digitized by Google

non ſufficit, ſed requiritur ſecunda, nempe, quod facile poſſint diuidi, aut comminui. Vnde lapis, & ferrum non miſcentur. Tertia conditio eſt, vt non ſint magna, nec multa, ſed parua quidem, & pauca: nam ex magna rerum multitudine, vel ex magnis corporibus difficile poteſt mixtio fieri, quia difficile alterantur. Eo autem modo, inquit, miſceri debent, vt proportionem habeant ſecundum actiuitatem, & reſiſtentiam, ita vt actiuitas vnius non multum ſuperet reſiſtentiam alterius, quia parum poterunt admiſceri; ſed ſi coniungantur; facile vnum deſtruet alterum, & in ſe conuertet, vel in res alias reſoluet, & ita non fiet mixtio, ſed generatio, & corruptio, à quibus oſtenſum 5
eſt mixtionem diſtingui; vt ſi gutta aquæ multis vini amphoris ſuperinfundatur, ſtatim in vnium conuertetur; & modo ſimili, dum ſimul liquefiunt ſtannum, & æs; hoc illud reſoluit in vapores, ita vt nihil ferè de illo præter calorem relinquatur, quia actiuitas æris multum ſuperat reſiſtentiam ſtanni. Ex quibus colligit facilius miſceri humida, quia facile diuiduntur, & ſeſe accommodant termino alieno, nempe vaſis, vel alterius rei ſolidæ; dummodo inquit non ſint viſcoſa, vt oleum, mel, pinguedo; quæ quidem difficile penetrari poſſunt, & ideo difficile etiam admiſcentur.

His explicatis, iam in vltima parte docet quid ſit miſtile, vel miſcibile, atque etiam quid ſit miſtio. Miſcibile ait eſſe illud, quod agit, & repatitur, & facile diuidi poteſt: miſtio vero eſt miſcibilium alteratorum vnio, & hæc in litera.

TRACTATVS DE NATVRA, ET RATIONE MIXTIONIS.

HÆc ſunt diſputanda de mixtione, vt natura, & ratio eius perfectè intelligatur, an mixtio ſit, vel an ſit poſſibilis? Secundo quid ſit? Tertio, quomodo diſtinguatur à generatione, & cæteris motibus, vel mutationibus? Quarto, quæ ſit cauſa propria, & per ſe eius? Quinto, an elementa maneant in mixto ſecundum proprias formas ſubſtantiales? Sexto, an maneant ſaltem quantum ad proprias formas accidentales, quæ vocantur virtutes? Cætera enim, quæ ad temperamenta mixtorum pertinent, in ſecundo libro diſputabuntur.

Digitized by Google

QVÆSTIO I.

An mixtio ſit, vel an ſit poſſibilis.

6 PRimò oportet explicare, quid mixtionis nomine intelligatur, vt poſſimus ad cætera explicanda procedere. Mixtio igitur ſignificat actionem quamdam, per quam plura corpora confuſa quadam ratione coniunguntur; vt patet dum aqua admiſcetur vino: coniunguntur enim duo iſti liquores confuſa ratione; ita vt quamuis diſtincta permaneant ſecundum entitates reales, quamdiu vnum non conuertitur in alterum, vel vtrumque in tertium, non tamen manent ſeparata, ſed confuſa ratione coniuncta, ſeu permixta. Mixtio autem duplex eſt, vt colligitur ex Ariſtotele capite præſenti: vna per quam multa corpora, vel multæ particulæ eorum confuſa ratione coniunguntur ſolum ſecundum approximationem localem; immutata vero permanent ſecundum ſubſtantiam: quo pacto farina ex granis tritici, & hordei ſimul conciſſis mixtum vocatur. Et hæc eſt acceptio impropria mixtionis; quia aggregatum tantum ex miſcibilibus vocatur mixtum; non tamen quælibet pars eius: immo ſeparabiles ſunt ſecundum ſe partes cuiuſlibet corporis inter ſeſe, vt partes tritici à partibus hordei. Ex quo plane colligitur non eſſe quamlibet mixtam, quia non quælibet continet partes vtriuſque grani. Et hanc ſolam mixtionem videntur poſuiſſe antiquiores illi Philoſophi, quos refutat Ariſt. capite præſenti. Ideo ſecundo modo accipitur propriè pro vnione corporum, vel partium, ex qua media eorum alteratione, & corruptione reſultat aliquid vnum ſubſtantiale diſtinctum ab omnibus. Quæſtio igitur non procedit de mixtione impropria, quia dubium eſſe non poteſt, quin illa detur in rebus; cum videamus grana diuerſæ ſpeciei permiſceri, vel confundi in eodem aggregato, integra quidem, vel in minutiſſimas particulas conciſſa. De ſola ergo mixtione propria dubitamus, an detur in rerum natura, vel dari poſſit?

7 Et prima opinio aſſerit mixtionem eſſe naturaliter impoſſibilem, nam licet dentur plura corpora mixta, quorum formæ ſubſtantiales poſtulant primas qualitates in certo gradu attemperatas pro diſpoſitionibus, ſed repugnat mixta hęc fieri immediatè ex materia elementorum, niſi prius præcedat ſub alia forma mixti. Hanc opinionẽ citat Tolet. 1. lib. de gener. q. vltima. Probari tamen poteſt primo; quia, vt mixtum fiat immediatè ex elementis per veram mixtionem, neceſſe eſt elementa ipſa concurrere per ſe immediatè, ſimulque applicari ad agendum, &

patien

patiendum,vt per talem actionem, & reactionem ſe corrumpant, & in materia eorum introducatur forma mixti, ſed talis concurſus elementorum eſt impoſſibilis:ergo impoſſibilis erit mixtio. Probatur minor, nam vel ipſamet elementa concurrent ad vnum aliquem locum per motus naturales ex propriis inclinationibus procedentes, vel ab aliqua alia cauſa extrinſeca mota, & quaſi attracta ad talem locũ. Sed vterq; modus conueniendi eſt impoſſibilis:ergo etiam mixtio. Minorem probo quantum ad primum modũ,quia repugnat omnia quatuor elementa moueri ad locum aliquem determinatum propria inclinatione:nam ſi eſſet ſurſum,non poſſent moueri ad illum naturaliter grauia: ſi deorſum, non poſſent moueri leuia: & ſi eſſet medius,repugnaret moueri ad illum naturaliter extrema,vt per ſe eſt manifeſtum.Quantum vero ad ſecundum modum probatur eſſe impoſſibilem,quia non poſſunt moueri ab aliqua cauſa extrinſeca, niſi vniuerſali;ſed ab hac non mouentur:ergo à nulla.Probatur minor;cauſa vniuerſalis non mouet inferiora corpora, niſi pro bono vniuerſali in mundo neceſſario requiſito:ſed mixtio non eſt neceſſaria pro bono vniuerſali:ergo confictum prorſus eſt.& ſine fundamẽto excogitare quod a cauſa vniuerſali deducantur elementa quaſi ad locũ certaminis,vt in eo agant,& patiantur, ac ſe corrumpant.Probatur minor ex duobus.Ex primo quidem, quia mixtio non poteſt eſſe neceſſaria in mundo, niſi ad productionem corporum mixtorum, ſed hæc poſſunt ſine mixtione produci, & ſine interuentu elementorũ ex materia aliorum mixtorum,& ſic reuera producuntur,vt patet de quibuſcumque mixtis viuentibus,atque etiam de non viuentibus:ergo non eſt vllo modo neceſſaria. Ex ſecundo vero, quia ſi mixtio eſſet ne- 8
ceſſaria ad commune bonum mundi per talem concurſum elementorum facienda,videremus aliquando elementa cõcurrere, ſed numquam vidit aliquis in aliquo mundi loco elementa omnia concurrere ad mixtionem:ergo euidens ſignũ eſt talem concurſum non eſſe neceſſarium. Probatur minor, quia numquam vidimus ſuper terram, vel aquam quatuor elementa in loco aliquo coniuncta:quod vero ſub aquis, vel ſub terra coniungantur,difficilius multo eſt,quia elementum ignis non poteſt ad loca ſubterranea deſcendere,vel in eis detineri.

Secundo, quia etiam ſi elementa omnia ſimul concurrerent, repugnat per talem concurſum fieri mixtionem: ergo non eſt poſſibilis. Probatur antecedens, quia naturaliter eſt impoſſibile quod in tali proportione applicentur, in qua non corrumpatur aliquod eorum à ſuo contrario,prius quàm alia,cum tam diuerſa ſit actiuitas, & reſiſtentia eorum: ergo naturaliter

eſt impoſſibile,quod ſimul omnia ſe corrumpant,vt in materia eorum ſuccedat forma mixti.

Secunda ſententia tenet mixtionem propriam eſſe naturaliter poſſibilem ; atque etiam dari in rerum natura:Ita Ariſtoteles expreſſe capite præſenti , & omnes eius interpretes : ita etiam omnes fere ſcholaſtici Doctores in 4. diſt. 12. & 13. & Diuus Thomas non ſolum his locis ſed 3.p.q.77.art.8.vbi ſupponunt diuerſos liquores , & contrarias qualitates habentes in ea quantitate miſceri poſſe, vt ita vnum agat in alterum, & ab eo repatiatur,quod neutrum conuertat in ſe alterum : ſed dum ad certas diſpoſitiones materia vtriuſque peruenit , diſconuenientes quidem naturæ vtriuſque,ſed conuenientes formæ alicuius tertij formam huius in eam introduci , & tertium mixtum ex vtroque generari,& hæc eſt vera,& tenenda. Quam his tribus concluſionibus explico. Prima eſt, naturaliter loquendo numquam dari mixtionem ex concurſu omnium elementorum factam,hanc tenent omnes fere recentiores , & eam ſic probo,quamuis tria elementa,nempe aër, aqua, & terra poſſint naturaliter congregari ad generationem mixti,repugnat tamen congregari ignem ſiue in terra,ſiue in aëre:ergo numquam datur mixtio per congregationem quatuor elementorum facta. Probatur antecedens,quia ad aquam , & terram non poteſt naturaliter deſcendere ignis,cum motus deorſum ſit contra inclinationem eius;& eadem ratione , neque ad locum aëris : quod vero dicitur à cauſa vniuerſali adduci ignem etiam per motum deorſum:ſine fundamento dicitur ; quia talis deſcenſus non eſt neceſſarius ad bonum commune vniuerſi,cum conſtet ſine igne poſſe mixta generari per calorem Solis:ergo nõ fit à cauſa vniuerſali.Probatur conſequentia,quia vniuerſales cauſæ non mouent corpora ſublunaria contra propriam inclinationem ; niſi forte pro bono vniuerſali neceſſarius ſit talis motus, vt ad impediendum vacuũ;nec in ipſis corporibus poteſt poni inclinatio aliqua ad tales motus, niſi forte in ordine ad eumdẽ finem ſint neceſſarij.Quod vero fulgura deſcendere videamus,non probat ignẽ deſcendere,ſed ſolum ignitã exhalationẽ:hoc eſt calidiſſimã,quæ non eſt ignis elementaris, ſed mixtum quoddam,ſicut etiã flamma(quam vulgo ignem vocat) vt docet expreſſe Ariſt. 1.Metheor.ſumma 2.c.1.non eſt ignis,ſed fumus accenſus.

10 Secunda aſſertio, ſi quatuor elementa per diuinam virtutem congregarentur in vnum locum in certa, ac determinata proportione,atque in particulas diuiſa:verè,& propriè commiſceri poſſent,& per mutuam actionẽ, & reactionem ad talẽ gradum diſpoſitionũ peruenire,vt omnia corrumperentur,& in materia

eorum

eorum noua forma mixti introduceretur iuxta exigentiam talium diſpoſitionum. Probatur ratione, & experientia: Ratione quidem,nam talis diſpoſitio conueniens formæ mixti nulla ratione efficaci probatur impoſſibilis ; immo ex multis combinationibus primarum qualitatum ſecundum diuerſum gradum,& proportionem earum , vna, & plures dari poſſunt , quæ formæ alicuius mixti , vni , vel alteri elemento magis ſimili, quàm aliis naturaliter conueniat:& ex alia parte ita ſit diſconueniens omnibus formis elementorum vt cum ea non poſſint in ſuis materiis conſeruari. Tunc ergo naturaliter conſequitur in materiis omnium ſic diſpoſitis talis forma mixti,& in ea vniuntur ad compoſitionem eius. Experientia verò probatur, quia videmus ex aqua , terra , & aëre ſimul concurrentibus generari imperfecta animalia, atque etiam vapores,& exhalationes,de quibus ſuo loco oſtendemus non eſſe elementa ſubſtantialiter,ſed mixta:ergo ſicut duo,vel tria hæc elementa concurrere poſſunt ad propriam mixtionem,ita proportionata ſecundum actiuitatem,& reſiſtentiam , vt per mutuam actionem , & reactionem ſeſe corrumpant;& talis diſpoſitio ex hoc relinquatur in eorum materiis , quam naturaliter conſequatur forma mixti ; ita poterunt concurrere quatuor , ſi adeo applicentur. Quare mixtio ex concurſu omnium elementorum poſſibilis cenſeri debet,quamuis non concurrant omnia naturaliter.

Tertia aſſertio , non ſolum eſt poſſibilis mixtio naturaliter 11
ex concurſu duorum , vel trium elementorum, ſed ſæpe datur. Hanc probat experientia adducta de generatione animaliuin imperfectorum ex putrefactione terræ , & concurſu aquæ , & aëris : quam videmus fieri vigente pluuia æſtiuo præſertim tempore : atque etiam de generatione vaporum, & exhalationum ex aëre , & terra permixtis. Probatur deinde ex mixtione liquorum,vt aquæ,& vini,de quibus ſatis probabile eſt,vt inferius oſtendetur,ſic miſceri poſſe ſecundum quantitatem,& qualitatem,vt neutrum in ſe conuertat alterum, ſed ambo conuertantur in tertium per mutuam actionem , & reactionem , non quidem ſtatim , ſed poſt aliquod tempus : quorum mixtio ſatis propria eſt , cum ei conueniant omnes conditiones ab Ariſtotele aſſignatæ. Vtérque enim liquor verè,& propriè miſcibilis eſt,& quodlibet permeat,vel peruadit alterum, eúmque alterat, & tandem vniuntur in eadem forma mixti ſuperuenientis expulſis propriis : permanéntque in eodem mixto genito non ſecundum actum,ſed ſecundū aliquam virtutem propriam. Probatur tandem alia experientia aquæ , & terræ , atque etiam aëris,ex quibus ſimul concurrentibus , & per mutuam actionem,

& reactionem corruptis generatur alimentum plantarum, quod est succus quidam, ex quo aluntur, qui absque dubio diuersam habet naturam ab eis, & ideo non est elementum, sed mixtum: ergo non solum est possibilis mixtio propria, sed sæpe datur in natura rerum. Et iuxta has conditiones intelligi debet sententia Aristotelis, & communis: numquam enim Aristoteles dixit omnia elementa simul concurrere ad mixtionem, sed indefinitè locutus est; intelligens omnia, vel saltem plura concurrere, & ex eis mixtionem fieri, atque etiam ex vno elemento, & alio corpore mixto, aut etiam ex pluribus mixtis seruatis propriæ mistionis legibus. Et ex his assertionibus constat solutum esse primum argumentum pro contraria opinione positũ: probat enim de solo igne non posse naturaliter descendere ad loca aliorum elementorum, nec talem descensum esse necessarium, quod prima assertio nostra concedit.

12 Ad secundum negandum est antecedens, quòd repugnet in tali quantitate, & proportione applicari elementa secundum actiuitatem, & resistentiam, quod nõ prius corrumpatur vnum, quam cætera, nam cum tanta sit latitudo intensionis in qualitatibus elementorum, & tot possint combinationes ex eis fieri secundum diuersas proportiones actiuitatis, & resistentię singulorum, facile intelligitur, quod sic possint applicari, vt omnia corrumpantur simul, & materiæ eorũ permaneant dispositæ pro forma mixti introducenda, in qua vniantur substantialiter.

QVÆSTIO II.

Quidnam mixtio sit, & quomodo distinguatur à generatione, & cæteris mutationibus?

13 CIrca primum de quidditate mixtionis Aristoteles capite præsenti in fine, ita eam definit, *Mixtio est miscibilium alteratorum vnio.* Quam definitionem vitiosam esse affirmat Scaliger exercitatione tertia, idque probat duplici argumento. Primò, quia vitium definiendi est ignotum per aliud non minus ignotum explicare, hoc enim modo numquã poterit cognosci definitum; sed ita explicat Aristoteles sua definitione mixtionem: ergo vitiosa erit. Probatur minor, quia mixtionem definit per miscibile ita incognitum sicut eadem mixtio. Secundo, quia in tali modo definiendi committitur vitiosus quidam circulus: ergo vitiosus censeri debet. Antecedẽs probatur, nã mixtio definitur per miscibile, & miscibile nõ potest definiri, nisi per eamdem mixtionem: ergo committitur circulus vitiosus. Probatur

conse

consequentia,quia de primo ad vltimũ sequitur idẽ per semetipsũ definiri : quia si mixtio definitur per miscibile,& hoc rursus per eandem mixtionem:ergo mixtio definitur per seipsam.

Nostra tamen sententia est, definitionem mixtionis tradi- 14
tam ab Aristotele esse bonam. Ita sentiunt omnes eius interpretes in eodem capite,& ex eius explicatione probabitur.Notandum igitur est tria reperiri in mixtione.Primum est localis coniunctio eorum, quæ miscenda sunt, vt liquorum,aut elementorum, in quorum congregatione quodlibet interfecat aliud secundum suas partes;quod necessarium est ad perfectam mixtionem. Secundum est mutua eorum alteratio, nam cum contraria sint, & sibi inuicem approximata, vicissim quoque agunt,& repatiuntur,actio autem, & reactio alterationes sunt, per quas singulorum materiæ disponuntur in eo gradu,& proportione,quam requirit forma mixti introducenda,& quæ sufficit ad corruptionem eorum.Ideo sequitur introductio formę mixti,& hæc est tertium, atque præcipuum, quod in mxitione includitur,& ad quod duo alia ordinantur. Hæc autem introductio formæ mixti dicit vnionem substantialẽ elementorum secundum materias proprias, quæ est quædã substantialis continuatio per propria indiuisibilia,atq; per quam ex omnibus fit vna numero materia.dicit præterea vnionẽ huius materiæ continuatæ cum forma substantiali mixti,quæ in ea introducitur,& ex hac vnione resultat mixtum per se primo productũ per mixtionem tamquam proprius terminus eius.Et hæc tria explicuit Aristoteles tribus verbis, quibus continetur definitio eius, ait enim,*Mixtio est miscibilium alteratorum vnio*,id est,substantialis coniunctio miscibiliũ,quæ congregantur localiter,& disponuncur per alterationem. Vnio autem substantialis eorum per proprias materias mutuis alterationibus dispositas, & eadẽ forma mixti informatas dicit productionem substantialem mixti. Hanc autem explicationẽ Aristotelis sic possumus ad formam definitionis reducere : *Mixtio est mutatio substantialis, per quam producitur corpus mixtum ex miscibilibus congregatis, & per mutuam alterationem dispositis, atque corruptis.* In qua definitione 15
tria ponuntur,nempe mutatio substãtialis:& terminus à quo,& ad quem eius:terminus ad quem est corpus mixtũ per eam productum:terminus verò à quo sunt miscibilia congregata per alterationẽ disposita,atque corrupta;non enim sufficeret quomodocumque disponi, vel alterari,nisi per talem alterationem, & dispositionem corrumperentur, vt sic posset in earum materiis vnitis forma mixti introduci.Pro genere verò eiusdẽ definitionis ponitur.*Mutatio substantialis*,vt per eam censeantur excluſæ

omnes

omnes mutationes accidentales, vt ſunt alteratio, augmentatio, atque etiam productiones ſubſtantiales, quæ non ſunt mutationes, vt creatio alicuius ſubſtãtiæ. Per ſecundã particulam, nempe, *Corpus mixtum*, excluduntur generationes elementorũ, quæ quotidie fiunt, dum vnum elementum aliquã partem alterius in ſe conuertit. Per reliquas verò particulas excluduntur generationes aliæ mixtorũ corporum, quæ ex alijs mixtis ſine congregatione aliqua, vel alteratione miſcibilium corporum producuntur, vt ſunt generationes viuentium ex ſemine productorum, atque etiam non viuentium, quę ex materia alterius mixti ſimpliciter generantur: licèt enim hæc omnia verè ſint corpora mixta, in quibus virtute, vel potentia continentur elementa; productio tamen eorum non eſt mixtio ſaltem ſecundum totalem, & completam rationem eius per hanc definitionem explicatam ab Ariſtotele.

Ex hac autem explicatione poſſumus colligere argumentũ, quo probatur bonam eſſe definitionem Ariſtotelis hoc modo. Bona definitio eſt ea, per quam explicatur natura definiti, & diſtinguitur à quibuſcumque alijs; ſed talis eſt definitio Ariſtotelis, vt ex prædicta explicatione patet, per quam excluſæ ſunt omnes aliæ actiones, & mutationes tam ſubſtantiales, quam accidentales: ergo non debet vitioſa appellari, ſed bona.

16 Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ neganda eſt minor, quod mixtio definiatur ab Ariſtotele per aliquid ignotum, quia prius quam mixtionem definiſſet explicuit quidnam miſcibile ſit, vnde iam notum erat dum per illud definita eſt mixtio. Ad ſecundum reſpondent aliqui mixtionẽ, & miſcibile eſſe relatiua; in relatiuis vero nullum eſſe inconueniens, immo & neceſſarium, quod vnum definiatur per alterum. Sed alijs non placet hæc ſolutio, quia etiam in relatiuis magnum eſt inconueniens, vnum definiri per alterum, cum ſequatur vitioſus circulus, atque etiã nugatio, & inutilis repetitio, vt in Dialectica probatur. Ideo reſpondent ipſi, miſcibile duobus modis ſumi, ſicut & mixtionem, propriè quidem, & impropriè. Miſcibile propriè ſumptum eſt illud quod cum alijs poteſt congregari, & à ſuo contrario alterari, atque corrumpi, atque etiam illud alterare, & corrũpere: ſic enim fiet ex vtroque tertiũ, quod vocatur mixtum. Improprie vero ſumitur miſcibile, pro corpore, quod cum alijs poteſt congregari, atque confundi modo tãtum locali per iuxta poſitionem: quemadmodum congregantur triticum & hordeum ad exiguas partes redacta in farinam. Hoc ſuppoſito dicũt Ariſtotelẽ definiſſe mixtionem propriam per miſcibile non propriè ſumptum, quia hoc modo relatiuum

eius

eius est,& vnum relatiuum non potest definiri per alterum,sed per miscibile sumptum improprie, quo pacto non refertur ad mixtionem propriã per eum definitã,sed ad impropriã,& ideo bene Aristoteles explicuit mixtionẽ propriã per miscibile improprium,non definiendo vnũ relatiuum per alterũ, vt illa inconuenientia fugeret.Hæc tamen solutio supponit falsum, & Aristoteli contraria est,supponit quidẽ falsum, quod vnum relatiuum non possit definiri per alterum, cuius oppositum probauimus in prædicamento ad aliquid.Quod vero sit cõtra Aristotelẽ probo,ex verbis eiusdem definitionis ab Aristotele traditæ,quæ ita ait:*Mixtio est miscibilium alteratorum vnio.* Ex qua ita arguo: Miscibile proprie sumptum est corpus, quod cum alijs congregatur,non solum secundum locum, & iuxta positionem quantitatis,sed per verã alterationẽ,per quam se corrumpunt,& ex eis generatur mistum,sed euidens est hoc modo sumi in verbis definitionis:ergo euidẽter falsum est dicere quòd improprie sumatur.Probatur minor ex illo verbo. *Miscibilium alteratorum*,id expresse significante,nam impropria,miscibilia, vt grana tritici, & hordei non miscentur per alterationem.

Respondeo igitur Aristotelem sine vllo vitio potuisse definire miscibile proprie sumptum per mistionem:sicut definiuit mistionem per miscibile.Nihilominus non est vsus,hac in parte tali modo definiendi,sed gratia maioris claritatis voluit definire miscibile propriè sumptum, per alias conditiones materiales,quas sequitur denominatio miscibilis,& per quas melius innotescit,nempe quod sit facile terminabile,& actiuum,atque passiuum. Quo supposito,manifestum est,nihil probare argumentum,cum supponat Arist.definisse mixtionem per miscibile:& rursus idem miscibile per mixtionem.

Quomodo distinguatur mixtio à generatione, & cæteris actionibus,& mutationibus.

CIrca secundum,quod quæsiuit titulus quæstionis de di- 22
stinctione mixtionis à generatione, & cæteris mutationibus,diuerso modo loquuntur recentiores.Nam quidam asserunt mixtionem differre à generatione tamquam species à genere.Ita Conimb.c.præsenti.q 2.art.2. quod asserunt colligi ex doctrina Arist.4.lib.Metheo.c.de putredine. Alij vero affirmãt differre accidentaliter per alterationem miscibilium positam in eius definitione,quod sic probãt,mixtio essentialiter sumpta solum dicit generationem corporis mixti:alteratio vero præcedens,quęcumq; illa sit,quamuis necessaria ad generationem, non tamen pertinet ad essentiã eius, sed accidentaliter se habet

ad illam

ad illam;ſed per alterationẽ miſcibilium præcedentem introductionem formæ mixti diſtinguitur mixtio à quacumque alia generatione ſubſtantiali:ergo ſolũ diſtinguitur accidentaliter.

Vt autem noſtram ſententiam explicemus adnotandum eſt primò,miſtionem vnum importare quaſi de formali, & per ſe ſignificato;aliud vero,quaſi de materiali & connotato.De formali importat introductionem formæ ſubſtantialis ſua natura poſtulantis pro diſpoſitionibus quatuor qualitates elementorum ad certam temperiem reductas.Et in hac ratione formali conueniunt omnes generationes mixtorum corporum, ſiue fiãt ex elemẽtis alteratis,& corruptis,ſiue ſimpliciter ex quouis corpore mixto. De materiali vero,& connotato dicit concurſum aliquorum miſcibilium, ſiue ſint elementa, ſiue mixta,vt patet de propria mixtione liquorum habentium qualitates contrarias. Et ab hoc materiali ſignificato, vel connotato ſumit mixtio propriam denominationem;nam ex formali ſignificato appellatur generatio mixti,non tamen mixtio;ſed denominationem mixtionis ſumit ex concurſu miſcibilium alteratorum,& corruptorum, in quorum materia introducitur forma ſubſtantialis mixti.

23 Secundo notandum eſt,corpus mixtum,vt tale eſt, duobus etiam modis conſiderari poſſe;primo ex parte formæ ſubſtantialis,quæ ex eo vocatur forma mixti,quia ex propria eſſentia, & natura petit qualitates elementorum pro diſpoſitionibus: & ex hac parte diſtinguitur quodlibet corpus mixtum ab omnibus,& ſingulis elementis: & quia diſtinctio hæc non eſt ſolum ex parte diſpoſitionum, quæ ſunt accidentia, ſed ex parte formæ ſubſtantialis ſecundum ſuam eſſentiam eas poſtulantis,eſſentialiter diſtinguitur corpus mixtum à corpore ſimplici,hoc eſt elementari, quia hoc non petit quatuor qualitates contrarias pro diſpoſitionibus; ſed duas tantum, & inter ſeſe non contrarias,vt aqua frigiditatem,& humiditatem. Secundo conſideratur ex parte earumdem diſpoſitionum: & hoc modo conſideratum non diſtinguitur eſſentialiter à ſimplicibus, ſed ſolum accidentaliter.

Quibus ſuppoſitis,noſtra ſententia, & communis tribus aſſertionibus explicatur.Prima eſt,mixtionem eſſentialiter ſumptam diſtingui à generatione elementorum, quaſi diſtinctione generica.Genericam autem voco hanc diſtinctionem, quia ſub quolibet membro eius continentur plures ſpecies. Probatur vero hoc argumento.Mutationes diſtinguũtur ſpecie athoma, vel ſubalterna per terminos ad quos per ſe ordinantur eodem modo diſtinctos; ſed corpus mixtum eſſentialiter

diſtin

distinguitur ab elementari specie subalterna continente sub se plures species corporum mistorum:ergo mixtio per se ad illud ordinata distinguetur genere, vel specie subalterna à generatione elementi per se ordinata ad illud sub quo plures etiam species elementorum continentur.

Secunda assertio,mixtio eodem modo considerata non di- 24
stinguitur essentialiter à generatione vnius mixti ex altero. Probatur ex Aristotele 5. lib. Phys. cap. 2. vbi omnes mutationes reducit ad quatuor genera,nempe ad generationem, augmentationem,alterationem, & lationem;sed mixtio est mutatio:ergo sub aliquo ex his generibus contineri debet. Non sub tribus vltimis:ergo sub primo,quod est generatio. Quare non distinguitur essentialiter à generatione. Probatur deinde ratione;primo, quia ratio essentialis mixtionis sumitur à forma substantiali producta, in quantum sua natura postulat qualitates contrarias elementorum pro dispositionibus;sed hæc ratio cõmunis est productioni cuiuslibet mixti, siue ex miscibilibus, vel ex alio corpore mixto:ergo ex hac parte nõ possunt distingui essentialiter,quia communis ratio non distinguit essentialiter illa,quæ sub ea conueniunt sed solum distinguentur specie diuersæ generationes mixtorum ex diuersis formis substantialibus mixtis,atque ex diuersis corporibus mixtis per eas productis.Secundo, quia si mixtio differt specie à generatione, per quam producitur mixtum eiusdem formæ specificæ, maximæ propter diuersum modum tendendi in formas eiusdem speciei,quia illa tendit media commixtione elementorum;hæc vero sine illa:sed hic modus tendendi est accidentalis : cum solum se teneat ex parte elementorum, vt sunt materia mixti, & differentia ex parte materiæ indiuidualis sit accidentalis:ergo non potest constituere essentialem differentiam.

Tertia assertio,mixtio considerata ex parte termini à quo, 25
atque etiam ex parte materiæ,nempe ex parte miscibilium alteratorum concurrentium ad illam,distinguitur à generatione quacumque siue elementi, siue mixti ex alio mixto solum distinctione accidentali. Probatur,quia talis concursus miscibilium alteratorum non pertinet ad substantiam mixtionis desumptam ex solo termino, ad quem per se ordinatur, qui est forma substantialis mixti, & mixtum ipsum per eam essentialiter constitutum : ergo non potest constituere distinctionem essentialem,sed solũ accidentalem. Secundo, quia quod corpus mixtũ fiat ex hac,vel illa materia sublunari, non variat essentiam eius,quã solum cõstituit,& distinguit ab alijs forma substantialis: ergo mutatio ipsa, per quam producitur non erit

distin

distincta essentialiter propter eamdem materiam diuersam; & consequenter, nec propter concursum miscibilium, sub quorum forma præcessit? Et iuxta has conclusiones, in quibus ferè omnes recentiores conueniunt intelligi debet Aristoteles, dum distinguit mixtionem à generatione, & cæteris mutationibus.

26 Sed quamuis hæc ita se habeant, simpliciter, & absolutè loquendo pronuntiandum est, mixtionem distingui à quacumque generatione, siue sit elementi, siue mixti ex alio mixto. Et ratio huius est manifesta, quia mixtio accipit denominationem à materiali, & connotato, nempe à concursu miscibilium alteratorum, & ideo nomine mixtionis non significatur quæcumque generatio mixti ex alio mixto, sed solum ea, quæ fit ex vnione miscibilium, atque ex materia eorum, & ideo Aristoteles volens definire mixtionem, non solum formalem, atque essentialem rationem eius considerauit, sed etiam materialem, & quasi connotatam, per quam formalis, & essentialis intelligitur; & vtramque posuit in definitione, primam sub vltimo verbo eius, nempe *Vnio*, postremam, duobus aliis, videlicet *Miscibilium alteratorum*, modum definiendi obseruans, quem obseruare solet in definiendis accidentibus in abstracto per proprium genus, & per subiectum, vel materiale connotatum loco differentiæ; vt si definiretur albedo, quod sit forma constituens corpus album. Conueniens etiam fuit sic definire mixtionem, vt clarius posset distingui non solum à generatione elementorum, sed à generatione vnius mixti ex alio: hæc enim licet sit productio corporis mixti, non est mixtio: cum notum sit definitionem ei non conuenire.

QVÆSTIO III.

Quænam sit causa per se, & immediata mixtionis?

29 PRæsupposita iam possibilitate naturali mixtionis, & explicata definitione eius, per quam à cæteris mutationibus distinguitur, causam eius efficientem per se, & immediatam quærimus, à qua fiat. Et prima opinio quorumdam recentiorum asserit non esse quærendam aliam causam per se, præter miscibilia ipsa, à quibus producitur forma mixti hoc ordine, vt cum non informentur simul omnes partes materiæ eorumdem miscibilium à forma mixti, quæ introducitur; sed prius quædam, deinde aliæ, in his partibus, quæ informantur prius, producatur forma mixti efficienter à formis miscibilium existentibus in aliis partibus materiæ; in aliis vero partibus, quæ postea informat,

mat, producatur ab eiſdem partibus formæ mixti iam informantibus partes priores; & ſic in tota materia miſcibilium ab aliis,& aliis partibus eiuſdem formæ mixti de nouo informantibus. Nec ſequitur, inquiunt, quod effectus ſit perfectior ſua cauſa: nam licet forma mixti ſit perfectior ſingulis formis elementorum,non tamen omnibus ſimul ſumptis, à quibus primo producitur, hoc eſt, in prioribus partibus materiæ. Nec etiam ſequitur,quòd idem ſit cauſa propriæ corruptionis,nam diuerſæ ſunt partes formarum miſcibilium,à quibus producitur forma mixti in prioribus partibus materiæ, à partibus earumdem formarum expulſis, vel corruptis; quare ſolum ſequitur quaſdam partes formarum miſcibilium eſſe cauſam corruptionis aliarum partium earumdem formarum,à quibus realiter diſtinguuntur; & ideo diuerſæ ſunt res, quæ cauſant corruptionem aliarum. Et tandem non ſequitur, quod forma mixti producatur à re non exiſtente, nam partes illæ formarum miſcibilium, à quibus producuntur priores partes formæ mixti,non corrumpuntur eodem tempore,ſed ſequenti,& ideo veram exiſtentiam habent, dum actu cauſant.

Probatur hac ratione, in effectibus naturalibus, qui paſſim producuntur in his inferioribus in ſpecie,& in indiuiduo determinatis,non eſt recurrendum ad cauſas vniuerſales,ſine vrgenti neceſſitate,ſed particulares,ac determinatæ debent eis aſſignari; ſed mixta, quæ producuntur per concurſum elementorum ſunt determinati effectus in ſpecie,& in indiuiduo,vt per ſe eſt manifeſtum: ergo à cauſis particularibus debent per ſe immediatè produci,& non ab vniuerſalibus.Non eſt autem aſſignabilis alia cauſa particularis, à qua producantur præter miſcibilia ipſa, quibus talis effectus tribui poteſt; vt oſtenſum eſt:ergo eis tribuendus eſt,& non cauſis vniuerſalibus,à quibus non eſt in hoc caſu recurrendum.

Hæc tamen ſententia apertè falſa eſt,quamuis probabilis iudicetur à Toleto qu. vlt. huius lib. quantum ad mixta non viuentia. Probatur primo,quia cuiuſlibet effectus per ſe intenti à natura debet dari cauſa per ſe immediata; ſed mixtum, quod producitur per concurſum miſcibilium eſt, effectus per ſe intentus, & productus à natura: ergo debet habere cauſam per ſe immediatam. Sed miſcibilia non poſſunt eſſe cauſa per ſe illius,vt aſſerit prædicta ſententia: ergo falſa erit. Probatur minor, quia quodlibet agens naturale applicatum paſſo per ſe intendit illud ſibi aſſimilare, ſicut per ſe intendit producere ſibi ſimile:ergo dum miſcibilia concurrunt ad agendum,& patiendum, quodlibet intendit conuertere in ſe ſuum contrarium, &

per talem conuerſionem producere ſibi ſimile in ſua ſpecie, vt ignis ignem, & aqua aquam. Mixtum verò, quod ex concurſu omnium ſequitur, eſt diſtinctum ſpecie ab omnibus, & ſingulis: ergo non intenditur per ſe ab aliquo eorum, nec ab omnibus; ſed per accidens ſequitur reſpectu eorum, cum ſequatur præter intentionem; quare repugnat produci ab eis tamquam à cauſis per ſe.

31 Probatur ſecundò, quia ſæpe contingit mixtum productum ex concurſu elementorum eſſe corpus viuens, vt dum producuntur per concurſum aquæ, terræ, & aëris imperfecta quædam animalia: ſed elementa non poſſunt eſſe principalis cauſa corporis viuentis, cum ſit eſſentialiter perfectius, non ſolum ſingulis, ſed etiam omnibus ſimul ſumptis: ergo repugnat miſcibilia eſſe cauſam principalem mixtionis, aut mixti per eam producti, ſed ad ſummum poterunt eſſe inſtrumenta vniuerſalium cauſarum per ſe illud producentium. Et hoc idem argumentum videtur conuincere in quibuſcumque mixtis etiam non viuentibus; nam quodlibet mixtum virtute continet omnia elementa: ergo perfectius eſt ſingulis, atque etiam omnibus. Probatur conſequentia, quia id, quod ſua virtute continet aliud, præſertim ſi ſit alterius ſpeciei eſſentialiter debet eſſe perfectius illo; ſed mixtum eſt alterius ſpeciei ab elementis, & virtute ea continet: ergo eſt perfectius ſingulis, & omnibus; quare repugnat eſſe effectum eorum, vt cauſæ præcipuæ eius.

Secunda opinio tenet, cauſam præcipuam, atque per ſe mixtionis, & mixti producti non eſſe miſcibilia, neque aliquã aliam particularem, ſed diſpoſita materia pro forma mixti per actionem, & reactionem eorumdem miſcibilium introduci in eam per actionem cauſæ vniuerſalis. Ita Albertus Magnus tractat 6. cap. 4. & lib. 2. de animalibus tractat. 1. cap. 8. D. Thomas in commentariis huius decimi capitis, Toletus quæſt. vltima huius libri, & omnes ferè recentiores. Et hæc eſt vera, & tenenda. Probatur hac ratione. Mixtio, & corpus mixtum debet habere cauſam per ſe, à qua procedat; ſed cauſa per ſe non ſunt miſcibilia, vt probauimus, nec eſt excogitabilis alia ſublunaris: ergo neceſſariò recurrendum eſt ad Solem, & alias cœleſtes virtu-
32 tes, à quibus tamquam à cauſis per ſe procedat. Hæc autem ſententia ſic probata, hac diſtinctione explicanda eſt. Mixta, quæ ex concurſu miſcibilium producuntur in rerum natura ſunt in duplici differentia; quædam viuentia, licet imperfectiſſima: (nam viuentia perfecta, licet ſint mixta corpora, non producuntur per mixtionem, ſed per generationem ex alio mixto, nempe ex ſemine deciſo ab alio viuente) alia non viuentia,

uentia, vt lapides, metalla, & his similia. Et mixtio, per quam procedunt viuentia, non est reducenda in corpora cœlestia tamquam in causam principalem, quia viuens quodcumque perfectius est illis essentialiter, & ideo non possunt attingere productionem eius tamquam præcipua causa, quia hæc perfectior debet esse suo effectu, si sit æquiuoca, vel æquè perfecta, si sit vniuoca: quare necesse est, talem mixtionem, eiusque effectum Deo tribuere tamquam causæ per se immediatæ, ac principali; corporibus vero cœlestibus solum, vt instrumentis. Mixtio vero per quam procedunt mixta non viuentia, tribuenda est corporibus cœlestibus tamquam causæ per se immediatæ, atque præcipuæ; qualitates verò miscibilium ad summum possunt esse dispositiones introductionem formæ mixti præcedentes in materia; & iuxta hanc distinctionem intelligitur communis sententia, quam sequimur ab omnibus ferè authoribus.

Ad argumentum verò alterius sententiæ concedenda est maior, quod non sit recurrendum ad causas vniuersales in effectibus particularibus, & determinatis in specie, & indiuiduo sine vrgenti necessitate; hoc est, nisi contingat nullam posse dari causam particularem eorum in his inferioribus. Sed minor neganda est, quod talis causa particularis mixtionis detur; nam quod miscibilia sint causa per se mixtionis, & mixti corporis per eam producti, repugnat, vt probauimus; nec est alia excogitabilis, quare vrgens necessitas postulat, vt ad vniuersales recurramus, sicut recurrunt omnes in aliis effectibus, quorum nulla datur particularis causa per se in his inferioribus.

QVÆSTIO IIII.

An elementa maneant in mixto secundum proprias formas substantiales?

PRima opinio asserit, non solum materias elementorum permanere in mixto, sed etiam formas substantiales. Ita Auicena 1. sufficientię cap. 1. Philopponus 1. lib. de Generatione ad textum 74. Albertus Magnus ibidem tract. 6. cap. 5. & 3. lib. de Cœlo tractat. 2. cap. 1. & 8. Nimphus 1. lib. de Generatione comm. 218. quæst. 12. & 8. Metaph. disp. 4. Iand. 6. Phys. quæst. 4. Zimara theoremate 48. Scaliger exercitatione 101. Contar. in lib. de elementis, Aquilin. lib. 3. de elementis art. 3. Vega lib. 1. de arte medendi cap. 1. Thomas de Garuio lib. 1. summæ Medicæ tit. 1. quæst. 1. eamque tribuit Galeno in lib. de substantia naturali ad finem, & 2. Methodi cap. 2. & cum his omnibus 33

Aureolus in 2. dist. 17. Hanc etiam sententiam tenuit Commentator 1. lib. de Generatione comm. 90. & lib. 3. de Cœlo comm. 67. ita eam explicans, vt formæ substantiales elementorum permaneant in mixto non secundum esse perfectum, sed quodammodo remissum. (Supponit enim author iste substantiam suscipere intensionem, & remissionem) ita vt sicut alij dicunt qualitates elementorum permanere in mixto ad certum gradum remissum attemperatas, ita ipse sentiat de formis substantialibus.

Probatur testimoniis Aristotelis, nam 5. Metaph. cap. de element. tribus modis definit elementum. Prima definitio est; *Elementum est, ex quo in existenti, aliquid primo componitur.* Secunda; *Elementa corporum dicuntur vltima, in quæ corpora diuidun-*
34 *tur.* Tertia: *Elementum est, quod primo vnicuique inest.* Ex quibus sequitur elementa, ex quibus mixta fiunt manere in eis secundum proprias formas substantiales. Probatur consequentia, quia quod primo alicui inest, ipsum componendo, formaliter debet manere in eo. Alia etiam sunt testimonia, in quibus Aristoteles quædam dicit de elementis existentibus in mixto, quæ non possunt esse vera, nisi in eo sint secundum proprias formas substantiales: vt capite præsenti in fine definiens mixtionem ait, *Mixtio est miscibilium alteratorum vnio*, sed quæ alterantur, non corrumpuntur, sed permanent secundum formas substantiales: ergo sic permanent in mixto elementa, alioqui si substantialiter corrumperentur, non bene diceretur mixtio alteratorum vnio, sed corruptorum potius dici deberet. Et 2. lib. de anima text. 39. docet, quod nisi in corporibus animatis anima contineret, vel detineret elementa, discederent ab eis, & in diuersa loca tenderent, in quæ naturaliter inclinantur, vt ignis sursum, & terra deorsum, quod patet verum esse non posse de solis qualitatibus, quæ nec discedunt à subiecto, nec mouentur per se localiter: ergo intelligi debet de elementis ipsis secundum formas substantiales, vt verum sit, & 1. lib. de Cœlo text. 7. asserit corpora mixta moueri ad locum elementi in eis prædominantis, vt lapis ad terram, quæ in eo prædominatur; & in 2. lib. text. 22. & lib. 3. text. 68. probat elementa non habere propriam figuram, quia si haberent propriam, eam conseruarent in mixto, & ideo non possent ex eis indifferenter componi mixta diuersæ figuræ. Et tandem 2. lib. de anima text. 52. dubitat, quare sensus non sentiant elementa, ex quibus constant, & respondet, quia non est medium inter sensum, & talia elementa, sed immediatè sunt in eo, & ideo non sentiuntur, quia sensatio requirit mediũ, vt visus, & auditus aërem, vel aquam. Hæc autem omnia

pacet

patet non esse vera, si elementa solum sint in mixto secundum suas virtutes, & non secundum formas substantiales. Sentit ergo Arist. hoc posteriori modo in eo permanere.

Probatur deinde ratione, primo, quia si non manent in mixto formæ substantiales elementorum; ergo solum permanebit materia; vnde sequitur non alio modo permanere in re, ac permanet quodcumque corpus in alio ex eo genito, vt aer in aqua, si ex eo fiat. Cõsequens autem falsum esse probatur ex eo, quod nemo vmquam dixit corruptum virtute permanere in genito, & omnes affirmant elementa virtute saltẽ permanere in mixto: ergo sentiunt aliquid aliud præter materiã permanere. Verbum etiã: *Saluantur enim virtutes eorum* apud Aristotelem plus significat, quam virtutes eorum permanere in potentia materiç, quia si sic solum permanent: ergo corrumpuntur secundũ esse actuale. Quod vero secundum esse actuale corrumpitur non saluatur, alioqui omnia, quæ moriuntur, vel pereunt, dicerentur saluari, cum permaneat materia eorum, in cuius potestate continentur forma, & accidentia. 35

Secundo, quia si elementa non manent in mixto secundum formas substantiales; sequitur mixtum non minus esse corpus simplex, quam elementa; consequens est falsum: ergo falsum est etiam, quòd elementa non maneant formaliter in mixto. Sed probatur consequentia, quia si in mixto nõ manent formæ substantiales elementorum: ergo solum habebit compositionem substantialẽ ex materia, & forma: & accidentalem ex subiecto, & accidentibus, nempe ex qualitatibus elementorũ; sed vtramque compositionem habent elementa, vt per se est manifestum, & nihilominus dicuntur corpora simplicia: ergo alia compositio substantialis ex formis elementorum necessariò ponenda est in mixto, propter quam non possit appellari corpus simplex. 36

Secunda opinio negat elementa permanere in mixto secundum formas substantiales, sed has corrumpi docet in mixtione, & nihil aliud substantiale eorum permanere præter materiam. Ita D. Tho. 2. contra gent. cap. 55. & 56. & ibidem Ferrar. 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. & ibidem Caiet. Scotus in 2. d. 15. q. 1. & ibidem Gregorius, Gabriel, Herueus, atque Capreol. Sonzin. 10. Metaph. q. 27. Iauel. 8. Metaph. q. 4. Ægidius quodlib. 4. q. 15. & omnes ferè interpretes Arist. capite præsenti, præsertim Albertus Saxoniæ q. 19. Marsil. q. 22. Astudillo q. vlt. Tolet. q. 17. & cum eis Vallesius lib. de sacra Philosophia cap. 1. vbi probat hanc fuisse mentem Platonis, Hippocratis, & Galeni, & hæc sententia non solum probabilior est, sed vera, & tenenda.

Probatur duobus testimoniis Aristotelis satis expressis. 37

Digitized by Google

Primum habetur capite præsenti textu 84. his verbis, *Videntur enim ea, quæ miscentur prius ex separatis conuenientia, & possibilia separari rursus; neque permanent igitur actu, vt corpus, & album; neque corrumpuntur, neque alterum, neque ambo; saluantur enim virtutes eorum.* Secundum verò reperitur lib. 2. de partibus animalium cap. 1. non longe à principio, vbi sic ait, *Cum itaque triplex sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordiis conficitur his, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, aërem, ignem: sed melius forta sse dici potest ex virtutibus confici elementorum, bisque non omnibus, sed vt ante expositum est, humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas materia corporum sunt compositorum, cætera autem differentia eas sequuntur.*

Probatur deinde experientia, & ratione. Experientia quidem; nam plura generantur mixta sub aquis, nempe omnes pisces, sed in eo loco nec potest existere naturaliter elementum ignis, neque illuc vsque deferri, vt per se est manifestum. Et de aëre vix potest intelligi, quod sub aqua sit in omnibus illis partibus, in quibus generantur: ergo euidenter falsum probatur, quòd elementa sint in mixto secundum proprias formas substantiales; & pari ratione de mixtis, quæ generantur in aëre, euidens est non posse constare elemento terræ, quod naturaliter tepu-
38 gnat illuc vsque ascendere. Ratione vero primo, quia si elementa manent in mixto secundum formas substantiales, vel in singulis partibus materiæ eiusdem mixti omnes permanent, vel singulæ tãtum in singulis partibus eiusdem materiæ. Si primum concedatur, euidenter ex eo sequitur plures formas substantiales informare eamdem partem materię, quod naturaliter saltem esse impossibile docent omnes. Si verò dicatur secundum, sequitur nullam dari veram, & propriam mixtionem. Probatur consequentia, quia vna ex conditionibus omnino necessariis veræ mixtionis est, quod quælibet pars corporis mixti sit mixta; sed nulla daretur pars corporis mixti, quæ mixta esset, si in nulla essent omnes formæ elementorũ, vt per se est manifestum: ergo nec daretur propria mixtio, sed solum coniunctio quædam localis elementorum; nam quodlibet esset separatũ ab alio secundum formam substantialem, atque etiam secundum materiam.

39 Secundò, si elementa permanent in mixto secundum proprias formas substantiales, vel præter illas habet mixtum aliam substantialem formam, vel non. Si non habet aliam, sequitur primo, nullum dari mixtum animatum, aut viuens, quia formæ elementorum non sunt animæ, sed ea inferiores. Secundò sequitur, nec mixta corpora distingui specie inter sese, neque ab elementis, & vtrumque est absurdum. Sed probatur consequentia hæc,

hæc, quia distinctio specifica corporum est per formas substantiales, sed omnia mixta habẽt easdem formas substantiales elementorum, & nullam aliam: ergo non distinguũtur inter se, nec ab elementis simul sumptis, quorũ formas habent, & præter eas non habent aliam, per quã distinguantur ab eis. Si vero dicatur habere aliam formã, euidẽter sequitur, in singulis partibus materiæ dari duplicẽ ad minus formã substantialem. Probatur consequentia, quia forma mixti, quæ datur distincta à formis elementorũ, necessariò debet informare totam materiã elementorũ, vt totum corpus sit mixtũ: ergo debet etiã informare omnes, & singulas partes eius; sed in singulis partibus reperiuntur singulæ saltem formæ elementorum: ergo vt minimum informabuntur singulæ duabus formis substantialibus, nempe propria & communi forma mixti omnes informante.

Ad argumentũ oppositæ sentẽtiæ respondendũ est, quod tres illæ definitiones elemẽti ab Arist. traditæ diuersis modis exponũtur à diuersis authoribus. Nã primam, & tertiã exponit Scot. vbi sup. §. ad dictum comment. non de consuetis, aut vulgaribus elementis, terra, aqua, aëre, & igne, sed de materia prima, quæ est primũ elementũ, ex quo cõponuntur omnia corpora. Quã expositionem sequitur Tolet. vbi sup. ad 2. & si hæc expositio vera sit, nihil ex his definitionibus probatur aduersus nostrã sententiam. Sed magis ad mentem Arist. videtur expositio D. Thom. asserentis easdẽ definitiones etiã conuenire cõsuetis elementis, ex quibus componuntur mixta; quod videtur colligi ex verbis secundæ definitionis. Et iuxta hãc expositionẽ dicendum est, ad rationem elementi sufficere, quod actu, vel virtute insit ei, quod ex eo componitur, vt Arist. ipse docet in vtroq; testimonio pro nostra sententia adducto; nam in primo ait mixta componi ex elementis, vel potius ex virtutibus eorũ, & in secundo non manere in eo actu, neque etiã corrumpi, sed virtutes eorum in eo saluari. Secunda vero definitio hunc sensum habet, quod mixtum diuiditur, aut resoluitur in elementa, quia quando ex eo generantur elementa, vnum, vel multa, quasi ab eo dicuntur separari, & separatio hæc, quasi diuisio vocatur, vel etiã resolutio. 40

Definitio etiam mixtionis diuerso modo intelligitur à diuersis: nam quidam verbum illud *Alteratorum*, idem esse aiunt, atque *Corruptorum*, quia per mutuã alterationem corrumpuntur miscibilia, & sic corrupta vniuntur materiæ eorũ sub eadem forma mixti. Hæc tamen expositio non est ad mentem Aristotelis, qui verbũ illud de vera alteratione præcedente intelligit, non de corruptione eã subsequente, vt ex contextu totius capitis est manifestũ. Sensus igitur definitionis satis est manifestus 41

ex dictis à nobis in 2. q. nam mixtio non ſolum dicit formale, nempe introductionem formę mixti: hęc enim ſola mixtio non eſt, cum cõſtet reperiri in qualibet generatione vnius mixti ex altero: ſed dicit etiam materiale, & connotatum, nempe concurſum miſcibilium ſe alterãtium; immo pro hoc tantum ſupponit, licet illud de formali ſignificet, & ideo melius dictum eſt *alteratorum*, quam corruptorum; quia concurſus miſcibilium ſe alterantium mixtio vocatur; quamuis per alterationem ſe corrumpant, ſed dum iam corrupta ſunt, mixtio non eſt, licet ſit introductio formæ mixti, quæ non habet rationem mixtionis, niſi in ordine ad alterationem præcedentem ſicut albedo non facit album, niſi in ordine ad corpus, cui inhæret.

Illud verò ex 2. lib. de anima; nempe, quod diſſoluerentur elementa, & deſineret eſſe mixtum, niſi ibi eſſet forma mixti quaſi ea continens: argumentum quoddam Ariſtotelis eſt factum aduerſus Empedoclem, qui ponebat integra elementa in mixto, non ſolum ſecundum formas ſubſtantiales, ſed etiam ſecundum ſuas qualitates perfectas, addens, augmentum eiuſ-
42 dem mixti corporis non prouenire à forma eius: quo ſuppoſito probat Ariſtoteles, quod ſi ita eſſet diſſoluerentur elementa; nam ſi forma mixti nihil agit, nec ab ea procedunt operationes; nec poſſent elementa detineri, vel contineri ab ea, ſed vnumquodque diſcederet in ſuum locum naturalem tendens: nihil ergo probat teſtimonium hoc aduerſus noſtram ſententiam. Aliud vero de motu mixti ab elemento prædominante ex propria ſententia Ariſtotelis eſt. Ideo reſpondeo, quòd potentia motiua vt grauitas, aut leuitas, à qua mouetur mixtum ad ſuum locum naturalem, eſt quædam ſecunda qualitas procedens ex mixtione primarum, vt docet expreſſe Ariſtoteles 2. lib. de partibus animalium in principio; ideo ſi in mixtione elementorum prædominetur ignis ſecundum ſuas qualitates, generabitur mixtum ſimile naturæ eius, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum virtutem motiuam, quæ eam cõſequitur, eritque leue ad ſimilitudinem ignis. Si vero in mixtione prædominetur terra ſecundum ſuas qualitates, generabitur mixtum ei ſimile in ſubſtantia, & grauitate: & cum motus ſequatur ex virtute motiua, mouebitur mixtum ad locum eleméti prædominantis; cum ſit ei ſimile in ſubſtantia, & in virtute motiua; vt lapis ad locum terræ. Prædominatio vero elementi huius, vel alterius in mixtione ſecundum qualitates eorum intelligitur, per quas agunt, & patiuntur; & vnum dicitur potẽtius altero, & conſequenter prædominãti in mixto. Quare dum dicitur mixtũ moueri ab elemento prędominante,

ſenſus

ſenſus eſt, moueri à virtute motiua ſimili elemento prædominari, quia procedit talis ratione eiuſdem elementi prædominantis in mixtione per ſuas qualitates; quare ex hoc ſolum ſequitur permanere elementa in mixto ſecundum ſuas qualitates, non ſecundum formas ſubſtantiales.

Aliud verò de figuris argumentum quoddam eſt contra De- 43
mocritum, vt contextus eiuſdem litteræ oſtendit; ponebat enim Philoſophus iſte corpora componi ex athomis, tamquam ex elementis, à quibus proprias figuras dicebat eſſe inſeparabiles; quo ſuppoſito arguit bene Ariſtoteles, quod ex talibus elementis non poſſent componi mixta diuerſæ figuræ, qualia eſſe in rerum natura experimur.

Vltimum teſtimonium difficultate caret, loquitur enim Ariſtot. in eo, non de ſubſtantiis elementorum, ſed de qualitatibus eorum, quare ſenſus eſt, elementa, quæ ſunt in ſenſibus, vel organis eorum non ſentiri ab eis; id eſt, qualitates elementorum, ex quibus componuntur eadem organa, cum ſint mixta, non ſentiri; quia immediatè eis inhærent, & nullum datur medium, quod neceſſariò poſtulat ſenſatio.

Ad primum argumentum concedēdum eſt, nihil ex elementis permanere in mixto præter materiam, quia neque eædem numero qualitates permanent, ſed corrumpuntur cum formis ſubſtantialibus, ſed permanent aliæ ſimiles in certo gradu, quas poſtulat forma mixti introducta; & in hoc ſenſu dicitur, permanere elementa in mixto ſecundum ſuas qualitates ab his, qui cum Diuo Thoma, ac nobiſcum tenent accidentia inhærere compoſito, tamquam proprio ſubiecto; qui vero immediatè dicunt materiæ inhærere, conſequenter concedunt eaſdē numero qualitates elementorum ad certum gradum attemperatas permanere in mixto. De cæteris vero corporibus, ex quibus alia generantur, non poteſt eſſe verū, quod in eis permaneant, etiam ſecundum virtutes, quia nec eorum qualitates eo modo in eis permanent, ſed nuda tantum materia.

Ad ſecundum diſtinguendum eſt conſequens prioris enthy- 44
mematis, quòd mixtum non ſit magis compoſitum, quàm elementum; nam ſi ex parte ſolius compoſitionis ſubſtantialis intelligatur; concedi poteſt; ſi vero ex parte qualitatum, ac diſpoſitionum, quas poſtulat forma mixti, falſum: nam forma elementi ſolum pro diſpoſitionibus poſtulat duas qualitates non contrarias: forma verò mixti omnes qualitates contrarias, & ideo ex parte harùm maiorem habet compoſitionem, immo etiam ex parte ſubſtantiæ quodam modo dici poteſt habere maiorem, quia cum forma mixti naturaliter poſtulet talem

compoſitionem qualitatum contrariarum;quadam ratione virtuali dicitur compoſita,& magis compoſita,atque adeo minus ſimplex, quàm forma elementi, in qua ſolum duæ contrariæ virtute continentur. Merito ergo communi modo loquendi,& concipiendi elementa dicuntur corpora ſimplicia, mixta vero compoſita;nõ ſolum propter compoſitionem qualitatum contrariarum,ſed ſuo etiam modo propter compoſitionem ex materia,& forma quadam ratione virtuali mixta,vel compoſita.

DVBIVM.

Quidnam ſit elementa virtualiter contineri in mixto?

45 PRæſupponitur ex quæſtione iam agitata, quòd elementa manent virtualiter in mixto, dubitatur vero quidnam ſit virtute in eo permanere. Duo autem poſſunt ſignificari,dum dicitur elementa permanere virtualiter in mixto:primum, quòd permaneant per ſuas virtutes,aut qualitates proprias,nempe calorem,frigiditatem,humiditatem,& ſiccitaatem eaſdem numero,vel ſaltem ſpecie,iuxta diuerſas opiniones de ſubiecto accidentium. Secundum,quòd permaneant per ſuas formas ſubſtantiales virtute contentas in forma ſubſtantiali mixti.

46 Et prima opinio aſſerit, vtroque modo permanere elementa in mixto virtualiter. Ita Scotus in 2.d.15.quæſt.vnica.§.*Sed ſi-men*. Gregorius,& Gabriel.d.16.Ægid.2.lib.de gener.ad textum 48. Colonienſis cap. præſenti. Poſtremam verò continentiam virtualem formarum ſubſtantialium explicant exemplo medij caloris,vt viridis,vel rubei,qui dicitur virtute continere extremos,in quantum vtroq; participat,& quaſi conuenientia quædam vtriuſque eſt: neutrum vero extremorum continet alterum,quia neque ipſum participare dicitur.

Secunda opinio tenet elementa permanere virtualiter in mixto, ſolum, quia virtutes, ſeu qualitates eius in eo manent, non quia forma mixti virtute contineat formas ſubſtantiales elementorum. Ita Caietanus 1.p.q.76.artic.4. ad finem. Probat hoc argumento; ſi forma ſubſtantialis mixti virtute contineret ſubſtantiales formas elementorum, in aliquo genere cauſæ formalis, vel efficientis eas contineret: formalis quidem, quia tribueret materiæ eſſe earum, ſicut anima ſenſitiua continet vegetatiuam, quia tribuit corpori eſſe vegetatiuum, vel efficientis; quia poſſet eas effectiuè producere in materia, vt corpora cœleſtia virtute continent qualitates elementorum, quia eas producunt in corporibus, vel certe quia operationes, quas

quas exercent formæ elementorum, posset forma mixti perfectius exercere, vel æquè saltem perfectè, sed neutro modo eas continet: ergo ratione talis continentiæ virtualis non erit verum, quod elementa permaneant virtualiter in mixto, sed solum ratione qualitatum. Probatur minor, quia forma mixti non tribuit materiæ esse substantiale ignis, aquæ, terræ, & aëris, vt per se est manifestum: ergo non continet formas eorum in genere causæ formalis. Sed neque in genere efficientis, quia nec potest formas elementorum effectiuè producere, vt producunt corpora cœlestia, nec operationes eorum æquè perfectè exercere, sed quas potest, iam minore longe perfectione: non enim potest lapis calefacere sicut ignis, nec sicut aqua infrigidare.

Secundo probari potest, quia id, quod continet virtute aliud, 47
perfectius illo esse debet: ergo si mixtum virtute continet formas substantiales elementorum, perfectius debet esse substantialiter, non solum singulis, sed omnibus simul sumptis, cum omnia simul sumpta contineat substantialiter. Quod tamen de pluribus mixtis videtur absurdum, immo etiam de omnibus, quia licet mixta viuentia perfectiora sint singulis elementis, atque etiam omnibus simul sumptis, hoc non habent sub ratione mixtorum, sed ex ratione speciali animæ habentis superiorem gradum essendi respectu elementorum.

Nostra sententia hac distinctione explicabitur, per quam ad concordiam reuocari possunt duo isti modi dicendi, quamuis contrarij videantur. Dupliciter contingit vnam formam substantialem virtute continere alteram; primo, ita vt eam per se sumptam, atque immediatè contineat, quo pacto forma sensitiua continet vegetatiuam, vel cœlestes continent elementares. Et iste modus continentiæ perfectissimus est, & non formalis tantum, sed per eminentiam, & ideo non reperitur, nisi in formis habentibus superiorem gradum, vel modum essendi. Secundo modo potest contingere, quod vna forma dicatur continere alteram, non per se sumptam, nec immediatè, sed quia continet aliquam virtutem, vel dispositionem eius propriam: nam cum talis dispositio sit quasi in- 48
choatio eiusdem formæ substantialis in materia, illud, quod continet hanc dispositionem formaliter, dicitur quadam ratione virtuali continere talem formam, non per se sumptam, nec immediatè, sed quia talem eius virtutem continet, & ideo quasi remotè, & non secundum se, sed per aliquid ad eam pertinens. Mixtum igitur non continet virtute formas substantiales elementorum secundum se sumptas, nec immediata

continen

continentia,vt probat euidenter argumentum Caietani, ſed in quantum continet virtutes,ſeu qualitates,quæ ſunt diſpoſitiones eorum propriæ,& quaſi inchoationes earumdē formarum in materia ; & continentia hæc reſpectu eiuſdem virtutis eſt proxima,ſed reſpectu formæ ſubſtantialis remota;& per quam non poteſt dici per ſe,vel ſecundum ſe contineri,ſed ſolum per aliquid ſui non pertinens ad propriam ſubſtātiam. Modus igitur dicendi Caietani veritatem habet iuxta primum modum continentiæ:modus vero Scoti iuxta ſecundum, & quia modus ille continendi proprius eſt;iſte vero improprius, quamuis in ſolo modo loquēndi differre videantur Scotus,& Caiet.magis propriè loquitur iſte quàm ille. Quare argumentum Caietani concedendum eſt,quia de primo modo continendi formas ſubſtantiales elementorum conuincit,ſed non de ſecundo. Et eodem modo ad aliud argumentum diſtinguendum eſt conſequens : nam ſi modo priori contineret mixtum formas ſubſtantiales elementorum non ſolum deberet eſſe perfectius, ſed in ſuperiori alio gradu, vel modo eſſendi , ſed cum hoc modo
49 eas non contineat,non ſequitur id habere. Ex modo autem poſteriori continēdi non ſequitur perfectius eſſe debere omnibus elementis ſimul ſumptis,quia non poſtulat virtutes eorum pro diſpoſitionibus in materia ſecūdū gradū ita perfectū,ac formæ illorum,nec imperfectè operatur per eaſdem virtutes,aut qualitates.An vero neceſſe ſit perfectius eſſe ſingulis elementis?reſpondeo non eſſe neceſſarium,quod à poſteriori probari poteſt, cū videamus mixta quædam adeo imperfecta,vt licet omnibus qualitatibus elemētorum conſtent,non habent virtutem generandi ſibi ſimilia,vt lapides & ſimilia.

QVÆSTIO V.

An virtutes, ſeu qualitates elementorum permaneant formaliter in mixto?

50 EX quæſtione præcedente videtur hæc reſultare;nam in ea aſſertum eſt , elementa non manere formaliter in mixto, hoc eſt ſecundum proprias formas ſubſtantiales , ſed virtute tantum,& cum dubitatum fuerit, quidnam ſit virtute , aut potentia permanere in mixto:reſpondimus , virtute permanere idem eſſe ac permanere per ſuas virtutes,ſeu qualitates,quæ ad certum gradum attemperatæ ſunt diſpoſitiones naturales formæ mixti , quæ ſequitur , permanere etiam eaſdem numero qualitates,ſi earum ſubiectum ſit materia prima , vel eaſdem ſecundum

ſecundum ſpeciem,ſi ſubiectum ſit compoſitum, ad cuius corruptionem corrumpuntur accidentia omnia,quæ in ipſo erant; ſequuntur vero alia eis ſimilia.Dupliciter autem poſſumus excogitare has qualitates elementorum permanere in mixto per ſe,& formaliter;ſicut per ſe,& formaliter ſunt in ipſis elementis,quamuis non in eodem gradu, ſed remiſſiori in mixto ſint: vel nō per ſe,& formaliter,ſed quadā ratione virtuali;ita vt per actionem,& reactionē harum qualitatū,per quas miſcētur elementa,reſultet quinta quædā qualitas ab eis diſtincta, ſimplex quidem formaliter,ſicut ipſæ etiam ſimplices ſunt, ſed virtute eas continens;& qualitas hæc ſit,& dicatur proprium temperamentum mixti:propriaq; diſpoſitio in materia præcedens pro forma eiuſdem mixti introducenda. Et ſi hoc verum eſt, non permanebunt qualitates elementorum formaliter in mixto, ſed ſolum virtualiter in vna illa qualitate ſuperiori contentæ, vel nulla reſultet talis qualitas diſtincta, ſed qualitates ipſæ elementorum per ſe, & formaliter permaneant in certo quodam gradu, & proportione: & ipſæmet ſic attemperatæ ſint proprium temperamentum mixti, propriaque diſpoſitio materiæ ad introductionem formæ mixti.

Et prima opinio tenet non permanere per ſe,& formaliter, 51
ſed virtute tantum ratione illius temperamenti, quod qualitas quædam ſuperior eſt, in qua virtualiter continentur. Ita Scotus in 2.diſtin.15.q.vnica.§.id tamen.Albertus Magn.2.lib. Phyſ.titul.2.cap.1.Durand.2.quęſt.prologi num.19.& in 4 diſt. 12.q.3. Gregor. in 1.diſt.17.q. 3.art. 3. Iauellus 8. Metha.q.4. Sonzinas. 10. Metha.q.22.& 27. Herueus tractatu de pluralitate formarum. Probatur teſtimonio Ariſtotelis 2. lib.de generatione textu 48.vbi per mixtionem calidi, & frigidi,humidi,& ſicci ait generari mixtum, quod quaſi medium eſt inter eadem extrema,nempe inter calidum,& frigidum:neutrum tamen extremorum:ergo ſentit mixtum non eſſe calidum,neque frigidum formaliter, ſed temperamentum quoddam habere medium nempe qualitatem ſuperiorem virtute continentem calorem & frigus:quo pacto videtur exponere verba eiusDiuus Thomas lectione 8. eiuſdem libri ad finem:& ideo videtur tenere eamdem ſententiam.

Sed probatur ratione.Primo, quia qualitates elementorum 52
ſunt naturales eorum proprietates,vel naturaliter ſaltem emanant à ſubſtantijs eorum;nam in eodem inſtanti,in quo generatur ignis, procedit ab eo calor ſummus, & ab aqua ſumma frigiditas:ergo vbi non eſt ſubſtantia elemētorum,non poſſunt reperiri qualitates iſtæ per ſe,& formaliter; ſed elementa non

ſunt

ſunt in mixto ſecundum formas ſubſtantiales:ergo nec poſſunt eſſe in eo ſecundum ſuas qualitates,niſi virtuali quadam ratione in vna aliqua ſuperiori contentas. Secundo, contraria non poſſunt naturaliter eſſe ſimul in eodem ſubiecto:nam ex propria definitione habent mutuo ſe expellere ab eo: ſed qualitates elementorum ſunt propriiſſimè contrarię:ergo non poſſunt ſimul eſſe in mixto per ſe,& formaliter.

Secunda opinio eſt oppoſita, quòd qualitates elementorum manent per ſe, & formaliter in mixto, & non vt virtute contentæ in alia qualitate, vel temperamento. Ita Diuus Thomas 1.p.q.76.artic.4. ad quartum his verbis:*Ideo dicendum eſt ſecundum Philoſophum in primo de generatione, quòd forma elemẽtorum manent in mixto, non actu,ſed virtute. Manent enim qualitates propriæ elementorum, licet remiſſæ, in quibus eſt virtus formarum elementarium.* Quod etiam tenet in 2.diſtin.19.q.1.art.4.& in 3.d.16.q.1.art.1. idem etiam Caietanus 1.2.q.52. artic.2.§. ad hoc dicitur,Capreol.in 2.d.30.q.1.ad primum contra primam cõcluſionem,Phil.2.lib.de generatione ad textum 43. Ægidius ad textum 48.& 49. Vega 1.lib.de arte medendi cap.1. Valleſ. 1.lib. controuerſiarum medicarum cap. 6. Toletus 1.lib.de gener.q.18.& omnes ferè expoſitores capite præſenti, & hæc eſt probabilior,& tenenda.

53 Probatur teſtimonio Ariſtotelis cap. præſenti textu 84. vbi loquens de modo,quo elementa manent in mixto, ita ait:*Neque permanent igitur actu,vt corpus, & album, neque corrumpuntur: neque alterum,neque ambo: ſaluantur enim virtutes eorum.* Quæ verba non poſſunt eſſe vera, ſi ſolum manent virtualiter in illa alia qualitate, quæ ponitur pro temperamento mixti: ergo contra mentem Ariſtotelis eſt talis ſententia. Probatur antecedens, nam ſi ſolum manent virtualiter in illa qualitate: ergo corrumpuntur ſecundum proprias entitates, & rationes formales; quare non ſaluantur, vt aſſerit Ariſtoteles. Libro etiam 2.de partibus animalium capit.1.docet expreſſe mixtum componi ex virtutibus elementorum: ergo permanent in eo formaliter. Probo conſequentiam, quia ſi ſic non permanent, non poſſunt componere.

54 Probatur deinde ratione. Primò, quia quinta illa qualitas, quæ ponitur pro diſpoſitione materiæ ad introductionem formæ mixti,& pro temperamento eiuſdem mixti, naturaliter eſt impoſſibilis:ergo non eſt ponenda. Antecedens ſic probo, elementa in mixtione ſe corrumpunt per proprias qualitates:ergo per illas ad mediocritatem redactas diſponitur ſufficienter materia pro introductione formæ mixti.Probatur cõſequẽtia,

quia

Digitized by Google

quia eadem disposítio expellens formam præexistentem,disponit materiam ad introductionem sequentis , vt euidenti inductione constare potest in qualibet generatione : frustra ergo,& sine fundamento ponitur alia qualitas secunda ex commixtione primarum resultans pro dispositione materiæ ad formam mixti,& consequenter naturaliter est impossibilis, quia nihil potest natura frustra facere.Suppositio etiam quod daretur talis qualitas , falsum est , quod non permaneant in mixto genito qualitates elementorum:quod sic probo. Toto tempore mixtionis permanent qualitates istæ,cum per eas agant,& patiãtur elementa,vel ergo subiectantur in materia prima,vel in eisdem elementis:si primũ concedatur , euidenter sequitur permanere in mixto genito , quia permanente subiecto non possunt accidentia eius perire,cum non sit agens,à quo destruantur ; si vero sint in elementis,& ideo ad corruptionem illorũ corrumpantur istæ qualitates numero,necesse est alias similes succedere in re genita,quia dispositiones sequentes similes sunt præcedentibus in quacumque generatione;ergo permanebunt formaliter in mixto.Denique non est minus falsum, quod dicit eadem opinio,non posse simul esse in mixto, quia sunt contrariæ:nam in aqua calida reperiuntur simul calor , & frigus in gradu remisso,& similiter in aere : ergo contrarietas earum non tollit, quin possint esse simul in gradu remisso.

Probatur secundo euidenti experientia,quòd istæ qualitates sint formaliter in mixto:nam in mixtis existentibus in sua naturali dispositione, experimur esse formaliter calorem , & frigiditatem,atque etiam siccitatem , & humiditatem : vt in homine,lapide,oleo,& vino:ergo aperte falsum est,id negare.

Ad testimonium Aristotelis respondeo,facile posse intelligi 55
sensum eius,si ad contextum litteræ attendamus:nam eo loco vult Aristoteles ostendere mixtum quasi medium esse inter elementa , quia ex qualitatibus eorum ad certum gradum remissionis attemperatæ generatur,& secundum diuersum gradum,atque modum , quo attemperantur , variatur temperamentum, vel complexio mixti. Ideo asserit mixtum ex calido,& frigido generari,atque ex sicco, & humido, non simpliciter sumptis,hoc est,vt sunt in elementis,sed in certo quodam gradu proportionatis,in quo sensu docet, idem mixtum neutrum extremorum esse, hoc est nec calidum, nec frigidum , vt sunt extrema,sed medium tenere respectu vtriusque:quod satis clarè exponitur à D.Thoma:& ideo sine fundamento citatur pro sententia opposita : præsertim cum expresse teneat contrariam locis à nobis citatis,

Ad primum

Ad primum argumentum negandum est antecedens, quantum ad primam partem, nempe, quòd primæ qualitates elementorum sint propriæ passiones eorum: quod sic probatur. Propria passio conuertitur cum subiecto, cuius naturam sequitur, quare non potest conuenire alijs vllo modo; sed qualitates istæ non conuertuntur cum elementis, neque eis solis conueniunt, sed etiam alijs: ergo non sunt proprietates. Probatur minor euidenti experientia, quia in pluribus mixtis, etiam in sua naturali dispositione existentibus reperiuntur, vt in homine, lapide, oleo, ac vino, & cæteris. Et si dicatur conuenire alijs in gradu remisso, assentior; sed ex hoc probatur, non esse proprietates elemẽtorum, quia nec proprietas suscipit magis, & minus, sicut nec essentia, quam sequitur, neque vllo modo, vel in gradu aliquo potest conuenire alijs. Nam eo ipso, quod in gradu remisso alijs conueniat, simpliciter, & essentialiter conuenit, cum
57 intensa, & remissa qualitas eamdem essentiam habeant. Secundò, si qualitates istæ sunt propriæ passiones elementorum, vel id habent in summo gradu intensionis, vel etiam in gradu remisso: neutro modo id habere possunt: ergo falsum est, quod sint propriæ passiones. Minor quantum ad gradum remissum euidens est, cum constet reperiri in alijs hoc modo. Probatur vero, quod nec in summo gradu id habeant, nam propria passio semper debet conuenire subiecto, nec ab eo potest naturaliter separari: sed qualitates istæ in summo gradu non semper conueniunt elementis: ergo neque hoc modo sumptæ possunt esse proprietates eorum. Minorem probo, quia dum elementa agunt, & repatiuntur, aliquem gradum oppositæ qualitatis in se suscipiunt: quod non fit, nisi cum expulsione alterius gradus propriæ qualitatis, quam ideo non semper habent in summo gradu intensionis. Quod verò qualitates istæ in summo gradu emanent naturaliter ab elementis, non satis est, vt censeantur proprietates, vel passiones eorum: sed propterea emanare existimandum est, quia sunt dispositiones necessariæ ad conseruationem eorum, & ex alia parte, quasi potentiæ naturales eis concessæ à natura ad exercendas operationes sibi connaturales, & vt sint eis pro instrumentis ad generandum sibi similia.

58 Ad secundum argumentum recentiores quidam concessa maiori, distingũt minorem: quod qualitates elementorum sint contrariæ, nam in gradibus intensis contrariæ sunt, non tamen in gradibus remissis: & ideo remissæ possunt esse simul, quo pacto sunt in mixto. Hæc tamen solutio non caret difficultate, quia contrarietas conuenit his qualitatibus essentialiter, & ideo etiam in gradibus remissis debet eis conuenire. Ideo

respon

reſpondeo, qualitates contrarias ſemper poſſe ſe expellere, ſed non ſe expellere actu, niſi in ordine ad diſpoſitionem ſubiecti: diſpoſitio autem mixti talis eſt, vt forma eius exigat contrarias qualitates attemperatas pro diſpoſitionibus, quæ nec ſe expellunt expulſione formali, nec effectiua, vt explicabitur in 2. lib. vbi de contrariis qualitatibus in ordine ad ſubiectum conſideratis ex profeſſo diſputat Ariſtoteles.

QVÆSTIO VI.

An liquores ad veram mixtionem concurrere poſſint, ita vt ex duobus, qui miſcentur, reſultet tertium ab vtroque diſtinctum?

EXplicata natura mixtionis in elementis, quæ miſceri ſolent, & modo, quo miſcibilia permanent in mixto; reſtat agere de mixtione liquidorum corporum; an vera ſit, & propria; vel ſolum ſecundum ſitum, & apparentiam miſceantur, gratia exempli: dum miſcentur aqua, & vinum; vel vinum & acetum, aut liquores alij, quærimus, an corrumpantur ſecundum proprias formas ſubſtantiales; ita vt ex vtroque reſultet tertium ab eis diſtinctum, vel integra permaneant, & ſolum miſceantur ſecundum apparentiam, ex eo, quod mutuo ſe interſecant, & peruadunt; & ideo apparet fieri ex eis quoddam tertium; ſed re vera quodlibet eorum in ſua ſpecie permanet, etiamſi in minutiſſimas partes diuiſum per alterius ingreſſum. 59

Et prima opinio tenet, quod ſi duo liquores miſceantur ſecundum quantitatem, ita vt quodlibet peruadat alterum, illumque interſecet, vtrumque etiam corrumpetur per mutuam diuiſionem, & ex vtriuſque corruptione reſultabit tertium; & ideo vera erit mixtio; & non ſecundum ſolam apparientiam. Ita ſentiunt Palud. in 4. diſt. 12. quæſt. 1. Capreol. diſtinct. 13. q. 1. & videtur idem ſentire Diuus Thomas 3. par. q. 77. artic. 8. vbi ita ait. *Si enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſet diffundi per totum vinum, totum fieret mixtum: quod autem eſt commixtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt, ſed vtrumque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum.* Probant Palud. & Capreolus hoc argumento. Duo liquores ita permixti, vt quilibet peruadat ſuis partibus omnes partes alterius, ſe interſecant vſque ad partes minores minimis; ſed in quantitate minori minima non poteſt conſeruari forma eorum: ergo vtrumque corrumpitur. Quare neceſſe eſt generetur tertium ab eis 60

distinctum, vel permaneat materia sine vlla forma, hoc est naturaliter impossibile: ergo illud est necessarium. Secundo, quia liquores ita permixti, vel mutuò se intersecant in minutissimas partes in infinitum; vel eorum diuisio sistit in quibusdam partibus, non amplius se intersecantibus; sed hoc secundum est impossibile: ergo primũ erit necessarium. Ex quo euidenter sequitur vtrumq; corrũpi, vel cõtinuum diuidi in omnem partem, & cũ hoc sit impossibile, illud erit necessariũ. Sed probatur minor, quia si perfectè permiscentur: ergo quælibet pars quãtumcumque minima erit permixta ex vtroque, quod non potest intelligi, nisi per mutuam diuisionem; quare nullũ potest habere terminum diuisio, sed necesse est, in infinitum procedat, quod est se intersecare secundum omnes partes in infinitum; & consequenter diuidere se in infinitum, & ideo in omnem partem.

61 Secunda opinio negat omnino veram mixtionem in liquoribus, sed asserit solum permisceri secundum situm, & apparentiam, eo modo, quo antiqui Philosophi (quos reijcit Aristoteles capite præsenti) dicebant misceri elementa. Ita sentiunt recentiores quidam. Quod præcipue probant experientia, quia post permixtionem vnius liquoris cum alio certo quodam artificio fit separatio vnius ab alio, vt aquæ à vino, vel vini ab aqua: ergo non fuit facta inter eos vera mixtio, nec fieri potest. Probatur consequentia, quia per veram mixtionem vtrumque fuisset corruptum, & in tertium conuersum: ergo neutrum esset separabile ab alio in propria specie, & natura. Sed potest etiam probari hoc argumento; in vera mixtione miscibilia se corrumpunt per veram actionem & reactionem, non ita vt vnum in aliud conuertatur, sed omnia in tertium, quod euidens est, non posse fieri, nisi ad quamdam mediocritatem attemperentur qualitates eorum, cum qua mediocritate non possint formæ propriæ conseruari, sed mediocritas eadẽ sit propria dispositio formæ illius mixti, quod ex vtroque generatur; sed hoc non potest contingere in liquoribus: ergo non potest dari in eis vera mixtio. Probatur minor, quia vel vtrumq; est corpus mixtum, vel saltem alterum: ergo habet iam qualitates attemperatas, vel ad mediocritatem redactas. Quare non poterit ex eo corrumpi, quod ad mediocritatem reducantur, nec propterea per corruptionem vtriusque generari aliud mixtum, cuius forma postulat pro dispositionibus qualitates attemperatas. Et si dicatur, diuerso modo attemperatas qualitates postulare formam vnius mixti, & alterius, & ideo variato temperamento per actionem, & reactionẽ, corrũpi miscibilia (etiam si mixta sint) quia non possunt formæ eorum cõseruari cum eo; generari vero aliud mixtũ diuersum à tẽperamento

mẽto vtriuſq; miſcibilis cuius forma tale tẽperamentũ poſtulat. Cõtra hoc eſt, quod omnia corpora mixta cõueniũt in eo, quod qualitates temperatas, aut remiſſas poſtulant, & ſolum differunt ſecundũ diuerſum gradũ, vel intenſionẽ earumdẽ qualitatũ; ex quibus conſtat temperamentũ hoc, vel illud; ſed per maioré, vel minorẽ intenſionẽ qualitatũ non excedentem temperamentum aliquod mixti corporis non videtur poſſe naturaliter corrumpi mixtum, quamuis tale temperamentũ non ſit ei conſentaneum: ergo nec generari poterit mixtũ aliud ex liquoribus. Probatur minor ex ſimilitudine elementorũ, quia non ſtatim ac elementũ habet qualitates ſibi naturaliter cõuenientes magis intenſas, vel magis remiſſas corrũpitur; ſed cum maiori intẽſione, vel remiſſione earum conſeruatur, quamuis extra naturalem diſpoſitionẽ, vt patet de aqua nimis calida, & aëre nimis frigido: ergo pari ratione conſeruabitur mixtũ habens qualitates magis vel minus intenſas, aut remiſſas, efficientes diuerſum temperamentum; & ideo non corrumpetur, vt tertium aliud mixtum generetur ex duobus poſtulans temperamentum diſtinctum.

Noſtra ſententia tribus concluſionibus explicanda eſt. Prima 62
aſſerit, liquores quantumcumque permixtos ſecundum quantitatem non ſe corrumpere per ſolã diuiſionem mutuã, nec ex eis generari tertium; & ideo non coniungi per veram mixtionem, ſed apparentem, niſi alteratio mutua intercedat. Hæc eſt contra primam opinionem. Quam ſic probo, quantũ ad primum, quod aſſerit, non ſe corrumpere per ſolam diuiſionem. Corpora naturalia habentia contrarium non ſe corrumpunt, niſi per alterationẽ contrariæ qualitatis: ergo liquores permixti non poſſunt ſe corrumpere, niſi vnus alteretur ab alio per qualitatem cõtrariam: quare non ex eo ſolum, quod mutuo ſe interſecant, corrumpentur. Euidens eſt conſequentia, quia diuiſio quantitatiua non eſt alteratio. Sed probatur antecedens, quia vera, & ſubſtantialis corruptio ſolum poteſt fieri per ſe à cõtrario, & ideo corpora, quę contrario carent, incorruptibilia ſunt. Secundò, quia ſi per ſolam diuiſionem mutuam abſque alteratione ſe corrumpunt liquores permixti, maxime quia in infinitũ ſe interſecant, hoc eſt, ſecundum partes minores, & minores in infinitum; & ideo ſecundum partes minores minimis, in quibus non poſſunt conſeruari formæ eorum, vel ſi poſſunt procedet diuiſio in infinitum, & dabitur continuum diuiſum in omnem partem, ſed vtrumque horum eſt falſum: ergo falſum quoque erit, quod per ſolam diuiſionem mutuam ſe corrumpant. Probatur minor, quia liquores homogenei ſunt: homogenea vero nec via generationis, nec via corruptionis poſtulant terminum

intrinſecum paruitatis; ita vt ſignata quacumque non poſſint ormæ eorum in minori introduci, atque etiam in minori eſſe; falſum igitur eſt, quod ideo corrumpantur, quia diuiſio actualis procedit in infinitum, & quia ſe interſecant vſque ad minora
63 minimis. Quod vero ideo corrumpantur, quia diuiſio actualis procedit in infinitum, non eſt minus falſum, quia talis proceſſus apertam implicationem dicit propter naturam continui, quod non poteſt eſſe diuiſum in omnem partem, niſi ex indiuiſibilibus tamquam ex partibus ſit compoſitum. Probatur ſecundum, nempe quod liquores ex eo ſolum, quòd ſe interſecant abſque vlla alteratione interueniente non miſceantur vera mixtione, ſed ſolum apparenti, quia mixtio, vt definit Ariſtoteles ad finem præſentis capitis, eſt *Miſcibilium alteratorum vnio:* ergo repugnat dari veram mixtionem ſine alteratione. Solum ergo dabitur apparens inter liquores ſe interſecantes abſque vlla alteratione.

64 Secunda concluſio, ſi liquores permixti ſecundum quantitatem ſint eiuſdem ſpeciei, nullam habentes qualitatem contrariam, nec poteſt dari inter eos vera mixtio, ſed apparens tantum; nec poſſunt ſe corrumpere, vel tertium ex vtroque generari, ſed retinebit ſemper vtrumque propriam formam. Hæc ſequitur ex præcedenti, quia corpus naturale non poteſt per ſe corrumpi, niſi à contrario, nec etiam poteſt corrumpi per ſolam diuiſionem, ſi ſit homogeneum: ergo liquores non habentes vllam qualitatem contrariam corrumpi non poſſunt. Probatur conſequentia, quia ſimile non poteſt agere in omnino ſimile; ſed tales liquores eſſent omnino ſimiles, vt per ſe patet: ergo non poſſunt mutuo ſe alterare, nec mutuo ſe corrumpere; ſed per ingreſſum vnius in alterum continuabuntur, & per continuationem fient vnum numero corpus.

Tertia concluſio, ſi liquores diuerſæ ſpeciei, vel eiuſdem contrarias qualitates habeant, vera, & propria mixtio poteſt dari inter eos; & mixtum tertium ex vtroque generari ſpecie, vel numero diſtinctum. Hæc eſt contra ſecundam opinionem: & probatur teſtimonio Ariſtotelis capite præſenti, vbi ita ait: *Actiuorum autem, & paſſiuorum quæcumque ſunt facilè diuiſibilia: multa quidem paucis, & magna paruis compoſita non faciunt mixtionem, ſed augmentationem dominantis: ideo gutta vini decem millibus congiis aquæ non miſcetur: ſoluitur enim forma, & mutatur in vniuerſam aquam: quando autem potentiis adæquantur, quodammodo tunc mutatur quidem vtrumque in dominans ex ſui ipſius natura: non generatur autem alterum, ſed medium & commune,* & paucis interpoſitis: *ideo facile terminabilia diuiſibilium*

& paſſiuorum miſcibilia ſunt, vt humida miſcibilia maxime cor- 65
porum. Ex quibus ſic arguo. Omnes iſtæ conditiones conueniunt liquoribus habentibus contrariam qualitatem: ergo miſcibilia ſunt vera, & propria mixtione. Euidens eſt conſequentia, quia ſunt conditiones requiſitæ, & ſufficientes ad veram mixtionem ab Ariſt. deſignatæ. Sed antecedens probatur, quia tales liquores ſunt facilè terminabiles, humidi, atque etiam actiui, & paſſiui: ergo mixtio vera, & propria dari poteſt inter eos, & tertium ex vtroque generari. Probatur deinde experientia, & ratione. Experientia quidem in mixtione aquæ, & vini, quæ talis fieri poteſt, vt vinum tandem deſinat, & id quod permaneat, non ſit aqua, nam vtrumque colligitur ex accidentibus eius, præſertim ex ſapore; & nihilominus qualitates vtriuſque permanent in eo ſecundum aliquem gradum: ergo verè miſcentur, & per veram mixtionem eorum generatur tertium mixtum. Præterea, experientia conſtat ex duplici vino diuerſæ qualitatis, ac diſpoſitionis in tanta quantitate permixto fieri acetum, quod patet eſſe ſpecie, vel numero ſaltem diſtinctum ab vtroque, vt ex qualitatibus, atque effectibus eius colligitur: ergo vera mixtio datur inter liquores, & vera generatio mixti ex ea. Probatur deinde 66
ratione ex definitione mixtionis deſumpta. *Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio*, ſed liquores poſſunt miſceri ſecundum exiguas partes, & poſſunt ſe alterare, ſi cõſtent contrariis qualitatibus: ergo poſſunt quoq; vniri ad generationẽ mixti, etiamſi vtrumque corpus mixtum ſit, nihil ergo eis deficit, vt poſſit inter eos vera, & propria mixtio reperiri. Hæc autem concluſio ſic eſt intelligenda, vt tales liquores miſceantur ſecundum debitam proportionem qualitatum, & quantitatis: nam ſi vinum excedat alterũ magno exceſſu, non dabitur inter eos vera mixtio, nec generabitur ex eis tertium, ſed potentius corrumpet aliud, & in ſe conuertet, vt docuit expreſsè Ariſt. cap. præſenti text. 88. exemplo guttæ vini, quæ ſi proijciatur in amphora plena aquæ, non miſcetur, ſed in vinum conuertetur. Vnde ſequitur, nec exiguam aquam maiori vini portioni adiunctam miſceri, ſed in vinum conuerti, & ita abſque dubio contingit in myſterio Euchariſtiæ, in quo exigua illa aqua vino in calice ſuperinfuſa per actionem eiuſdem vini in ipſam, conuertitur in vinum, & fit conueniens materia ſacramenti, ac per verba conſecrationis in ſanguinem Chriſti conuertitur. Quod vero eam in ſe poſſit vinum conuertere, facile probari poteſt, quia vinum qualitatem habet contrariam aquæ, cum ſit mixtum, per quam poteſt agere in aquam exiguam, & eam in ſe conuertere.

Nec D. Tho. contrarium vmquam ſenſit, quia verba illa à no- 67

bis citata,asserunt quidem liquores perfectè mixtos secundum quantitatem,ita vt mutuo se intersecent,corrumpi,& ex eis generari tertium , non tamen se corrumpere per solam diuisionem, sed per alterationem intercedentem , quam iuuat diuisio secundum partes exiguas ad veram mixtionẽ requisita.Et quod iste sit sensus D.Tho.probant verba statim subiuncta in toto articulo,quibus docet tales liquores permixtos posse esse diuersæ speciei,vt vinum,& aquam;& tunc solui speciem vini, & resultare alium liquorem diuersæ speciei;posse etiã esse speciei eiusdem,vt si vino albo permisceatur rubeum,& tunc ait non remanere idem numero vinũ,sed aliud resultare distinctum numero. Has vero mutationes substantiales liquorum eiusdem , vel diuersæ speciei non per solam mixtionem quantitatis,sed per veram alterationem fieri docet expresse in solutione ad primum eiusdem articuli his verbis: *Talis permutatio fit per actionem,nam accidentia vini remanentia* (loquitur enim de accidentibus Eucharistiæ) *retinent actionem substantiæ secundum prædicta,& ita*
68 *immutando efficiunt liquorem appositum.*Immerito ergo D.Thomas refertur à quibusdam recentioribus pro prima opinione, cum tam efficaciter colligatur contrariam (quam sequimur) tenere.Sed nec D.Tho.asserit in eodem articulo (vt voluerunt multi) quod in quocumque casu,quo speciebus vini consecrati permisceatur aqua,vel aliud vinum non consecratum,desinit esse sub eis sanguis Christi. Nam licet id videatur asserere,sensus tamen eius ex verbis eiusdem solutionis iam citatis colligi debet,qui talis est,vt si liquor admixtus speciebus vini consecrati sit eiusdem,vel diuersæ speciei cum eis habens contrariam qualitatem , per quam agere , & pati possit ab eisdem speciebus,& eas corrumpere,vel ab eis corrumpi, ita vt non permaneãt species vini consecrati in eadem entitate numerica , quam habebant ante permixtionem ; tunc desinit esse sanguis Christi sub eis, quod solum contingit, quando ex permixtione alterius liquoris corrumpuntur in toto, vel in parte , siue generetur tertium aliud mixtum , siue non , tunc enim non permanebit sanguis Christi sub speciebus in toto , vel in parte , secundum quam corrumpuntur, quia non permanent eædem numero, aut specie. In aliis vero casibus,in quibus vel liquor admixtus speciebus nullam habet contrariam qualitatem,vel si eam habeat, non sufficientem ad corrumpendas species,quamuis ab eis corrumpatur , & in propriam naturam earum conuertatur , numquam desinit sanguis Christi esse sub eis , sed solum est verum, quòd non sit sub illa parte liquoris continuati cũ speciebus per conuersionem in easdem species , vel sine illa ; & hæc est mens

Diui

Diui Thomæ in toto illo articulo, licet verba quædam contrarium ſonare videantur ſeparata ab aliis; ſi tamen coniungantur omnia, non videbuntur aliena à prædicto ſenſu.

Ad primum argumentum primæ opinionis neganduꝫ eſt 69
antecedens, quod liquores etiam perfectè permixti ſecundum quantitatem ſe interſecent vſque ad partes minores minimis, nam cum ſint corpora homogenea, & non viuentia, minimo carent, & in quacumque exigua quantitate poteſt forma eorum eſſe in materia, & permanere ſubſtantia, & ſpecies cuiuſcumque eorum; ideo neutrum corrumpitur per talem diuiſionem, niſi alteratio intercedat, nec miſcentur vera, & propria mixtione, ſed apparenti tantum.

Ad ſecundum reſpondeo, liquores perfectè permixtos ſe- 70
cundum quantitatem non ſe interſecare in infinitum, ſed diuiſionem mutuam eorum tandem ſiſtere in exiguis partibus, quæ propter exiguitatem non habent ſufficientem virtutem interſecandi alias; nam cum hæc ſit actio tranſiens, nempe motus localis partium per quem ſe interſecant corpora, & fiat cum aliquali reſiſtentia, quia aliquantulum reſiſtunt diuiſioni, virtutem requirit in agente aliquo modo determinatam; quare non quælibet eſt ſufficiens, & propter hanc inſufficientiam ceſſat diuiſio.

Ad experientiam pro ſecunda opinione adductam hac di- 71
ſtinctione reſpondeo, vel mixtio liquorum perfectè facta eſt, ita vt tempus tranſierit, ſufficiens quidem, vt contraria inter ſeſe agentia poſſint ſe alterare, atque corrumpere, & tunc negandum eſt, quod per vllam artem poſſint ſegregari miſcibilia ſecundum propriam ſpeciem, vel ſecundum numericam identitatem, vt aqua à vino, vel vinum rubeum ab albo. Ante mixtionem vero perfectè factam, & priuſquam miſcibilia potuerint ſe corrumpere; concedi poteſt poſſibilitas ſeparationis, & ita factum eſſe aliquando, ſed iuxta primum membrum diſtinctionis numquam.

Ad argumentum vero eiuſdem opinionis conceſſa maiori, 72
quod non poſſit fieri vera mixtio, niſi miſcibilia reducantur ad certum temperamentum, ſub quo neutrum poſſit conſeruari, neganda eſt minor, quod liquores non poſſint hoc modo ſe corrumpere. Et dum dicitur vtrumque eſſe aliquando mixtum, & ideo habens qualitates temperatas, concedendum eſt; ſed negandum, quod poſſit quodlibet mixtum diu conſeruari ſub quocumq; temperamento, licet poſſit elemẽtum diu conſeruari ſub maiori intenſione, vel remiſſione ſuarum qualitatum. Diuerſa eſt enim ratio de elemẽto, & mixto; nam elementũ ſolum

Fol. 1 The personification of virtue

Virtue, the daughter of God, who is the source of all good things, whether heavenly or earthly, and who is the mistress of all the virtues, is represented in this picture. She is seated on a throne, and is surrounded by the seven virtues, which are represented as seven women, each of whom is holding a scroll with the name of the virtue she represents written on it. The virtues are, from left to right, Prudence, Justice, Temperance, Fortitude, Faith, Hope, and Charity. Above the throne, in the clouds, is a representation of the Holy Trinity, with God the Father holding a crucifix, and the Holy Spirit in the form of a dove. At the footstool of the throne, on the left, is a representation of the Virgin Mary, and on the right, a representation of the Archangel Michael.

COMMENTARIORVM IN SECVNDVM LIBRVM Aristotelis de ortu, & interitu, siue de generatione, & corruptione.

BREVE PROOEMIVM.

EXplicata natura generationis, & corruptionis substantialis rerum naturalium in communi, atq; etiam alterationis eam præcedentis, nutritionis, & augmentationis eam consequentis, actionis, & reactionis mixtionísque, quibus mediis fit: agendum statim foret de generatione eadem substantiali earumdem rerum in particulari, nempe animatorum, ac viuentium, cæterorúmque corporum. Sed quia inter naturalia, vel sensibilia corpora, vt generationi, & corruptioni subdita primum locum tenent simplicia, (quæ vocantur elementa) ex quibus cætera omnia (quæ mixta vocant) generantur: elementa verò non ex aliis; ideo necesse fuit in secundo libro huius operis statim differere de generatione elementorum, atque mixtorum in communi ex eis, vt statim possit disputatio institui de aliis corporibus mixtis in particulari in reliquis operibus naturalis Philosophiæ: & hoc est intentum huius libri. Quem claritatis gratia possumus in quatuor partes diuidere. Nam in prima agitur de principiis generationis elementorum, atque de numero eorum: in secunda de generatione eorumdem elementorum: in tertia de generatione mixtorum ex eis: & tandem de causis eiusdem generationis elementorum.

CAPVT I.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De mixtione igitur, & tactu, & de ipso facere, & pati dictum est, quomodo existant in rebus, &c.

Digitized by Google

Breuis expoſitio textus.

1 INtentum huius primi capitis eſt,agere de principio materiali generationis elementorum. Diuiditur autem in duas partes.In prima enumeratis his,quæ explicata ſunt in primo libro; proponit , & reiicit opiniones antiquorum Philoſophorum de principio materiali generationis elementorum. In ſecunda explicat naturam eiuſdem principij ex propria ſententia.

Aſſerit ergo Ariſtoteles expoſitam eſſe à ſe in primo libro naturam generationis,& corruptionis ſubſtantialis,atque etiam contactus eorumdem corporum ad agendum , & patiendum prærequiſiti , alterationis etiam eam præcedentis, nutritionis, & augmentationis,atque mixtionis;ideo conſentaneum eſſe,vt in hoc 2.lib.diſputetur de generatione elementorum,quæ prima corpora vocantur,quia ex eis generantur reliqua;ſimplicia, quia ex eis componuntur alia,& primo ſenſibilia,quia qualitatibus primis ſenſibilibus prædita,per quas non ſolum ſentiuntur ipſa,ſed cætera corpora naturalia,à quibus participantur. Vt autem generatio elementorum explicari poſſit , tradenda eſſe docet pincipia eius,atque imprimis materiale, quod ſibi explicandum proponit cap.præſenti.

2 Circa principium vero materiale diuerſas opiniones antiquorum Philoſophorum refert. Primam quidem eorum , qui poſuerunt vnum eſſe,nempe aërem,ex quo elementa omnia generabantur tamquam ex materia, vel ignem,aut medium aliud corpus inter hæc,aëre quidem ſubtilius,ſed igne craſſius.Itaque omnes iſti pro eadem citantur opinione , quia licet diuerſum principiũ materiale poſuerint,omnes tamẽ dixerunt,eſſe vnum, atque etiam omnes docuerunt hoc vnum principium eſſe per ſe exiſtens,& ſeparatum realiter ab elementis ex eo generandis.

Secunda opinio fuit aliorum,qui poſuerunt principium materiale generationis elementorum non eſſe vnum , ſed multiplex. Nam quidam poſuerunt duo , nempe ignem , & terram. Alij verò tria,addentes aërẽ;alij verò quatuor addentes aquam, vt Empedocles. Et hi omnes dixerunt,ex his duobus,vel tribus, aut quatuor principiis per congregationem generari corpora naturalia , & per ſeparationem corrumpi : cum tamen alij, qui vnum poſuerunt per ſolam alterationem eius,vt per rarefactionem,vel condenſationem generationes rerum naturalium fieri exiſtimauerint.

3 Tertia opinio fuit Platonis in Timæo , qui vnum principium materiale videtur poſuiſſe,cum prima opinione, ſed confuſe locutus eſt de eo, non explicans, quodnam ſit,neque an ſit

ſeparatum

Digitized by Google

ſeparatum realiter ab elementis, immo neque an ſit principium materiale, niſi confuſa quadam ratione vocans illud receptaculum omnium, & addens ſubiectum elementorum ſic ſe habere ad elementa ipſa, ſicque ex eo fieri, ſicut aurum ſe habet ad opera ex eo facta.

Ex his autem tribus opinionibus ſolum reiicit Ariſtot. primam, & tertiam; ſecundam vero ex parte videtur admittere, quia imprimis admittit quatuor elementa in rerum natura, quod verum eſſe opinatur ipſe: deinde ex his quatuor, per mutuum congreſſum, vel alterationem verum eſt aliquo modo generari elementa ſecundum partes, atque etiam mixta omnia; & ideo aliqua videtur dicere vera, & propterea non cenſuit eſſe omnino reiiciendam.

Primam vero probat eſſe falſam hoc argumento. Impoſſi- 4
bile eſt, quod primum principium materiale elementorum ſeparetur ab omni contrarietate, hoc eſt, à primis qualitatibus elementorum, inter quas vera contrarietas primo reperitur: ergo impoſſibile eſt, quod ſit realiter ſeparatum ab elementis, vt aſſerit eadem opinio. Euidens eſt conſequentia, quia primæ qualitates ſolis elementis ſunt propriæ, & ideo non poſſunt alteri corpori conuenire, niſi fortè eas ab illis participauerit; & id quidē in eſſe remiſſo, atque imperfecto. Sed probatur antecedēs, quia vel tale corpus, quod eſt principium, erit graue, aut leue: ſi leue, naturaliter mouebitur ad locum ignis; & ſi graue, ad locum terræ: ſed locus naturalis ſequitur naturam corporis naturaliter ad eum tendentis: ergo tale corpus erit ignis, vel terra, habebitque qualitates eorum. Quare falſum eſt, quod ab eis ſit diſtinctum, vel ſeparatum.

Refutat deinde opinionem Platonis, qui dicebat principium materiale, ex quo generantur elementa prædicari in recto de eiſdem elementis genitis ex eo, ſicut aurum prædicatur de operibus ex eo factis: nam verum inquit, eſt, vas confectum ex auro eſſe aurum: & ita eſt verum ignem ex illo communi ſubiecto factum, eſſe illud idem ſubiectum ex quo fit. Hoc autem ſic probat eſſe falſum, quia impoſſibile eſt principium naturale, ex quo tamquam ex materia generatur corpus, prædicari de eodem corpore in recto: ergo falſa eſt ſententia Platonis. Probatur antecedens. Nam principium materiale generationis ſubſtantialis ſolum poteſt eſſe ſubſtantialis pars eius, ex qua ſimul cum alia, nempe ſubſtantiali forma fiat corpus genitū, alioqui, ſi totum ſit ſubſtantiale, nihil eius corrumpetur, neque aliquid ſubſtantiale fiet per generationem, ſed ſolum erit mutatio accidētalis, quod patet eſſe falſum, ſed pars

ſubſtan

ſubſtantialis, etiam materialis non poteſt prædicari in recto de compoſito ſubſtantiali genito, ſed ad ſummum in obliquo: non enim dicimus cõpoſitum eſſe materiam, ſed ad ſummum eſſe materiale: ergo falſum eſt, quod materiale principium prædicetur in recto de re ex eo genita, vt affirmat Plato.

5 In ſecunda parte proponit propriam ſententiã dicens; principium materiale, ex quo generantur elementa, dum producuntur de nouo quædam partes eorum corruptis alijs vnum eſſe, non quidem vnum aliquod elementum, neque vnum aliquod corpus ſenſibile, ſed vna materia, quæ poteſt eſſe pars cuiuslibet corporis, non tamen eſt ſeparata ab omni forma ſubſtantiali elementorum, neque ab omni contrarietate, hoc eſt, ab omnibus primis qualitatibus, ſed coniuncta ſemper alicui formæ eorum, & aliquibus qualitatibus primis, quarum ratione poteſt tranſmutari ad aliam formam; & ita circa hãc materiam tranſmutatam de vna forma in alteram, tamquam circa commune ſubiectum fiunt generationes, & corruptiones elementorum. Probat autem Ariſtoteles, quod præter contrarietatem, id eſt, præter qualitates primas contrarias ponendum ſit hoc principium materiale, tamquam commune ſubiectum earum hac ratione. Vnum contrarium non poteſt tranſmutari in aliud ita vt aliquid eius fiat quia repugnat frigiditatẽ fieri calorem, vel è conuerſo: ergo non poſſunt agere, & pati, vt ſe tranſmutẽt, niſi aſſignetur commune ſubiectum, quod tranſmutetur ab vno in aliud, & de calido fiat frigidum, aut de frigido, calidum, & ita vnum contrarium corrumpat aliud, & generet ſibi ſimile circa illudmet ſubiectum, quod ideo ſit commune principium materiale omnium tranſmutationum, omniumque generationum, & corruptionum elementorum.

CAPVT II.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam igitur quærimus ſenſibilis corporis principia, &c.

Breuis expoſitio textus.

6 EXplicato principio materiali generationis elementorum capite præcedenti, quærit Ariſtoteles in præſenti principium formale, nempe formas eorumdem elementorum. Diuiditur

ditur autem in duas partes. In prima docet formas elementorum eſſe qualitates tangibiles,non quaſcumque, ſed primas,ſicut elementa ipſa prima corpora generabilia, & corruptibilia vocantur.In ſecunda parte enumerat omnes qualitates tangibiles,& oſtendit,quatuor ex eis eſſe primas,ad quas reducuntur reliquæ;ipſæ vero non reducuntur ad alias:& has quatuor primas qualitates eſſe formas elementorum.

Aſſerit ergo Ariſtoteles inquirendas eſſe formas elementorum,vt corporum ſenſibilium,non quocumq; ſenſu, vt viſu, vel auditu,ſed ſolum ſenſu tactus, ideo quærendas eſſe formas eorum, vt tangibilium corporum, cuius ratio eſt manifeſta, quia in hac parte conſiderantur elementa, vt ſunt generabilia, & corruptibilia;ergo conſiderantur;vt actiua, & paſſiua.Probatur conſequentia,quia per actionem,& paſſionem propriè ſumptam agunt,& patiuntur;ed actionem, & paſſionem exercent per contactum: ergo conſiderantur vt tangibilia corpora. Vnde ſequitur formas eorum debere eſſe qualitates tãgibiles, & cum ſint prima corpora tangibilia debere eſſe primas qualitates tangibiles.

Sed obijcit ſibi Ariſtoteles hoc modo.Senſus viſus eſt prior, 7
atque perfectior ſenſu tactus: ergo qualitates pertinentes ad viſum dicentur primæ,potius quàm pertinentes ad ſenſum tactus:ſed elementa ſunt prima corpora ſenſibilia: ergo formæ eorum debent eſſe qualitates ſenſibiles per viſum, & non per tactum, atque adeo non qualitates tangibiles. Et reſpondet concedendo primum enthymema, quod viſus ſit prior tactu ſecundum dignitatem,& vniuerſalitatem ſui obiecti, ſub quo comprehenditur lux, quæ eſt prima, ac perfectiſſima qualitas: & ideo,quod ex hac parte qualitates pertinentes ad viſum ſint priores pertinentibus ad ſenſum tactus. Sed quia in hac parte conſiderantur elementa, non vt corpora ſenſibilia ſunt ſub ratione communi, ſed in quantum corpora ſenſibilia per ſe actiua,& paſſiua,quia per ſe generabilia, & corruptibilia, & qualitates per ſe actiuæ propriiſſima actione, ſolum ſunt illæ, quæ pertinent ad tactum;ideo formæ elementorum, quatenus ſic conſiderantur,ſolum ſunt qualitates tangibiles.

Vt autem oſtendat in ſecunda parte capitis non omnes qua- 8
litates tangibiles eſſe formas elementorum, ſed tãtum primas, enumerat omnes ſub his ſeptem contrarietatibus comprehenſas,nempe calidum,& frigidum, humidum, & ſiccum,graue,& leue,durum,& molle,lubricum, & aridum, aſperum, & lene, craſſum, & tenue. Ex quibus duas imprimis excludit, nempe grauitatem,& leuitatem;de quibus euidens eſt,non eſſe formas

elemen

elementorum,quia licet ſint qualitates tangibiles, & licet ſint principia motus localis, & ideo actionis, & paſſionis in communi ſumptæ,non tamen ſunt actiuæ, & paſſiuæ actione propriiſſimè ſumpta,vt ſumitur in hac parte,quæ ſola eſt alteratio corruptiua:ideo non ſunt formæ elementorum, vt in hac parte conſiderantur. Ex reliquis vero ſolum illas quatuor, ex quibus efficiuntur duæ primæ contrarietates, aſſerit eſſe formas elementorum,nẽpe calor,& frigus,humiditas,& ſiccitas.Quod probat hoc diſcurſu,elementa ſunt prima corpora actiua, & paſſiua,generabilia, & corruptibilia: ergo formæ eorum ſunt primæ qualitates actiuæ,& paſſiuæ, & ideo primæ qualitates tangibiles, quia actio, & paſſio fit per contactum : ſed ſolum quatuor illæ ſunt primæ qualitates actiuæ & paſſiuæ:ergo illæ ſolum ſunt formæ elementorum.Probatur minor,quĩa illa dicuntur prima in quocumque genere, ad quæ reducuntur cætera;hæc vero non reducuntur ad alia;ſed ad has quatuor qualitates actiuas,& paſſiuas reducuntur omnes aliæ, & iſtæ, nec ad alias,nec inter ſeſe reducuntur:ergo ſunt primæ. Vt autem probetur hæc minor vltima, duo ſunt oſtendenda. Primum, quod quatuor iſtæ qualitates ſint actiuæ, & paſſiuæ:ſecundum, quod ad eas reducuntur cęteræ, ipſas vero non amplius reduci poſſint.Probat primum ex proprijs definitionibus. Nam ca- 9
lidum per ſe,& ſua virtute congregat ſimilia, & conſequenter diſſimilia ſeparat : ergo eſt actiuum, & ideo calor actiua qualitas. Euidens eſt conſequentia, quia congregare illa,& ſeparare hæc non poteſt fieri,niſi per propriam actionem, vt per ſe eſt manifeſtum. Minorem vero probat experientia in auro igni approximato, cuius partes propriæ coniunguntur inter ſeſe;ſed partes alterius naturæ,nempe terreſtres, quas habebat admiſtas,ſeparantur à proprijs. Probat deinde de frigido,quia propriavirtute cõgregat per ſe diſſimilia:ergo eſt per ſe actiuũ. Antecedens probatur experientia, nam virtute frigiditatis fit præcipua congelatio aquæ, vel alterius liquoris, ſed in congelatione coniunguntur, non ſolum partes aquæ, ſed paleæ, lapides,& alia valde diſſimilia,quod non poteſt fieri, niſi per actionem propriam:ergo frigiditas eſt actiua qualitas.

De humido vero,& ſicco probat tantum, quod ſint paſſiuæ; nam licet actiuæ ſint, magis ſunt paſſiuæ vt ſuperius oſtendimus.Probat ergo eſſe paſſiuas ex proprijs etiam deſcriptionibus:nam humidum eſt, quod proprio termino difficile terminatur,facile vero termino alieno, vt aqua, ſi ſibi relinquatur, diffunditut per ſpatium; ſed facile ſe accommodat figuræ vaſis, vt intra terminos eius concludi poſſit. Ex oppoſito vero

ſiccum

ſiccum eſt,quod non eſt facile terminabile termino alieno, ſed proprio,vt patet de terra,quæ non facilè includitur ſub alio,vt intra ipſum contineatur, & terminos eius non excedat, ſed facile ipſa ſe continet proprijs terminis; ſed eſſe aliquid terminabile proprio termino,vel alieno, denotat paſſionem:ergo humidum,& ſiccum paſſiua ſunt;& conſequenter humiditas, & ſiccitas,quarum ratione id habent, erunt qualitates paſſiuæ, & actiuæ.

Probat ſecundum,quod ad has quatuor qualitates reducantur cæteræ omnes a .iuæ, & paſſiuæ. Et primo probat, quod tenue reducatur ad humidum, & craſſum ad ſiccum: præſupponens proprietatem humidi eſſe, quod ſit repletiuum alterius;quod ſic declaro; humidum ex ſe eſt facile terminabile termino alieno:ergo ex ſe habet facile ſe accommodare alteri, vt intra terminos eius contineatur, quod eſt ipſum replere:ſed tenue conuenit eſſe repletiuum:ergo erit humidum. Minorem probat quia corpus tenue, aut ſubtile eſt habens ſubtiles partes,per quas facile admiſcetur alteri ſecundum exiguas partes illud interſecans,& illud peruadit, & quaſi penetrat, vt patet de ſubtilioribus liquoribus: hoc autem eſt eſſe repletiuum aliorum, & conſequenter eſſe humidum, nam id habet per humiditatem. Quod vero craſſum reducatur ad ſiccum probat,quia ex duobus contrarijs, ſicut vnum ſe habet ad vnum ſibi contrarium,ita ſe habet aliud ad ſibi contrarium. Reducit deinde lubricum,& aridum ad humidum,& ſiccum hoc modo. Lubricum eſt humidum aliquid paſſum, hoc eſt commixtum cum terreo ſubtili, ex quo prouenit ei, quod ſit tenax, atque vnctuoſum, vt oleum: ergo ex humiditate tali modo ſe habente prouenit ei, quod ſit lubricum; quare ad humidum reducitur,ſicut particulare ad vniuerſale eiuſdem rationis, ſub quo continetur. Aridum vero ex oppoſito nec admittit admixtionem terrei ſubtilis, nec vnctuoſi humidi, ſed calore extraneo reſoluente humiditatem eius, frigido vero proprio comprimente eaſdem partes ſiccas,& faciente eas ſibi conſtare hoc eſt, non dilabi, quaſi congelatur, & aridum fit: & ecce ariditatem ex ſiccitate prouenientem, quare merito ad ſiccum reducitur. Reducit deinde molle ad humidum ratione effectus,quia propter humiditatem facile cedit tangenti,non quidem per fractionem, vel diuiſionem propriam, nec circumdando corpus ſubintrans,vt faciunt aqua,& alij liquores, ſed quaſi intra proprios terminos ſe colligens, vt cera blanda, quod conſtat facere per humiditatem. Durum vero

10

11

ratione

ratione ſiccitatis quaſi conſtipatum eſt,& diuidenti reſiſtit, & propterea ad ſiccum reducitur.De aſpero vero, & leni non loquitur,quia notum eſt ad ſiccum reduci vtrumque. Sunt enim ſicca quædam,& dura ex eo contraria,quia addunt contrariam poſitionem partium; nam aſperum habet partes inæqualiter prominentes,lene vero prominentes æqualiter,& ex eiuſmodi oppoſita poſitione partium,ſequitur contraria ratio qualitatis, nempe aſperitas,& lenitas.

12 Sed quia has omnes contrarietates reduxit ad humiditatem, & ſiccitatem,adnotat triplex eſſe humidum.Primum,quod non habet à ſe,nec ſibi inhærentem humiditatem, ſed ex coniunctione corporis eam habentis, & tunc aut in ſola ſuperficie,vt lapis,cui ſuperinfunditur aqua,& hoc dicitur vdum, vel roratum,aut etiam in profundo,vt cum aqua ſubintrat terram, eique imbibitur, & hoc dicitur humidum irrigatum. Tertium eſt humidum habens in ſe,& à ſe, hoc eſt ex natura propria, humiditatem, & hoc eſt propriè humidum elementare, ad quod reducuntur duo alia,& eiſdem modis diuiditur ſiccum,& impropria reducuntur ad proprium,vt conſideranti erit manifeſtum. Sed probat tandem, quod quatuor illæ qualitates, ad quas reductæ ſunt cæteræ, non reducantur ad alias; & ideo abſolutè ſint primæ, atque elementorum formæ, hoc argumento.Si reducerentur ad alias,vel ad alias priores, vel viciſſim inter ſeſe;ſed neutro modo reduci poſſunt: ergo erunt abſolutè primæ. Probatur minor, quia omnes qualitates proprijſſime actiuæ comprehenduntur illis contrarietatibus enumeratis; ſed probatum eſt cæteras omnes ad eas reduci: ergo non dantur aliæ priores, ad quas reducantur. Quod vero nec inter ſeſe poſſint reduci,probat; quia ſiccum non poteſt reduci ad calidum,niſi dicatur,omne ſiccum eſſe calidum, quod patet eſſe falſum, cum terra valde ſicca non fit calida: nec ſiccum poteſt reduci ad frigidum, cum experientia conſtet ignem eſſe ſiccum,& non frigidum: ſed nec humidum ad calidum, nam aqua humida eſt nullum habés naturalem calorem. Et tandem nec humidum reducitur ad frigidum, cum detur aër valde humidus nullam habens naturalem frigiditatem.

CAPVT III.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem quatuor elementa ſunt, iſſorum autem quatuor ſex coniugationes, &c.

Breuis

Digitized by Google

Breuis expoſitio textus.

INtentũ Ariſtotelis capite præſenti eſt conſtituere numerum 13
elemẽtorum ex numero qualitatum primarum, quæ ſunt eorum formæ capite præcedenti conſtituto. Diuiditur autem in duas partes: in prima aſſerit elementa eſſe quatuor, nec plura nec pauciora. Quod probat ex quatuor cõbinationibus tantum poſſibilibus primarum qualitatum, & ex communi antiquorum opinione. In ſecunda parte duplicem differentiam loci eiſdem elementis tribuit, & ſimul docet in quonam gradu conueniant eis primæ qualitates;& quæ quibus ſint contraria.

Quatuor,inquit,elementa,eſſe conſtat ex capite præcedente, id eſt quatuor primas qualitates. Ex quatuor autem qualitatibus colligit quatuor tantum eſſe elementa hoc modo. Vnumquodque elementum debet conſtare duabus qualitatibus,vt per vnam poſſit cum alio ſibi proximo conuenire, & per alteram differre ab eo,eique contrarium eſſe: ſed quatuor primæ qualitates quatuor tantum modis poſſunt accommodari, vt binæ poſſint conuenire ad conſtitutionem elementi: ergo quatuor tantum elementa ex eis poſſunt conſtitui. Minorem ſic probat. Duæ contrariæ qualitates non poſſunt conuenire ad compoſitionem eiuſdem elementi, quia contraria in gradibus intenſis (vt oportet concurrere qualitates ad compoſitionem elementi) non poſſunt ſimul conſiſtere in eodem ſubiecto; ſed excluſis combinationibus contrariarum qualitatum, vt impoſſibilibus naturaliter, ſolum reſtant aliæ quatuor: ergo ſolum poſſunt ex eis conſtitui quatuor elementa. Probat iterum hanc minorem 14
hoc modo. Sex tantum modis excogitari poteſt coniunctio duarum qualitatum ex his: primus erit caloris cum frigore, ſecundus humiditatis cum ſiccitate; tertius caloris cum ſiccitate: quartus caloris cum humiditate; quintus frigoris cum humiditate; ſextus frigiditatis cum ſiccitate; ſed duo priores modi ſunt impoſſibiles propter contrarietatem: ergo ſolum reſtant quatuor alij,poſſibiles quidem, quia ſicut nullam contrarietatem habent qualitates eorum; ita nullam habent incompoſſibilitatem. Ex tertia igitur reſultat elementum calidum,& ſiccum,quod eſt ignis;ex quarta elementum calidum,& humidum,quod eſt aër: ex quinta elementum frigidum, & humidum, quod eſt aqua. Et ex vltima elementum frigidum, & ſiccum; quod eſt terra. Ideo quatuor ſunt elementa, nec plura, nec pauciora. Quod probat ex communi opinione antiquorum Philoſophorum; qui licet diuerſum numerum elementorum poſuerint, nullius tamen exceſſit numerum quaternarium; ſed

cum omnes pro certo tenuerint per contrarias qualitates agere, & pati; & ita ex eis generari cætera corpora, quidam vnum tantum posuerunt igne densius, sed aëre rarius, quod esset materiale principium, habens tamen oppositas qualitates, nempe calorem, & frigus; & ita ratione caloris rarefieret, & ratione frigoris condensaretur; sicque cætera corpora ex eo fierent per rarefactionem, & condensationem. Alij vero duo ponebant; nempe ignem, & terram; ex quibus dicebant duo alia media generari per rarefactionem, & condensationem; ita vt dum rarefit terra, generetur aqua, & dum condensatur ignis, fiat aër: & sic videtur sensisse Parmenides. Sed Plato tria videtur posuisse, nempe duo extrema contraria ex parte materiæ, hoc est magnum, & paruum; & vnum quasi formale, & veluti mixtum ex magno, & paruo; & per modum quemdam mixtionis similem fieri ex eis cætera corpora. Empedocles tandem quatuor hæc consueta elementa posuit; nempe ignem, aërem, aquam, & terram; quæ tamen sub vna contrarietate comprehendi voluit, ita vt solus ignis propter summam actiuitatem constitueretur ex parte vnius extremi; tria vero alia simul ex
15 parte alterius. Et ecce nullus posuit plura quatuor: ideo communis est omnium sententia, quod quatuor sint, quantum ad hanc partem; licet non omnes posuerint quatuor.

Sed de Empedocle ponente quatuor consueta elementa asserit Aristoteles, tenuisse vera elementa non esse ignem, aërem, aquam, & terram, quæ videmus, & tangimus; sed mixta quædam veris elementis similia. Et propterea hunc ignem, qui apud nos est, excessum caloris habere, sicut glacies habet excessum frigoris. Quamuis alij ex propria sententia hæc docere Aristotelem sentiant; sed D. Tho. in commentariis huius capitis, non ex propria sententia, sed Empedoclis, cuius mentem exponebat prolata esse ab Aristotele docet. Et ita ego credo, quia licet sentire videatur Aristoteles, verum, atque elementarem ignem proprium habere locum in concauo Lunæ, flammam vero, quam videmus, docet esse fumum quemdam ardentem, & mixtum ex aëre, & terra genitum, in hoc secundo libro text. 28. & 3. lib. de generatione animalium cap. 11. non longe à principio; de cæteris vero tribus, quæ apud nos sunt, tamquam de veris elementis loquitur in hoc secundo loco, & sæpe alibi.

16 In secunda parte capitis quatuor docet de elementis. Primum, duo superiora, ac leuiora, nempe aërem, & ignem primum locum tenere sub concauo Lunæ, sed supremum ignis ob suam leuitatem: duo vero alia grauiora, nempe aquã, & terram inferiorem; sed terra infimum obtinere grauitatem. Secundum,

extrema

extrema elementa, vt ignis, & terra, puriora eſſe duobus aliis mediis. Tertium, ſuperiora eſſe inferioribus contraria, cùm ex contrariis qualitatibus conſtent. Quartum, quod licet quodlibet elementum habeat duplicem qualitatem, vnam tamen ſibi propriam, in qua ſuperat aliud eamdem habens; vt ignis calorem; aër humiditatem; frigiditatem aqua; & ſiccitatem terra.

TRACTATVS DE PRIMIS QVALITATIBUS elementorum.

ELementum, vt à ſignificatione ipſius nominis incipiamus, duobus modis ſumitur. Primo, latiſſima quadam ſignificatione; vt ſignificat primum, ex quo aliquid conficitur: quo pacto litteræ dicuntur elementa ſyllabarum, & orationis; prima principia dicuntur elementa demonſtrationis, materia, & forma ſubſtantialis elementa rerum naturalium, & corpora ſimplicia intra ordinem rerum corruptibilium, vocantur elementa, ex quibus cætera corpora componuntur; & in hac ſignificatione definiuit elementum Ariſtoteles 5. lib. Metaph. cap. 3. textu 4. his verbis: *Elementum dicitur, ex quo componitur primo in exiſtenti indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem vt vocis elementa, ex quibus componitur vox, & in quæ vltima diuiditur; illa vero non amplius in alias voces ab ipſis ſpecie diuerſas, &c.* Modò vero non ſumimus elementum in hac ſignificatione, ſed in ſpecialiori, & magis propria, pro primo, atque ſimplici corpore generabili, & corruptibili, ex quo generantur, & in quod reſoluuntur cætera: & hoc modo definitur ab Ariſtotele 3. lib. de cœlo, & mundo text. 31. his verbis: *Sic itaque elementum illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, aut actu; ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie.* Quam definitionem conſtat non conuenire principiis incompletis rerum naturalium, ſed corporibus tantum ſimplicibus, ex quibus generantur, & in quæ reſoluuntur mixta: in his enim (ait Ariſtoteles) actu, vel virtute permanere ſecundum diuerſas opiniones, & hæc de ſignificatione nominis. 17

Qua præſuppoſita certum eſt, dari elementum, de quo agimus, in rerum natura; nam aqua, terra, & aër corpora ſunt ſimplicia, hoc eſt, neque facta, neque compoſita ex aliis corporibus alterius conditionis, ſed ex quibus cætera fiunt, quæ vocantur 18

mixta, in quibus actu, vel virtute permanent, vt cap. 10. præcedentis libri expositum est. Certum quoque est, elementa componi ex materia, & forma sicut cætera corpora sensibilia, & ex materia eorum per diuersas transmutationes fieri cætera corpora sublunaria, & ita verum est, cætera corpora ab eis participare materiam. De formis vero eorum dubitatum est, an sint quatuor qualitates (quas vocant primas) nempe calor, frigiditas, humiditas, & siccitas; vel præter has habeant alias formas substantiales, & istæ solum sint accidentales.

QVÆSTIO I.

An quatuor qualitates elementorum sint primæ.

19 TRia sunt disputanda de his qualitatibus, nempe calore, frigore, humiditate, & siccitate tribus quæstionibus. Primum, an sint qualitates primæ, ita vt præter ipsas non reperiantur aliæ primæ, sed omnes sint secundæ. Deinde, an in mixtis reperiantur aliæ præter ipsas. Tertium an sint formæ substantiales elementorum?

[a] Circa primam quæstionem refertur prima sententia eorum, qui tenuerunt calorem, & humiditatem esse qualitates positiuas, frigiditatem vero, & siccitatem solum esse priuationes earum. Quod probant experientia; nam videmus infrigidari corpora per solum recessum caloris absque vlla productione alterius qualitatis, vt in febricitantibus, quorum corpora per solum recessum, vel remissionem caloris febrilis refrigerantur; & alia sunt corpora, quæ per solam consumptionem humiditatis videntur exsiccari. Quod sentire videtur Aristoteles 1. lib. de cœlo cap. 3. text. 18. primo lib. de generatione cap. 3. text. 18. & 3. Meth. capit. 4. text. 22. quibus locis de frigore saltem docet esse priuationem caloris. Ad hanc sententiam possunt etiam reduci alij, qui putant humiditatem saltem, non esse qualitatem, sed substantiam quamdam quasi liquidam, & per partes corporis fluentem, à qua humectari dicũtur, atque etiam exsiccari ea sola recedente, vel consumpta, & ideo siccitatem non esse aliud, quàm priuationem huius substantiæ. Hæc tamen sententia expresse contraria est doctrinæ Aristotelis, atque
20 etiam experientiæ, & rationi. Probatur primum, quia Aristoteles 1. lib. de generatione capite vltimo, docet expresse mixta generari ex elementis se corrumpentibus per mutuam actionem, & reactionem, & capite 4. huius libri quodlibet elementum posse generari ex alio; sed corruptio omnium elementorum ad

rum ad generationem mixti, non est possibilis, nisi quatuor istæ qualitates sint positiuæ: ergo contra Aristotelem est de vlla earum id negare. Probatur minor, quia actio, & reactio, generatio, & corruptio fiunt ratione contrarietatis propriæ, per quam vnum agit in alterum, & vnum etiam resistit alteri: contrarietas vero, actio, & resistentia dicunt rationes positiuas, quia nec priuatio propriè contraria est, nec resistit alteri, vt patet de tenebris, & luce: ergo euidens est in doctrina Aristotelis has omnes esse qualitates positiuas. Præterea 2. lib. de anima capit. de tactu, textu 107. docet expresse has omnes qualitates esse per se sensibiles sensu tactus, his verbis: *Intangibili autem multa insunt contrarietates, calidum, frigidum, humidum, siccum.* Sed priuationes, vel substantia non sunt per se sensibiles: ergo nec in doctrina Aristotelis sustineri potest, quod vlla harum qualitatum consistat in sola priuatione. Probatur secundo, quod sit contra experientiam; nam experimur has omnes qualitates realiter, & positiuè immutare corpora, & circa illa effectus reales, & positiuos causare; sed priuationes non possunt efficere realem, & positiuam immutationem, nec realem, & positiuum effectum, cum vtrumque postulet virtutem realem, & positiuam in efficiente: ergo contradicit experientiæ, qui negat has omnes esse qualitates positiuas. Sed probatur tandem, quod 21
sit contra rationem, quia impossibile est, qualitatem aliquam produci per se successiuè in aqua ab igne, nisi ratione proprij, & positiui contrarij in eodem subiecto existentis; sed calor producitur per se successiuè in aqua ab igne, & pari ratione siccitas in luto, & humiditas in cera: ergo præsupponunt qualitates propriè contrarias, & ideo reales, positiuas in eisdem subiectis, à quibus eas realiter expellunt: quare nulla earum potest consistere in sola priuatione. Probatur maior, quia nec sola extensio subiecti, nec sola priuatio, nec vtraque simul sufficit ad successiuam productionem qualitatis, vt patet in productione per se instantanea lucis in aëre, vtraque simul non obstante: requiritur ergo contrarietas positiua cum extensione subiecti, quam proinde habere debent qualitates istæ per se productæ per mutationem successiuam. Minor vero, quòd omnes istæ producantur per se successiue in subiectis, constat, quia seclusa quauis alia causa extrinseca, vel per accidens experimur, aquam successiuè calefieri, & aërem infrigidari ab ea: ergo concedere necesse est, quod id fiat ratione positiuæ contrarietatis circa idem subiectum inter has qualitates repertæ, quam non possunt habere, nisi sint qualitates reales, & positiuæ.

Quo ſuppoſito, ſecunda opinio tenet, has non eſſe primas qualitates, ſed dari alias in elementis priores, quæ vocantur virtuales eiuſdem denominationis, vt alium calorem virtualem, aliam virtualem frigiditatem, aliam humiditatem, & ſiccitatem. Has vero ideo eſſe ponendas præter formales, & eis priores, vt formales ipſas in ſe producant elementa. Hanc ſententiam citauit Marſil. 2. lib. de gener. q. 5. quam probant hoc argumento. Sæpe contingit aquam, vel terram intenſum calorem recipere ab igne: à quo frigiditas earum maxima ex parte expellitur, & remiſſa manet: ergo non poterunt etiam ſublatis impedimentis in antiquam frigiditatem ſe reducere eam in ſe producendo, niſi virtualis alia frigiditas eis concedatur, per quam agere poſſint, atque in ſe eam producere expellendo calorem intenſum. Probatur conſequentia, quia cum formalis frigiditas permanens in eis ſit valde remiſſa, non poterit intenſum calorem expellere, cum à proportione minoris inæqualitatis non proueniat actio.

23 Secundò poteſt probari hæc ſententia, quia plures dantur qualitates his nobiliores, atque adeo priores, & imprimis lux; deinde potentiæ vitales, atque etiam colores, qui cum ſint obiecta nobilioris potentiæ, nempe viſus, nobiliores ſunt eis, ſicut viſus nobilior eſt tactu, ad quem pertinent: grauitas etiam, & leuitas priores ſunt, ac perfectiores. Vtrumque enim docuit, & probauit Ariſtot. 8. lib. Phyſ. textu 55. quia ſunt principia motus localis, qui prior eſt, atque perfectior omni alio motu, quod docuit etiam expreſſe D. Thom. 1. p. q. 10. art. 1. Plures denique dantur qualitates in mixtis præter qualitates, quas participant ab elementis, vt in magnete, auro, & lapidibus prætioſis, in pipere etiam, vino, & ſale, quæ non dependent ex eiſdem qualiratibus: ergo non poſſunt vocari primæ. Probatur conſequentia, quia vt aliquid ſit primum in aliquo genere, nec debet eſſe aliud eo ptius, nec aliquid aliud ſub eodem genere, quod ab eo non deriuetur, vel aliquo modo dependeat.

24 Sed hæc ſententia tamquam falſa reijcitur, non ſolum à recentioribus interpretibus Ariſtotelis in expoſitione ſecundi capitis huius libri, ſed etiam ab antiquioribus Philoſophis, & Theologis, qui nullas alias qualitates virtuales ponendas eſſe in elementis docent, præter quatuor formales, quæ vocantur primæ. Ita Henric. quodlib. 11. quæſt. 6. Marſ. 1. de gener. quæſt. 5. Ægidius quodlib. 2. quæſt. 16. Capreol. in 2. d. 16. quæſt. 2. Sonzin. 9. Meth. quæſt. 8. Sotus 2. lib. Phyſ. quæſt. 1. & in tota doctrina Ariſtotelis nulla talis qualitas virtualis in elementis ponenda reperitur. Sed probatur, quod non ſint

admit

admittendæ hac ratione: nam vel qualitates formales emanant immediatè à ſubſtantiis elementorum, vel quia non poſſunt immediatè ab eis emanare, ponuntur virtuales à quibus producantur. Si primum dicatur, euidenter ex eo ſequitur ſuperfluas eſſe virtuales; nam ſi proximè illæ emanant à ſubſtantiis, ergo non indigent aliis, à quibus producantur. Probatur conſequentia, quia virtuales ipſæ ponuntur proximè emanantes à ſubſtantiis, & ideo non ponuntur aliæ priores, quibus mediis emanent, vel à quibus producantur, quia daretur proceſſus in infinitum, cum eadem ſit ratio de vtriſque. Si vero dicatur formales non emanare immediatè à ſubſtantiis, ſequitur nec virtuales immediatè emanare poſſe. Probatur conſequentia, quia nulla poteſt ratio aſſignari ob quam virtuales proximè emanent, per quam non probetur eodem modo formales immediatè etiam emanare poſſe.

Vt autem quid ſit in hac re tenendum explicemus, notandum eſt primo, has qualitates de quibus loquimur, numquam vocari primas ab Ariſtotele, eiúſque interpretibus vniuerſali locutione, ſed cum hac limitatione, nempe inter ſenſibiles corruptibilium corporum ordinatas ad generationem, perfectionem, vel ornatum eorum, vt talia ſunt. Hunc autem eſſe ſenſum Ariſtotelis euidens eſt ex cap. 2. & 3. huius libri à nobis expoſitis, in quibus eaſdem qualitates reduxit ad ſenſum tactus, & primas vocauit inter tangibiles: ergo ſolum in hoc ſenſu voluit eſſe primas, in quo etiam loquuntur omnes fere eius interpretes in commentariis ſecundi capitis. Quod autem in hoc ſenſu ſint primæ, probatur hoc argumento. Prima principia rerum naturalium vocantur ab Ariſtotele materia, forma, & priuatio 1. lib. Phyſ. quia nec fiunt ex aliis, nec ex alterutris, & omnia fiunt ex ipſis; ſed ita ſe habent iſtæ inter qualitates ſenſibiles corruptibilium corporum: ergo in hoc genere debent vocari primæ. Probatur minor, quod non fiant ex aliis, quia generatio rei naturalis prior origine eſt perfectione, & ornatu eius; cum ordinetur immediatè ad eſſe ſubſtantiale eius: ergo qualitates diſponentes ad generationem priores erunt origine cæteris, & ideo ex eis non fient; ſed qualitates iſtæ elementorum ſunt primæ inter eas, quæ diſponunt ad generationem: ergo impoſſibile eſt, quod fiant, vel oriantur ex aliis in tali ordine ſenſibilium qualitatum. Probatur iterum minor, quia ſola alteratio propriè ſumpta, eſt primum medium, quo expellitur vna forma, & diſponitur materia ad introductionem alterius ad quam tendit per ſe generatio: ergo ſolum poſſunt per ſe primo diſponere ad generationem 25 26

qualitates illæ, quibus primo, & per se conuenit esse principia talis alterationis; sed istæ sunt qualitates elementorum, de quibus loquimur: ergo sic sunt primæ in hoc ordine, vt non fiant ex aliis. Minorem hanc sic probo, quia non sunt excogitabiles aliæ alterationes, per quas expellatur vna forma, & introducatur alia, priores calefactione, exsiccatione, & humectatione; quare impossibile est, has qualitates ex aliis fieri. Quod vero nõ fiant ex alterutris, hoc est vna ex altera, euidens est, nam quælibet earum solum est principium per se alterationis determinatæ speciei, & vniuocum quidem, vt calor solum est principium per se calefactionis; sicque de reliquis: ergo quælibet determinatur per se ad productionem determinati effectus secundum speciem, vt calor ad producendum calorem; ita vt repugnet producere per se frigiditatem. Vnde sequitur eadem ratione repugnare, quod vna earum producat per se alteram. Probatur tandem, quod cæteræ qualitates eiusdem ordinis fiant ex ipsis, expressis testimoniis Aristotelis, quibus id asserit, & probat: nam c. 2. huius libri, & 2. libro de partibus animalium cap. 1. omnes qualitates tangibiles ad eas reducit tamquam ad principia, ex quorum commixtione oriuntur, de coloribus vero sectione vltima problematum, & de odoribus 2. lib. de anima cap. 9. & lib. de sensu, & sensili cap. 5. de saporibus cap. 4. eiusdem libri, & de sonis sectione 11. problem. & tandem de grauitate, & leuitate 4. lib. Phys. text. 85. & 86. & 2. lib. de partibus animalium cap. 3. probat ex diuersa commixtione earumdem qualitatum procedere, non quidem immediatè, sed media raritate, & densitate: & ideo omnes qualitates, quæ ex quatuor primis sequuntur, merito appellantur secundæ.

27 Probatur deinde ratione, & experientia: ratione quidem, quia sensus tactus prior est origine, vel generatione cæteris sensibus, & ideo vniuersalior, & propterea in omnibus animalibus quantumlibet imperfectis reperitur, atque etiam in omnibus partibus singulorum, cum tamen cæteri sensus, nec in omnibus, nec in singulis partibus eiusdem reperiantur: ergo qualitates tangibiles ad ipsum pertinentes priores origine, atque vniuersaliores esse debent. Quod probat experientia, cum videamus ex mutatione earum passim mutari corpora circa omnes alias, nempe circa raritatem, & densitatem, grauitatem, & leuitatem; circa colores, odores, & sapores, ac reliquas: istæ ergo qualitates elementorum sunt primæ, ex quibus procedunt aliæ, & procedentes sunt secundæ.

Has vero qualitates primas quatuor tantum esse, ita vt nec plures, nec pauciores ponendæ sint, probauit Aristoteles cap. 2. huius

huius libri textu 15. ostendens ad omnes, & solas illas reduci cæteras, eas vero non reduci ad alias, nec inter sese vlla ad alteram; & experientia docuit esse quatuor, præter quas non cognoscimus aliam, nec effectum vllum experimur, præter effectus earum: ergo euidens censendum est non esse plures, nec pauciores.

Ad argumentum primæ opinionis neganda est illa experien- 28
tia, nempe, quòd in febricitantibus per solum abscessum caloris infrigidentur membra corporis; non enim ex hoc solo infrigidantur, sed per accessum frigoris recedentibus spiritibus, & quasi confugientibus ad internas partes corporis. Et pari ratione non exsiccatur corpus per solum recessum humiditatis, sed per productionem siccitatis.

Ad argumentum secundæ opinionis concesso antecedente, quod aquam intensum calorem sæpe ab igne suscipiat: neganda est consequentia, quod non possit se reducere in antiquam frigiditatem, nisi ei concedatur alia qualitas, quæ sit virtualis frigiditas. Et quod dicitur has qualitates non emanare à substantiis elementorum immediatè, negandum est, nam licet non sint propriæ passiones elementorum, sunt tamen naturales virtutes eorum consequentes naturaliter eorum substantias, vt per eas possint producere sibi similia, non solum inducendo similes dispositiones in materia ad introducendam similem formam, sed etiam agendo per illas tamquam per instrumenta naturalia ad productionem eius. Vnde fit, vt si aliquando per introductionem contrariæ qualitatis maxima ex parte expellantur, remoto tamen agente contrario naturaliter emanent ab eadem substantia. In secundo argumento plures numerantur qualita- 29
tes, quæ videntur esse priores qualitatibus elementorum: sed cum istæ non dicantur omnium primæ, sed facta solum comparatione cum qualitatibus sensibilibus corruptibilium corporum, concedendum est non esse primas respectu lucis, quæ longe perfectior est. De potentiis autem vitalibus corporeis, certum est præsupponere in subiecto commixtionem, & temperamentum primarum qualitatum, tamquam dispositiones necessarias, vt in eo recipiantur; nam potentiæ vitales, vt vegetatiua, generatiua, & loco motiua, atque etiam potentiæ sensitiuæ non possunt recipi, nisi in organo, vel parte corporis, aut in toto corpore talis temperamenti, vt debito modo possint suas operationes exercere: quare ordine naturæ, saltem in genere causæ materialis præsupponunt qualitates primas; sed quia ab eis non procedunt tamquam à causa efficienti, non dicuntur qualitates secundæ. De coloribus verò iam diximus in

Digitized by Google

explicatione textus procedere ex permixtione, ac temperamento primarum qualitatum,& ideo ſecundas vocari. Quod in
30 hac etiam quæſtione probauimus, non ſolum ex doctrina Ariſtotelis, ſed euidenti experientia, cum videamus mutationes paſſum fieri circa colores ex mutatione temperamenti. Negandum eſt ergo, quod ſint perfectiores primis qualitatibus, nam quamuis viſus ſit perfectior tactu,vt ſuo loco dicetur; non ſequitur omnia obiecta materialia eius eſſe perfectiora quibuſcumque obiectis materialibus tactus, ſed maiorem perfectionem habet propter rationem formalem obiectiuã vniuerſaliorem,atque perfectiorẽ,& modum operandi minus materialem. Ex quibus intelligitur potentiam ipſam immaterialiorem eſſe, atque adeo perfectiorem; & adhuc intra obiectum materiale viſus continetur lux longe perfectior primis qualitatibus. De grauitate autem, & leuitate hac diſtinctione loquendum eſt, nam vniuerſaliter, vel à toto genere priores ſunt natura, quia motus localis vniuerſaliter loquendo prior eſt alteratione, cuius principia ſunt primæ qualitates;cum approximatio agentis ad paſſum præcedens alterationem fiat per motum localem. Perfectiores vero ſolum accidentaliter,quia motus localis, cuius ſunt principia,perfectior eſt cęteris motibus accidentaliter, ex ordine ad ſubiectum, quod minus in potentia præſupponit, ſed reſpectu eiuſdem corporis priores ſunt primæ qualitates, quæ ſunt principia alterationis, prius eidẽ corpori conuenientis, quàm motus localis, atque etiam ſunt perfectiores ſimpliciter,quia qualitas cum ſit forma abſoluta, atque intrinſeca, vt perfectior eſt præſentia locali,& ideo alteratio perfectior ſimpliciter motu locali, quia ad perfectiorem terminum,ad quem tendit, nempe ad eamdem qualitatem perfectiorem præſentia locali,ad quam tẽdit motus localis.Ariſtoteles vero,& D.Tho. loquuntur vniuerſaliter de motu locali,vt cõprehendit motum cœlorum, & de maiori perfectione tantũ accidentali ex ordine ad ſubiectum perfectius,cum quo ſtat,vt perfectior ſit alteratio ſimpliciter propter perfectiorem terminum ad quem, & prior natura reſpectu eiuſdem corporis;& ideo qualitates elementorum priores,& perfectiores ſimpliciter grauitate,& leuitate.

QVÆSTIO II.

An in mixtis reperiantur aliæ qualitates præter elementares?

31 IN eodem ſecundo argumento opponebantur particulares qualitates quorumdam mixtorum, quas videntur habere diſtinctas

ſtinctas à primis,& eorum temperamento, vt piper, vinum,ſal, & eiuſmodi alia ad producendas qualitates elementorum ordinatas, vt ad producendum calorem,aut ſiccitatem, atque etiam alios particulares effectus, non quidem in eiſdem corporibus, ſed in aliis.De his ergo procedit ſecunda quæſtio duo quærens, primo,an dentur? Secundo,an procedant ex mixtione, aut temperamento primarum, & ideo vocari debeant qualitates ſecundæ?Et prima opinio quorumdam recentiorum negat dari tales qualitates ſaltem ad producendum elementares, vt ad producendum calorem,vel frigus; aſſerúntque communem eſſe ſententiam,pro qua citant Nimphum 2. lib. de generatione comment. 28. quæſt.3. Petrum Martinez ad caput 2. eiuſdem libri Valleſ.1. lib. de controuerſ.med. cap.12.Claudium de Sancteis repetitione 8. de Euchariſtia cap.2. Probántque duplici argumento; primo, quia corpus habens virtutem vniuocam, ſiue æquiuocam producendi aliquam qualitatem in alio, vt calorem, vel ſiccitatem,ſi applicetur ſubiecto capaci eiuſdem qualitatis,naturaliter,& ſemper eam producit;ſed piper, vinum, & ſal non calefaciunt, neque exſiccant alia corpora, etiam capacia harum qualitatum, quibus applicantur, niſi atterantur,vel 31
ab animali ſumantur, ac partibus corporis eius applicentur: ergo non habent virtutem naturalem ad producandum alias qualitates in reliquis corporibus. Secundo,quia non ſunt multiplicandæ qualitates, ſine vrgenti neceſſitate; ſed nulla vrget neceſſitas ponendi has qualitates præter primas:ergo non ſunt ponendæ in his corporibus. Probatur minor, quia ſi vlla eſſet neceſſitas, maximè pro aliquibus effectibus, vel qualitatibus producendis, quas docet experientia produci per applicationem horum mixtorum ad alia; ſed pro his producendis non ſunt neceſſariæ, cum dentur aliæ cauſæ, à quibus produci poſſunt: ergo non ſunt admittendæ. Probatur minor, quia per qualitatem prædominantem in proprio temperamento poſſunt hæc mixta corpora producere tales effectus,vt piper calefacere per calorem in eo prædominantem, qui ſi aliquando impediatur per frigiditatem impreſſam eidē piperi ab extrinſeco agente; hoc tamen impedimento ſublato ab agente alio, reducet ſe in calorem prædominantem ſibi naturalem, per quem poterit eumdem calorem in alio corpore producere.Vel excogitari poteſt, & non ſine fundamento eiuſmodi corpora, nec producere calorem,nec ſiccitatem; ſed habere quamdam virtutem attractiuam ſimilē ea,quę in quibuſdam medicamentis reperitur,per quam attrahunt ſpiritus calidos animales ad ſtomachū, à quibus calefit,aut denique calorem accipiunt ab eodem ſtomacho,

per

per quem calorem ipſum calefaciunt, quod videtur probari in pipere,& vino non calefacientibus, niſi prius in ſtomacho calefiant.

33 Noſtra tamen ſententia aſſerit, non ſolum non poſſe vniuerſaliter negari particulares qualitates in mixtis ad producendos particulares effectus in alijs corporibus, ſed nec in particulari ad producendum calorem,aut alias qualitates elementorum.Ita D.Thomas opuſc.34.cap.vnico,quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis art.2.& 2.cõtra gentes cap.88.Conimb. 2.lib.de generat.cap.3.q.2.art.2.& 3. & eſt cõmunis Medicorũ. Probatur primum euidenti experientia,quia in magnere, & lapidibus prætioſis,atque etiam in medicamentis euidens eſt reperiri virtutem attractiuam aliorum corporum diſtinctam à qualitatibus elementorũ,quia attractio illa non fit per calefactionem,vel infrigidationem,aut alterationem elementarẽ, & licet media alteratione primarum qualitatum fiat aliquando, euidens eſt,non cõſiſtere in tali alteratione attractionẽ ipſam; cum conſtet calefieri, & exiccari,vel infrigidari rem omnino immotam localiter;neceſſe eſt ergo ponere in his rebus virtutem aliam diſtinctam à qualitatibus elementorum, per quam
34 attrahantur per ſe ab eis corpora. Probatur ſecundum, quod etiã dentur particulares qualitates in mixtis virtualiter continentes qualitates elementorum,& eas ſæpe producentes;nam ſi non dantur,ideo erit, quia repugnat has qualitates primas contineri virtute in alijs, vel quia repugnat corpus mixtum tales qualitates continere, aut tandem, quia licet ſint naturaliter poſſibiles, non tamen ſunt neceſſariæ pro his effectibus producendis,ſed ſuperfluæ, quia alio modo poſſunt produci. Sed nulla ex his rationibus probat non dari:ergo cõcedendum eſt,quod dẽtur,cum effectus experiamur.Probatur minor, quia primam rationẽ inſufficientem eſſe probat lux virtualiter cõtinens calorem,& eum producens in corporibus corruptibilibus:ergo non repugnat dari qualitatẽ virtute cõtinentem elementares,& potentem eas producere.Quod vero non repugnet talem qualitatẽ eſſe in mixtis, probatur. Quia euidens eſt in eiſdẽ corporibus dari alias qualitates ad altiores effectus producendos,vt probauimus: ergo non repugnat dari ad producendas primas qualitates. Et tandẽ probo non eſſe ſuperfluas, ſed neceſſariò ponendas pro his effectibus, quia omnes illæ cauſæ,vel rationes,quæ aſſignantur, nullius ſunt momenti. Et prima quidem, quod per qualitates ipſas elementorũ ſibi proprias,& à cõtrarijs expeditas tales effectus producant,impoſſibile eſt,cum euidenti experientia conſtet, non ſemper, nec in omnibus

omnibus corporibus eos producere etiã ſi expedita ſint à contrarijs,ſed ſolũ in quibuſdã determinatis;nec in his,niſi attrita, vel cõminuta,& determinatis partibus eorum coniuncta:ergo non procedũt ab eis per qualitates formales. Eadem etiã experientia docet in multo maiori intenſione eos producere, quam ſit intenſio qualitatum elementariũ proprio tẽperamento eorumdem corporum debita;ſed non poteſt agens producere effectum perfectiorem ſe : ergo nec per formales qualitates poſſunt producere tales effectus.Secunda etiã ratio de attractione 35
ſpirituum vitalium ad ſtomachũ inſufficiens eſt, & falſa.Inſufficiens quidem,quia piper non ſolũ calefacit ſtomachũ,ſed vehementem calorẽ producere ſolet in ore,& partibus eius internis,quod non poteſt fieri per attractionẽ ſpirituũ ad has partes. Iuuat etiã ad decoctionem carniũ in olla:ergo virtus eius non conſiſtit in attractione ſpirituũ,nec ab his calefit ſtomachum, ſed à calore producto ab eodem pipere. Quod vero ſit falſa, probo.Quia excellẽtior effectus eſt attractio ſpirituum, quam ſimplex calefactio ; falſum eſt ergo denegare his corporibus minorem virtutem,& tribuere eis maiorem,præſertim cum facilius intelligatur tales effectus per minorem fieri. Poſtrema tandem ratio,quod eiuſmodi corpora ſtomachũ calefaciãt per caloré ab eodé acceptũ,planè falſa oſtenditur;cum experiamur intenſiorẽ produci calorem in ſtomacho per receptionem horum corporũ in eo,quam haberet prius : ergo non poteſt produci per calorẽ ab eodem ſtomacho receptum. Probatur conſequentia,quia intenſio caloris in ſtomacho minor erat,& non potuit tota produci in vino,aut pipere:ergo per eã,quã ab eodẽ ſtomacho recipiũt hęc,naturaliter repugnat intẽdi calorẽ eius, cum nulla ſequatur actio à proportione minoris inęqualitatis.

Sed reſtat explicandum,à quanã cauſa producantur in mix- 36
to qualitates iſtæ,nẽpe ex cõmixtione primarũ , vel à qua alia. Et videtur non poſſe habere aliam cauſam, præter primas qualitates,ex quorũ permixtione procedunt;quod ſic probo.Qualitates iſtæ conueniunt corporibus mixtis , vt mixta corpora ſunt talis naturæ,cum conſtet non habere alium gradum perfectiorem eſſendi ; ſed primæ qualitates ſunt cauſa corporis mixti,vt mixtum eſt:ergo conſequenter erunt cauſa cuiuſlibet qualitatis,aut virtutis eius,vt talis.

In hac re primum dicendum eſſe exiſtimo has omnes qualitates præſupponere in corpore permixtionem primarum,per quam materia diſponitur ad receptionem formæ ſubſtantialis eorum.Probatur hac ratione à priori aut mixta , quibus cõcedũtur qualitates iſtæ,fiunt proximè ex elementis, vel ex alio

mixtõ

mixto:& ſi ex elementis fiant, euidens eſt elementa ipſa viciſſim corrumpi per alterationes procedentes à primis eorum qualitatibus, quia cum corrumpantur per ſe à contrario, non dantur aliæ contrarietates propriæ priores his, à quibus corrumpi poſſint. Ex quo infero per primas qualitates primo ex-
37 pelli formas ſubſtantiales eorum, atque etiam primo diſponi materiam pro forma mixti recipienda, & conſequenter primo ſequi in materia corporis mixti ex eiſdem elementis geniti diſpoſitiones alias ſimiles, & ideo ante alias qualitates ineſſe mixto, quas proinde præſupponunt particulares aliæ qualitates eiſdem mixtis conceſſæ. Et eadem ratione probatur neceſſarium id eſſe, dum hæc mixta fiunt ex alio mixto, vt conſiderāti eſt manifeſtum. Probatur etiam à poſteriori, quia videmus in multis ex his corporibus mutatione facta circa primas qualitates eorum, debilitari virtutem particularium qualitatum, vel fortiores reddi in ordine ad proprios effectus producendos in alijs corporibus: ergo dependent ex temperamento primarum qualitatum, tamquam ex diſpoſitione ſubiecti neceſſaria ad conſiſtentiam, atque conſeruationem earum.

Secundo, dicendum eſt, has qualitates particulares mixtorum non procedere ex permixtione primarum tamquam ex cauſa efficiente, ſed ea præſuppoſita in ſubiecto produci effectiue à generante idem mixtum, cuius ſunt propriæ. Gratia exempli, virtus magnetis, & aliorum lapidum; virtus etiā auri producitur ab eo, à quo generatur, quod eſt virtus cœleſtis, tāquam à cauſa efficiente principali operante per lucem, & alias influentias. Itaque ferè ſemper virtutes iſtæ habent pro cauſa
38 principali cœleſtem virtutem, quemadmodum forma ſubſtantialis, & corpus, cuius ſunt propriæ. Ita docuit expreſſè D. Thomas, & cum eo Conimbricenſes locis citatis, & q. 5. de veritate, art. 10. ad 5. atque etiam quæſt. vnic. de anima art. 1. his verbis: *Formæ enim elementorum, quæ ſunt infimæ, & materiæ propinquiſſimæ, non habent aliquam operationem excedentem qualitates actiuas, & paſſiuas, vt rarum, & denſum, & alia huiuſmodi, quæ videntur eſſe materiæ diſpoſitiones. Super has autem ſunt formæ mixtorum corporum, quæ præter prædictas operationes habent aliquam operationem conſequentem ſpeciem, quam ſortiuntur ex corporibus cœleſtibus: ſicut, quod adamas attrahit ferrum, non propter calorem, aut frigus, aut aliquid huiuſmodi, ſed ex quadam participatione virtutis cœleſtis.* Virtus etiam ſeminalis non eſt producta à primis qualitatibus, nec ab elementis, tamquam à cauſis principalibus, & proximis, ſed nec à Sole, & alijs influentijs cœleſtibus, vt placuit Toleto quæſt. 2. huius lib. concluſ. 4. Probatur primum,

primum,quia ſua natura ordinatur ad altiores effectus, nempe ad organizandum corpus pro introductione animæ ; immo ad educendam animam de potentia materiæ,ſi ſit materialis tamquam inſtrumentum generantis, vel vniendum eam corpori,ſi ſit ſpiritualis ; ergo non poſſunt eam attingere elementa, vel qualitates eorum,vt præcipua cauſa.Probatur ſecundum quia quotieſcumque poſſumus aſſignare cauſam particularem alicuius effectus, non eſt recurrendum ad vniuerſales ; ſed dari poteſt propria cauſa talis virtutis, ſicut datur propria cauſa eiuſdem ſeminis,nempe viuens ipſum,à quo deciſſum eſt:ergo ab eo procedere cenſendum eſt tamquam à propria, ac principali cauſa.Vnde ſequitur,quod licet vt plurimum proueniant qualitates iſtæ mixtorum ab vniuerſalibus cauſis, non tamen ſemper, ſed aliquando à particularibus, numquam tamen ab elementis,vel à permixtione qualitatum eorum, quia ex propria natura ſunt eis perfectiores, vt probauimus. Euidens eſt conſequentia, quia cauſa efficiens non poteſt agere vltra propriam perfectionem.

Ex quibus colligitur tertia ratio ad id probandũ hoc modo. 39
Perfectio potentiæ,vel virtutis ordinatæ ad operationem colligitur ex perfectione propriæ operationis ; ſed virtutes iſtæ aut qualitates ſunt principia perfectioris operationis, aut ſecundum ſubſtantiam,aut ſecundum modum eam producendi, quàm primæ qualitates elementorum:ergo ſunt eis perfectiores;quare non poſſunt ex permixtione earum procedere, tamquam à cauſa efficiente.Probatur minor, quia virtus attractiua alterius corporis,etiam contra naturalem inclinationem eius perfectior operatio eſt,quàm ſimplex calefactio,cum ſit altioris ordinis,per quam corpus eam habens, quaſi prædominatur alijs. Virtutes etiam per quas mixta corpora imprimunt alijs eaſdem primas qualitates,vt virtus calefactiua piperis,& vini, atque exſiccatiua ſalis longè perfectiori modo producunt calorem,& ſiccitatem, quàm ignis,vel terra ; quia producunt eas tamquam cauſa æquiuoca,ad cuius actionem pertinent plures effectus ſpecie diſtinctos poſſe producere, vel eumdem altiori modo. Nec exiſtimetur Diuum Thomam recurrere ad vniuerſales cauſas,particulari,vel extraordinario modo, vt deſignet propsias harum virtutum, ſed ad proprias, & naturales ſecundum naturalem ordinem vniuerſi conſtitutas. Non eſt enim conſtituta alia cauſa principalis auri, & argenti, ac lapidum pretioſorum præter cœleſtes influentias, à quibus generantur in viſceribus terræ : ergo nec poteſt alia deſignari, cui virtutes iſtæ eorumdem corporum tribuantur, cum ſint

altioris

altioris ordinis à primis qualitatibus, & earum temperamento eiſdem corporibus debito.

40 Ad argumentum illius ſententiæ, quæ negat has qualitates in corporibus mixtis,concedenda eſt maior , quod virtus naturalis productiua alicuius effectus applicata ſubiecto capaci eius,ſemper, & naturaliter eum producat. Sed minor neganda,quod mixta hæc,quibus inſunt particulares iſtæ qualitates applicata ſubiecto capaci,non ſemper producant effectus earum, non enim quodlibet corpus capax caloris elementaris cenſetur capax caloris à pipere,& vino producendi; nam licet non ſit diſtinctus ſpecie ab elementari , ſpeciale tamen ſubiectum poſtulant agentia hæc ad producendos hos effectus , cum quo habent proportionem , & non cum alijs. Et illud tantum cenſetur capax effectus eorum. Nec ſolum poſtulant particulare ſubiectum, ſed ſæpe etiam coniunctionem Phyſicam , ac præuiam cum alio corpore,vt poſſint proprium effectum producere,quod in rebus odoriferis docet experientia: Indigent enim plures coniunctione ac permixtione cum alijs , immo & alteratione aliqua ab eis ſuſcepta,vt odorem ſpargere poſſint, eumque imprimere ſubiecto capaci , cui etiam approximata ſine his eum non imprimunt:atque etiam in argento viuo patet,quodlicet mineralibus integris , hoc eſt,non prius attritis, immo etiam prius attritis,non tamen prius irrigatis approximetur proprium effectum coniungendi partes eorum argenteas, & ſeparandi à terrena earum fæce, non præſtat, quantumlibet capaces eſſent ſecundum ſe tali effectu coniunctionis

41 Ita ergo cenſendum eſt de aliis corporibus mixtis , de quibus loquimur , quæ etiam ſi calorem, vel ſiccitatem producere ſuis virtutibus poſſint, non circa omnia mixta caloris capacia, quia non omnia capacia cenſentur, quibus calor imprimatur à talibus agentibus ; ſed perfectiora quædam , vt viuentia , quibus adhuc non imprimunt proprios effectus,niſi prius aliis corporibus, aut ſaltem calori naturali eorum coniungantur , & fortè ab eo alterentur.

Ad argumentum vero pro ratione dubitandi propoſitum concedenda eſt maior, quod qualitates iſtæ conueniunt corporibus mixtis talis naturæ , ſed neganda eſt minor , quod elementa ſint cauſa effectiua eorum ; nam licet elementa, vel primę qualitates eorum ſint cauſa mixtionis,& ſecundum modum permixtionis earum præcedentem in materia producatur mixtum,& plures qualitates eius, quæ ideo vocantur ſecundæ, non tamen ſunt cauſa efficiens eorumdem mixtorum,ſed perfectionem aliam poſtulant,& ex conſequenti qualitates , aut virtutes

ea con

ea consequentes ab eadem causa perfectiori produci debent, & non à primis qualitatibus minus perfectis; quamuis temperamentũ earum pro dispositione necessaria postulent in materia.

QVÆSTIO III.

An primæ qualitates sint formæ substantiales elementorum, vel solum accidentales?

PRima opinio tenet, esse formas substantiales, per quas constituuntur in primo esse substantiali, & per quas distinguuntur specie sub genere simplicis corporis. Ita Alexand. 12. lib. Metaph. comm. 12. atque etiam 4. quæst. naturalium, Ammonius cap. de substantia in prædicamen. Curtius, & Zimara 2. lib. de anima, text. 18. Tribuitur etiam Galeno 1. lib. de vsu partium; & 1. de elementis. Probatur testimonio Aristotelis cap. 2. huius libri textu 7. 8. & 24. vbi tria docet de his qualitatibus. Primum, quòd constituunt elementa. Secundum, quod sunt eorum principia. Tertium, quod sunt eorum differentiæ. Hæc autem habere non possunt, si solum sunt accidentia eorum, quia neque aliquid constituitur in suo esse per accidentia; nec accidens potest esse ei principium essendi; & multominus differentia eius. Probatur etiam ratione, primò, quia per propriam operationem alicuius cognoscimus à posteriori formam substantialem eius, à qua procedit operatio ipsa, tamquam à principio efficienti intrinseco; sed nullam aliam operationem habent elementa præter eas, quæ procedunt ab his qualitatibus; vt ignis non habet aliam operationem, quam calefactionem, & exsiccationem; & sic de cæteris: ergo qualitates istæ sunt formæ substantiales eorum. Vel si dicatur habere 42 43
alias formas, concedendum erit, dari formas substantiales, à quibus nulla procedit operatio, quod est absurdum. Secundo, quia elementa ex propria natura sunt verè, & propriè contraria, vt etiam docet expressè Aristoteles in hoc 2. lib. text. 24. sed contrarietas non potest eis conuenire, nisi ratione harum qualitatum: ergo non habent alias formas substantiales, per quas constituantur in propriis naturis. Probatur minor, quia contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto, mutuo se expellunt; sed elementa maxime distant per calidum, & frigidum, humidum, & siccum; & eædem qualitates se expellũt mutuo ab eodem subiecto: ergo per eas sunt elementa essentialiter contraria; & ideo erunt formę substantiales eorum.

Digitized by Google

44 Secunda opinio communis in Schola Peripatetica, & à nobis tenenda tamquam vera negat primas qualitates esse formas substãtiales elementorum, sed tribuit eis alias formas substantiales priores, à quibus per modum efficientis causæ emanare affirmat easdem qualitates primas. Ita Diuus Thomas in commentariis 2. capitis huius libri, & omnes Latini interpretes tam veteres, quàm noui ibidem, ideo nullum in particulari referre oportet. Probari solet testimonio Aristotelis cap. 9. huius libri textu 54. vbi asserit calidum, & frigidum esse instrumenta elementorum ad agendum. Sed quia hæc dicit non ex propria sententia, sed aliorum, quam reijcit, vt legenti erit manifestum, nihil probat testimonium hoc. Colligitur autem euidenter ex textu 22. eiusdem libri. Vbi ex propria sententia loquens de elementis, asserit esse contraria, quia passiones habent contrarias his verbis: *Et vtraque vtrisque contraria, igni enim contraria aqua, aëri autem terra: hæc enim ex contrariis passionibus constituta sunt, &c.* Sed euidens est esse contraria per has quatuor qualitates, per quas vicissim agunt, & patiuntur, & se corrumpunt: ergo censet Aristoteles esse passiones eorum, & non formas substantiales, quas constat passionibus præsupponi. Atque etiam ex libro de sensu & sensili. cap. 4. vbi sic loquitur de eisdem elementis: *Qua igitur ignis, & qua terra nihil, natum est agere, vel pati, nec aliud quicquam: qua autem inest contrarietas in eis: hæc omnia agunt, & patiuntur.* Sed contrarietas inest eis per primas qualitates: ergo per has tantum agunt, & patiuntur, & non vt ignis & terra. Ex quo euidenter infero, quod non sunt ignis, & terra per has qualitates, sed per alias formas constituuntur in esse ignis, & terræ; & istæ sunt substantiales; qualitates vero accidentales, quia si per has sunt contraria elementa, non possunt esse formæ substantiales, quia substantia non habet contrarium. Vbi obiter adnoto expressam esse sententiam Aristotelis in hoc eodem testimonio, quod substantia nihil agit per seipsam, sed solum per accidentia vt
45 2. lib. Physicor. scriptum reliquimus. Probatur deinde ratione. Primo, quia si qualitates istæ sunt formæ substantiales elementorum: ergo constituunt vnum compositum substantiale cum materiis eorum. Euidens est consequentia, quia ex materia prima, & substantiali forma resultat vnum compositum substantiale, tamquam ex potentia substantiali, & actu substantiali; sed hoc est impossibile: ergo falsum est, quod sint formæ substantiales. Probatur minor, quia compositum illud resultans ex forma caloris, aut frigiditatis, & materia est calidum formaliter, aut frigidum formaliter; sicque de reliquis elementis;

mentis : ergo non est substantia , & ideo nec totum substantiale. Probatur consequentia, quia substantia non est per se sensibilis, non suscipit intensionem, & remissionem, nec habet formaliter contrarium ; sed calidum,& frigidum formaliter sumpta , sunt per se sensibilia sensu tactus, vt docet expresse Aristoteles 2. lib. de anima capit. 9. de tactu, & expressius experientia ipsa ; cum quilibet nostrum percipiat calorem ignis, & frigiditatem aquæ ; sunt etiam inter sese contrariæ , & suscipiunt intensionem , & remissionem : ergo qualitates istæ non possunt esse formæ substantiales elementorum. Secundo pro- 46
batur , quia vel qualitates primæ sunt formæ substantiales , aut accidentales; aut vere , & realiter habent vtrumque, nempe esse substantiales , & accidentales simul. Primum probauimus falsum ; & ex eo sequitur tertium esse impossibile, quia repugnat eamdem formam respectu eiusdem materiæ esse substantialem , & accidentalem simul. Solum ergo restat tertium , nempe has qualitates esse formas vere , & realiter accidentales:quod si ita est,sequitur euidenter non esse formas substantiales elementorum , sed habere alias per quas constituantur in esse substantiali, vel elementanon esse composita substantialia, sed solum accidentalia, nec distingui specie substantiali; sed solum accidentali, quia accidentalis forma , nec potest constituere compositum substantiale , nec distinguere illud specie substantiali ab alio ; constat autem absurda hæc esse ; & ideo falsum,quod qualitates primę sint formæ substantiales elementorum , & veritas est , quod alias formas substantiales habeant, per quas constituantur,has vero esse accidentia eorum,per quæ agunt, & patiuntur.

Testimonium vero Aristotelis asserentis primas qualitates 47
constituere elementa , esse principia eorum, atque etiam differentias duobus modis exponitur,primo à Diuo Thoma in commentariis eius, tales appellari ab Aristotele non re ipsa , sed quoad nos ; nam cum formæ substantiales eorum non sint per se sensibiles , nec possunt à nobis per se cognosci , & cum sentiantur per has qualitates,per easdem à nobis cognoscuntur. Vnde sicut sæpe solet loco generis,vel differentiæ nobis ignotæ poni in definitione rei aliquod accidens , vel proprietas eius, quam vocamus genus,vel differentiam eius,quia per illam deuenimus in cognitionem veri generis, aut differentiæ, ita Aristot.has qualitates vocauit differentias, aut principia, vel constitutiua eorum, quoad nos, quia per eas manu ducitur intellectus ad cognoscendas veras formas substantiales, quæ sunt differentiæ, principia, & constitutiua eorum .Secundo respondeo,

Aristotelem considerasse in hoc opere elementa in quantum generabilia,& corruptibilia, atque etiam,vt concurrunt ad generationem mixtorum, vt ex contextu horum trium capitum apertè colligitur, quo pacto verissimum est primas qualitates esse differentias,atque principia,vel constitutiua eorum,Ex quo non bene infertur eum sensisse, quod sint formæ substantiales: nam sicut actioni, & passioni præsupponitur substantia rei, quæ agit,& patitur;ita ad rem ipsam,vt actiuam,& passiuam præsupponitur forma substantialis. Actiua vero, & passiua dicitur, & formaliter est, per accidentalem formam, quæ est proximum principium actionis, & passionis.

48 Ad primum argumentum concessa maiori, neganda est minor, quod non habeat aliam actionem distinctam substantia elementi, aut forma eius substantialis ab alteratione, quæ est propria actio primarum qualitatum, nempe calefactio, vel infrigidatio, quia alteratio non est actio, per quam producitur substantia,sed præter alterationem datur alia actio realis,quam vocamus generationem substantialem, quæ est quasi terminus alterationis;& terminatur per se,non ad calorem,vel frigiditatem,sed ad substantiam ignis, vel aquæ,& in igne vocari potest ignitio. Hæc igitur actio est propria substantiæ, & procedit à forma substantiali tamquam à causa principali medio calore,& calefactione, vt instrumento.

QVÆSTIO IIII.

An elementa sint propriè contraria secundum formas substantiales,vel solum secundum qualitates?

49 SEcundum argumentum excitat aliam quæstionem satis difficilem, an elementa sint contraria secundum formas substantiales, vel solum secundum qualitates. Vt autem difficultas eius ostendatur,præsupponenda est definitio contrariorum,quæ colligitur ex Aristotele 10. Metha.cap.6. & talis est: *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* Ex qua sic ostendo elementa esse contraria secundum formas substant iales;nam eis videtur conuenire tota definitio. Sunt enim sub eodem genere vniuersali corporis in prædicamento substantiæ,vel sub eodem genere particulari, & immediato corporis simplicis, sub quo etiam maxime distant. Nam differentia specifica maxima distantia est sub eodem genere, cum nulla possit dari maior, vt per se est manifestum.

Quod

Quod verò ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellant, ſic probo, Se expellere circa idem ſubiectum conuenit formis; ſed formæ ſubſtantiales elementorum ſe expellunt formaliter circa eamdem materiam, vt conſtat in mutua generatione, & corruptione vnius ex altero, atque etiam in mixtione: ergo propriè contraria ſunt ſecundum formas ſubſtantiales. Si autem dicatur ad propriam contrarietatem non ſufficere expulſionem formalem, ſed etiam requiri effectiuam, formas vero ſubſtantiales elementorũ non ſe expellere effectiue, ſicut ſe expellunt primæ qualitates eorum, ſed ſolũ formaliter, & ideo non eſſe verè contrarias. Contra hoc eſt, quod ad veram contrarietatem non requiritur expulſio effectiua, ſed formalis ſufficit: nam calor impreſſus aquæ ab igne contrarius eſt frigiditati eius, & tamen non expellit eam effectiuè, nec poteſt, niſi ſeipſum intendat: ergo expulſio effectiua non eſt neceſſaria, & ità ſentiunt omnes Philoſophi.

Quod verò elementa non ſint propriè contraria ſecundum formas ſubſtantiales eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis capite de ſubſtantia in prædicamentis: vbi inter proprietates ſubſtantiæ enumerat hanc: quod ſubſtantiæ nihil contrarium ſit; ſed contrarietas conuenit rebus per ſuas formas, cum formæ ſint, quæ poſſunt ſe expellere circa idem ſubiectum, vel materiam: ergo elementis (quæ ſunt corpora ſubſtantialia) non poteſt conuenire propria contrarietas ſecundum doctrinam Ariſtotelis. Quod, vt oſtenderet in hoc 2. libro textu 49. agens de contrarietate elementorum ſecundum formas ſubſtantiales, ita ait: *Terra enim aëri, aqua vero igni contraria eſt, vt contingit ſubſtantiam ſubſtantiæ contrariam eſſe.* Quaſi dicat non eſſe contraria, niſi communiſſima, atque impropria ratione, prout contrarietas ſumitur pro quacumque oppoſitione priuatiua, quæ ſufficit, vt dicatur vnum fieri ex altero tamquam ex contrario, hoc eſt ex priuatione formæ ipſius præcedente in materia alterius, & expulſa ab eadem materia per eamdem formam; & hæc eſt communis ſententia totius ſcholæ, & vera. 50

Difficile tamen probari poteſt, quod non ſit vera contrarietas inter has formas ſubſtantiales, cum tota definitio contrariorum videatur eis conuenire, nec per vllam eius particulam excludi poſſe. Propterea Sotus 1. lib. Phyſ. q. 5. ad 1. aſſerit ad propriam contrarietatem non ſufficere, quod duæ formæ ſe expellant quomodocumq; ſed neceſſariũ eſſe, vt ſucceſſiuè, & per gradus, ita vt ſubiectum prius perueniat ad medium participans vtroq; extremo, quam ad aliquod extremum, quo pacto ſe expellũt qualitates; nam calor ita expellit frigus ab aqua, vt prius 51

aqua ſit tepida per calorem remiſſum, quam perfectè calida, & vniuerſaliter loquendo, contraria talis ſunt naturæ,vt in gradibus remiſſis poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Et hunc modum dicendi tenuiſſe videntur Caiet. cap. de ſubſtantia in Prædicamentis, & Sonzinas 10. Metha.q. 24. Sed contra Ariſtote-
52 lem eſt,& contra rationem. Probo primum ex cap. de oppoſitis in poſt prædicamentis, vbi ex contrariis, quædam ait nullum habere medium circa ſubiectum:alia vero medium habere poſſe his verbis: *Quacumque vero contrariorum talia ſunt,vt in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prædicantur, neceſſarium ſit alterum ipſorum ineſſe, horum nihil eſt medium: quorum vero non eſt neceſſarium alterum ineſſe,horum omnino eſt aliquid medium* Quibus expreſſe docet non eſſe neceſſarium, vt contraria medium habeant circa ſubiectum, ad quod prius perueniant, quàm ad extremum;nec etiam vt poſſint eſſe in eo ſimul in gradibus remiſſis. Probatur etiam ratione, quia ratio expulſionis, ſiue de effectiua, aut formali loquamur, ſolum in eo conſiſtit, quod vnum excludat alterum ab eodem ſubiecto propter repugnantiam,quam habent in eo; quod vero paulatim,vel ſimul expellat illud, non diminuit perfectionem expulſionis, quin potius perfectior expulſio eſt ea, quæ ſimul fit, & maiorem repugnantiam contrariorum oſtendit, quàm ſi ſucceſſiuè, aut per gradus fiat: ergo ſimultanea expulſio formarum ſubſtantialium non tollit propriam contrarietatem earum. Secundo probatur duobus exemplis:nam actus ſcientiæ,& erroris; actus odij,& amoris circa idem obiectum propriiſſimè ſunt contrarij, & tamen nec ſe expellunt ſucceſſiuè,& per gradus, ſed ſimul, quia quilibet prorſus tollit formalem rationem alterius: nec oportet, vt prius intellectus, aut voluntas perueniat ad medium aliquod, quàm ad extrema;nec demum quod ſecundum gradus remiſſos ſimul eſſe poſſint tales actus in intellectu, aut voluntate: ergo diſtinctio illa ſucceſſiuæ, & gradualis expulſionis, aut ſimultaneæ inſufficiens eſt ad excludendas formas ſubſtantiales elementorum à propria contrarietate.

53 Secundus modus dicendi quorumdam iuniorum eſt, formas ſubſtantiales elementorum excludi à definitione contrariorum per priorem partem definitionis. *Quæ ſub eodem genere maximè diſtant.* Vnde quamuis eis conueniat poſterior, quia mutuo ſe expellunt ab eodem ſubiecto, quod eſt materia, non ſunt propriè contrariæ:& ideo nec elementa ratione illarum, ſed ſolum ratione primarum qualitatum. Quod vt explicent, adnotant, duo eſſe neceſſaria, vt aliqua dicantur maximè diſtare ſub aliquo genere. Primum,quòd ita vnum diſtet ab altero,vt à nullo

alio

alio eiuſdem generis æquè diſtet. Secundum, quod nihil repugnat vni eorum, niſi ratione alterius, nempe, quia rationem alterius aliquo modo participat. Et vtrumque reperitur in albedine, & nigredine. Primum quidem, quia ſub genere coloris ſic diſtant inter ſeſe, vt nullus eorum æquè diſtet ab alio quocumque colore. Secundum vero, quia cæteri colores cuilibet eorum repugnant, in quantum aliquo modo participant rationem alterius; vt fuſcum repugnat albo, in quantum participat rationem nigri: & huic repugnat rubeum, in quantum participat rationem albi; ſed formæ ſubſtantiales elementorum neutrum habent, & ideo non dicuntur maxime diſtare ſub eodem genere ſubſtantiæ corporeæ. Probatur minor, quia quælibet æquè diſtat ab omnibus, & ſingulis formis ſubſtantialibus aliarum ſpecierum eiuſdem generis, & æquè eſt incompoſſibilis, cum quacumque alia, & hoc habet ratione ſui, & non ex participatione alterius maxime diſtantis ab alia.

Sed hic etiam modus dicendi non reddit ſufficientem ra- 54
tionem, propter quam formæ ſubſtantiales elementorum excludantur à definitione contrariorum, aut non ſint propriè contrariæ: quod ſic probo in eiſdem formis. Nam elementa conueniunt ſub genere proximo corporis ſimplicis diuerſi à corpore mixto: quia formæ elementares talis ſunt naturæ, vt poſtulent primas qualitates pro diſpoſitionibus, & naturaliter quidem ab eis emanantibus, mixta vero omnes poſtulant, & remiſſas quidam, de quibus non eſt certum naturaliter emanare ab eorum formis. Hæc autem videntur efficaciter ſatis à poſteriori oſtendere formas elementares, vt tales ſpecie differre à formis ſubſtantialibus mixtorum, vt talibus. Quo ſuppoſito ita arguo. Formæ iſtæ ſub eodem genere corporis ſimplicis maxime diſtant: ergo ex hac parte non poſſunt excludi à definitione contrariorũ. Probatur antecedens, quia forma ignis ita diſtat à forma aquæ, vt non æque diſtet ab aliqua alia eiuſdem generis; & pari ratione forma aquæ à forma ignis: ergo maximè diſtant inter ſeſe. Probatur iterum antecedens, quia ex propria natura poſtulat quælibet pro diſpoſitionibus ambas qualitates oppoſitas, & à ſe emanantes naturaliter, quod non habent comparatæ cum cæteris: ergo magis diſtat quælibet ab alia, quàm à cæteris. Et eodem argumento probatur, formam aëris, & terræ magis inter ſe diſtare, quam à reliquis. Quod au- 55
tem dicitur neceſſarium eſſe, vt aliqua dicantur maxime diſtare, quod reliqua diſtent à quolibet eorum, non ratione ſui, ſed ex eo, quod participant aliquo modo alterum extremum, non ſemper eſt verum, & ideo non eſt neceſſarium ad maximam di-

ſtantiam,quia vt ex Ariſtotele probauimus,non eſt neceſſarium dari medium inter quæcumque contraria;vt inter ſanitatem,& ægritudinem (inquit ipſe) nullum datur medium : ergo non eſt neceſſarium,quod inter quæcumque maximè diſtantia dentur alia magis,vel minus diſtantia ab eis,vel aliquo eorum;ſed poſſibile eſt ſub aliquo genere ſolum dari ea , quæ maximè diſtant,& ita contingit in elementis;non enim dantur ſub genere corporis ſimplicis alia media corpora,ſed ſolum elementa ipſa maximè diſtantia inter ſeſe.

Probatur ſecundo inſufficientia eiuſdem modi dicendi,nam ſub genere animalis dantur duæ ſpecies maximè diſtantes : ergo ex parte maximæ diſtantiæ dari poteſt propria contrarietas inter ſubſtantias , vel inter formas ſubſtantiales earum. Probatur antecedens : quia illa dicuntur maximè diſtare , quæ ſic diſtant inter ſeſe,vt non æquè, ſed minus diſtent à quocumque alio ; ſed ita ſe habent ſub genere animalis ſpecies humana , & animalis omnium imperfectiſſimi ; nam quælibet non æquè diſtat ab aliis ſpeciebus animalis; ſed magis diſtat ab altera:ergo verum eſt eſſe maximè diſtantes. Et de cæteris omnibus verum eſt plus diſtare à quolibet extremo , quo magis accedit ad aliud,& minus,quo magis recedit ab illo.

56 Vt noſtram ſententiam explicemus, adnotandum eſt primo : oppoſitionem in genere , vel in communi acceptam diuiſam eſſe ab Ariſtotele in poſtprædicamentis capit. de oppoſitis in quatuor genera , vel ſpecies , aut modos oppoſitionis, nempe in oppoſitionem contradictoriam , contrariam , priuatiuam, & relatiuam. Et ideo neceſſario debet poni , vel ſubintelligi loco generis in definitionibus ſingularum ſpecierum, ſiue definiantur in abſtracto , ſiue in concreto. Vnde ſi definiamus contrarietatem in abſtracto , dicemus ; Contrarietas eſt oppoſitio eorum , quæ ſub eodem genere maximè diſtant , & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt ; ſi in concreto dicendum erit , contraria ſunt oppoſita , quæ ſub eodem genere maximè diſtant , & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt. Et ita definita fuit contrarietas in concreto ab Ariſtotele , & propterea in eadem definitione ſubintelligenda eſt particula , *Oppoſita* , quaſi pro genere , quam abſque dubio refert particula , *Quæ*. Secundo notandum eſt , oppoſitionem formaliter ſignificare repugnantiam duorum extremorum , vt per ſe eſt manifeſtum ; & ideo diſtinctas ſpecies oppoſitionis ſignificare diſtinctas ſpecies , vel modos repugnantiæ ſpecialium extremorum , inter quæ verſantur : contraria igitur dicunt ſpecialem repugnantiam , ex qua proue-

nit, vt

nit, vt maximè distent sub eodem genere, & ab eodem subiecto mutuo se expellant. Vnde si duas istas conditiones non habeant extrema propter specialem repugnantiam, sed aliunde, sicut non erunt formaliter oppositа, quia non erunt inter se formaliter repugnantia: ita nec per tales conditiones constituentur proprie contraria; & hoc modo intelligenda est definitio contrariorum ex Aristotele adducta, quod sic probo. Pro genere talis definitionis ponitur oppositio, quia tam- 57
quam genus se habet ad oppositionem contrariam, & reliquas: ergo cæteræ particulæ definitionis, per quas determinatur idem genus, continent specialem rationem oppositionis distinctam ab aliis oppositionibus; sed specialis ratio oppositionis dicit specialem repugnantiam formaliter, sicut oppositio in communi dicit repugnantiam in communi: ergo ita intelligi debet, quod contraria maximè distent sub eodem genere, & ab eodem subiecto mutuo se expellant, vt sub ratione formalis, atque specialis repugnantiæ eis conueniat, & non aliunde, vel ex alia quacumque ratione. Ex quibus iam intelligitur eamdem definitionem non conuenire formis substantialibus elementorum, & ideo non esse proprie contrarias, sed qualitatibus eorum, in quibus vera, ac propria ratio contrarietatis reperitur. Probatur hoc argumento. Formæ substantiales, nec sunt maximè distantes, nec se expellunt ab eodem subiecto propter specialem repugnantiam, vel oppositionem, sed solum propter rationem communem informandi materiam, & constituendi cum ea talem speciem, vel indiuiduum substantiæ, qualitates vero idem habent ratione repugnantiæ specialis; ergo his, & non illis definitio, ac vera contrarietas conuenit. Probatur minor, quia anima rationalis ex eo solum intelligitur maximè distare ab anima imperfectissimi animalis, quia constituit perfectissimam speciē, hæc vero imperfectissimam & ex communi tantum ratione informandi substantialis formæ expellit formaliter vna forma substantialis aliam ab eadem materia, quia non habet materia naturalem capacitatem, vt simul ab vtraque informetur, cum nec possit esse specificum vtriusque simul recipere, immo nec esse indiuiduale. Vnde non 58
solum expellit vna forma aliam diuersæ speciei: sed etiam si sit eiusdem. Ex quo euidenter sequitur, non se expellere formas substantiales propter specialem repugnantiā, sed propter communem rationem incompossibilitatis ex communi ratione informandi, & tribuendi esse materiæ prouenientem: ergo eadem maxima distantia, atque eadem expulsio ab eodem subiecto non conuenit his formis ratione specialis repugnantiæ,

vt in definitione contrariorum intelligitur, & ex conſequenti nec eis conuenit eadem definitio, aut vera, & propria contrarietas; quam certum eſt conuenire qualitatibus eorum; quod ſic oſtendo. Calor & frigus non ſunt formæ maximè diſtantes propter maximam perfectionem vnius, & minimam alterius, cum conſtet alias qualitates imperfectiores frigore reperiri etiam inter primas, vt humiditatem, & ſiccitatem, ſed nec ſe expellunt ab eodem ſubiecto propter communem rationem informandi illud: nam diuerſæ formæ accidentales ſecundum ſpeciem, atque etiam diuerſæ qualitates, adhuc primæ ſimul informant eamdem materiam, vt patet in ſingulis elementis, non tamen diuerſæ qualitates contrariæ, quæ potius ſe expellunt naturaliter ab eodem ſubiecto: ergo expulſio in his, & ex conſequenti maxima diſtantia ſub eodem genere prouenit ex repugnantia ſpeciali; & ideo ſpecialem rationem oppoſitionis importat formaliter, vt ſignificatur in definitione contrariorum, & ex conſequenti veram contrarietatem; nequaquam in formis ſubſtantialibus, & propterea non conuenit eis definitio, nec propria contrarietas. Et ex his ſoluitur argumentum illud difficile pro ratione dubitandi propoſitum applicata ei eadem diſtinctione. Nam dum in definitione contrariorum dicitur, contraria maxime diſtare ſub eodem genere, & mutuo ſe expellere ab eodem ſubiecto, intelligi debet vtrumque ſub ratione ſpecialis oppoſitionis, vel repugnantiæ; & non ſub communi ratione informandi, & conſtituendi ſpecies extremæ perfectionis, vel imperfectionis. Cuius ratio eſt optima, quia cum pro genere eiuſdem definitionis ponatur oppoſitio in communi, cuius ratio formalis conſiſtit in repugnantia extremorum, neceſſe eſt cæteras particulas definitionis continere ſpecialem repugnantiam, vt poſſint contrahere idem genus oppoſitionis ad hanc ſpeciem oppoſitionis contrariæ.

59 Ex doctrina huius quæſtionis infero, iuxta hanc diſtinctionem loquendum eſſe de formis ſubſtantialibus elementorum in ordine ad contrarietatem. Dupliciter ſumi poteſt contrarietas propria, formaliter, aut virtualiter, ſeu radicaliter. Formaliter ſumitur, pro formali oppoſitione extremorum maxime diſtantium ſub eodem genere, & mutuo ſe expellentium ratione eiuſdem repugnantiæ; & hoc modo ſumitur in definitione contrariorum, & ſolum conuenit qualitatibus. Virtualiter vero, aut radicaliter accipitur pro radice, à qua talis contrarietas emanat, & ſic conuenit eiſdem formis ſubſtantialibus elementorum, ex quibus tamquam ex radice emanant primæ qualitates formaliter contrariæ.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

An contrariæ qualitates possint esse simul in gradibus intensis?

PRæsupponit quæstio illud, quod cap. 4. prioris libri proba- 60
tum est, nempe qualitates contrarias habere latitudinem gradualem, & secundum eam perfectius, aut minus perfecte posse participari à subiecto, quod est secundum intensionem, & remissionem participari. Et hoc supposito quærit, an possint esse simul in eodem subiecto. Sed quia duobus modis possunt comparari ad subiectum, in gradibus intensis, & remissis, duo etiam sunt disputanda. Primum in hac quinta quæstione, an in gradibus intensis possint esse simul in eodem subiecto? Postremum in sequenti, an saltem hoc sit possibile in gradibus remissis? Gradus autem remissi vocantur omnes vsque ad medietatem latitudinis, vt si tota latitudo cuiuslibet qualitatis contineatur octo gradibus, remissi dicentur à primo vsque ad quartum, intensi vero ab octauo ferè vsque ad quartum.

Circa primum, an possint esse simul in gradibus intensis? distinctione opus est. Nam duobus modis intelligi potest, aut secundum ordinem, aut virtutem causarum naturalium: aut secundum potentiam Dei supernaturalem, vel absolutam. Et in primo sensu certum est apud omnes, non posse esse simul qualitates contrarias secundum gradus intensos, vt calor vt octo, vel vt septem non potest naturaliter esse simul cum frigiditate vt octo, vel vt septem, sed necesse est per introductionem vnius expelli alteram. Vt autem hoc explicemus, & pro- 61
bemus, vno verbo repetendum est illud, quod cap. 7. primi libri tamquam certum statutum est, & ab omnibus receptum, nempe capacitatem subiecti in ordine ad qualitates contrarias, & ad agens naturale potens eas circa ipsum producere limitatam esse: ita vt solum possit recipere integram latitudinem octo graduum, siue ex vno eorum, vel ex vtroque completam. Gratia exempli, corpus corruptibile solum potest recipere ab agente naturali octo gradus caloris: vel caloris, & frigiditatis simul: ita vt quod ei de tota latitudine caloris defecerint, ex frigiditate habere possit. Quod euidenti experientia constare vidimus; & ex hoc fit, quod contrariæ qualitates non se expellunt, nisi completa fuerit ex vtraque latitudo octo graduum; vel quousque adimpleatur, sed introduci potest vnus, nullo gradu alterius in subiecto existentis expulso. Quod in aëre constare

potest,

poteſt;ſuppoſito,quòd octo gradus humiditatis habeat;caloris vero non niſi quinque,vel ſex, poteſt enim recipere duos gradus frigiditatis ſine expulſione alicuius gradus caloris, quia capacitas eius completam latitudinem octo graduum ex vtroque contrario recipere poteſt. Poſtquam vero adimpleta eſt latitudo ex vtroque contrario, vel ſi ex vno tantum eorum adimpleta præſupponitur, non poteſt ſubiectum recipere aliquem gradum ex vno contrario, quin gradus alter contrariæ qualitatis expellatur, & ideo neque vtrumque contrarium ſimul in gradu intenſo, quia excederet integram latitudinem octo graduum ex vtraque qualitate,& ideo deficeret capacitas ſubiecti in ordine ad agens naturale.

62 Hoc ſuppoſito, probatur naturaliter eſſe impoſſibile, quod contrariæ qualitates ſint ſimul in eodem ſubiecto ſecundum gradus intenſos, nempe calor vt octo,& frigus etiam vt octo, aut quid ſimile. Primo ex definitione contrariorum, in qua dicitur,quod mutuo ſe expellunt ab eodem ſubiecto;ſed ſi non neceſſario ſe expellunt ſecundum hos gradus intenſos, ſed ſimul eſſe poſſunt, ſequitur non ſe expellere vllo modo, atque adeo non eſſe contrarias.Probatur conſequentia,quia ſi non ſe expellunt ſecundum gradus intenſos, multo minus ſe expellẽt ſecundum remiſſos minorem habentes repugnantiam,vel certè non maiorem,& ideo nullo modo ſe expellent.Itaque tam neceſſarium eſt contraria ſecundum eſſe perfectum ſe expellere, quàm neceſſarium eſt dari propria contraria in rerum natura. Secundo probatur experientia, quia ſenſu tactus experimur, quo magis calefit aqua,eo eſſe minus frigidam, & quo magis infrigidatur aër, eo eſſe minus calidum : ergo ſignum euidens eſt,quod calor,& frigus ſecundum intenſos gradus ſe expellũt. Nam ſi non ſe expellerent, retineret aqua totam ſuam frigiditatem,quantumcumque calefieret ab igne.

63 Sed an poſſint eſſe ſimul per potentiam Dei ſupernaturalem, non eſt certum ; ſed prima opinio tenet implicare contradictionem:quam videntur ſequi Capreol.in primo diſt.17. q.2. ad argumenta contra 2.concluſionem,Iauellus 10.lib.Meth. quæſt.13. & Marſil.2.libro de gener.q.6. putantes contradictionem ſequi ex eo,quod ſimul ſint.Quam probo teſtimonijs Ariſtotelis,& rationibus.Ariſtoteles enim eamdem repugnantiam reperiri docet in eo,quod contraria ſint ſimul,ac reperitur in contradictorijs;ſed cõtradictoriè oppoſita,vt eſſe,& non eſſe,non poſſunt eidem rei ſimul conuenire, etiam per abſolutam Dei potentiam : ergo ex mente Ariſtotelis eamdem contradictionem implicabit, quod contraria ſint ſimul in eodem

ſecun

ſecundum eſſe perfectum: maior eſt expreſſa apud Ariſtotelem 4. lib. Meth. cap. 4. tex. 27. his verbis: *Cum vero impoſſibile ſit contradictionem ſimul de eodem verificari, patet quodcumque contraria ſimul eidem ineſſe contingit: contrariorum enim alterum non minus priuatio eſt. Subſtantiæ vero priuatio, negatio à quodam determinato genere eſt: ſi impoſſibile ita eſt ſimul affirmare, & negare verè: impoſſibile eſt etiam contraria ſimul ineſſe, ſed aut ambo ſecundum aliquid, aut alterum ſecundum aliquid: alterum ſimpliciter.* Quod etiam de calido, & frigido, de humido, & ſicco in gradibus intenſis docuit 2. lib. de Gener. text. 16. aſſerens coniungi non poſſe in eodem elemento.

Sed probatur ratione ſatis efficaci in eiſdem verbis Ariſto- 64
telis relatis contenta. Ita enim arguit. Duo contradictoria repugnat ſimul eidem conuenire, quia ſunt affirmatio, & negatio eiuſdem eſſe, vt quod idem corpus ſimul ſit album, & non album; ſed contraria dicunt eamdem affirmationem, & negationem eiuſdem eſſe; ergo non minus repugnabit ſimul eſſe in eodem. Minorem ſic probat; Vnum contrarium, quod imperfectius eſt altero, dicit priuationem alterius tamquam perfectioris, vt nigrum dicit priuationem albi; ſed priuatio eſt negatio eiuſdem eſſe; ergo dicit negationem; & ex conſequenti eamdem repugnantiam oppoſitionis contradictoriæ. Quare non poterunt contraria perfecta eidem ſubiecto ſimul conuenire. Secundo probatur, quia implicat contradictionem aliquam formam eſſe in ſubiecto, quin ei tribuat proprium effectum formalem, vt albedinem eſſe in pariete, quin conſtituat eum formaliter album: ſed vnum contrarium in gradu intenſo expellit aliud per proprium effectum formalem, cum illud expellat in genere cauſæ formalis: ergo repugnat eſſe in ſubiecto, in quo aliud erat, quin expellat illud. Probatur conſequentia, quia repugnat eſſe in ſubiecto, niſi per informationē, ſed per eamdem informationem expellit contrarium; ergo repugnat ſimul eſſe cum eo. Quod exemplo aquæ declarari po- 65
teſt, ſi ei applicetur ignis, & producat in ea ſummum calorem: tunc enim calor expellit frigiditatem expulſione formali, & ideo expellit eam per informationem, quia informatio eius incompoſſibilis eſt cum informatione frigiditatis: quare repugnat informare aquam, quin expellat ab ea eamdem frigiditatem, atque adeo ſimul cum ea eſſe: & hæc eſt tota repugnantia, quia forma in ſubiecto inhærente repugnat ſuſpendi effectum formalem eius, & proinde repugnabit ſuſpendi expulſionem formæ contrariæ per eumdem effectum præſtandam. Probatur tandem, quia eadem eſt ratio de formis ſubſtantialibus,

& acci

& accidentalibus;cum omnes tribuant esse subiecto per informationem;sed de substantialibus valde probabile est repugnare, quod simul informent eamdem materiam: ergo non erit minus probabile, quod repugnet duas formas contrarias accidentales simul informare idē subiectum in gradibus perfectis.

66 Secunda opinio tenet non implicare contradictionem, & ideo per potentiam Dei absolutam fieri posse, quod simul consistant in eodem subiecto summus calor, & summa frigiditas, sicque de cæteris contrarijs in gradibus intensis. Ita Paludanus in 3. distinct.15.quæst.2. Sotus in 4. distinct. 10. quæst.1. artic.5.Astudillo 3.lib.de Generatione,quæst.23.& est communis,& vera, sed hac distinctione explicanda. Contraria sunt in triplici differentia,quædam talis naturæ, vt vnum prorsus tollat rationem formalem alterius,vt actus scientiæ, & erroris,actus amoris,& odij circa idem obiectum;& de his contrarijs certum est, non posse esse simul in eodem subiecto, non solum in gradibus intensis,sed nec in remissis. Alia sunt contraria,quæ fundantur in aliqua ratione non habente latitudinem;sed consistente in indiuisibili,vt sanitas,& ægritudo, quæ fundantur in certo quodam temperamento primarum qualitatum,quo variato desinunt esse in subiecto,de quibus, & alijs similibus docuit expressè Aristoteles,vt superius vidimus,nullum medium habere,& ideo nec simul esse posse in eodem subiecto: quare nec de his intelligitur communis hæc sententia, sed de contrarijs tertij ordinis, quæ nec in indiuisibili consistunt,sed certam latitudinem habent, neque vnum tollit prorsus rationem formalem alterius; huiusmodi sunt primæ qualitates, atque etiam secundæ ex temperamento earum resultantes,vt calor,frigiditas,albedo, nigredo, & aliæ, de quibus procedit dubium,an simul esse possint in gradibus intensis per potentiam Dei absolutam, & nostra sententia tenet non repugnare.

67 Probatur primo, quia si hoc repugnaret, maxime propter immediatam oppositionem harum formarum, vel effectuum formalium earum in ordine ad subiectum, ratione cuius vna necessario destruit alteram, vel effectum formalem eius in subiecto per proprium: sed hæc ratio non probat repugnantiam: ergo nec debet poni.Probatur minor,quia eadem est ratio formalis,& essentialis harum qualitatum in esse intenso,& remisso,& solum distincta accidentaliter: idem etiam effectus formalis,vt patet in calore intenso,& remisso,nam remissus calor formaliter calor est, & formaliter constituit subiectum calidum,sicut intensus,solo modo accidentali intensionis excepto,

quem

quem certum est non variare rationem formalem qualitatis, aut effectus formalis eius in subiecto ; sed in gradibus remissis possunt qualitates istæ simul esse in eodem subiecto naturaliter,in quo reperiuntur frequenter secundum sententiam Aristotelis,& communem fere totius Scholæ , vt statim ostendemus:ergo licet non possint virtute agentis naturalis produci in eodem subiecto secundum gradus intensos, quin vna expellat alteram,poterit hoc fieri per potentiam Dei supernaturalem.Probatur consequentia , quia licet maiorem postulent capacitatem in subiecto secundum gradus intensos , quam secundum remissos, maiorem etiam capacitatem habet subiectum respectu agentis supernaturalis,quam respectu naturalis; ergo agens supernaturale poterit suspendere expulsionem vnius ab altera, vt constat in quantitatibus: quarum quælibet nata est expellere alteram ab eodem loco, cum sit impenetrabilis sua natura cum ea;& tamen communis est tentétia Scholæ,quod per diuinam potentiam possit suspendi talis expulsio, & ideo fieri,vt vtraque occupet simul eumdem locum , quod est se penetrare : ergo eodem modo poterit suspendi expulsio vnius contrarij ab alio,& fieri , vt simul permaneant in eodem subiecto.

Secundo , quia si repugnaret contraria esse simul,ideò esset, 68
quia in oppositione contraria includitur contradictoria , sed hæc inclusio non est immediata,nec per locum ab intrinseco & ideo nec omnino necessaria : ergo non constituit eamdem, repugnantiam inter contraria , vt sint simul , quæ reperitur inter contradictoria.Probatur minor, quia vnum contrarium non est negatio alterius in subiecto , nisi in quantum effectus formalis eius excludit effectum formalem alterius , & consequenter inhærentiam eius in subiecto,qua media eumdem effectum confert subiecto:sed hæc exclusio non est effectus formalis proximus,atque intrinsecus, sed secundarius , atque extrinsecus;cum sit negatio,quam causat vnum contrarium per suum effectum formalem positiuum, atque primarium in subiecto,ergo non repugnat suspendi per potentiam Dei absolutam,& ita permanere vnum contrarium intensum , simul cum altero.

Vt autem testimonium Aristotelis secundum germanum sensum explicemus,&argumentum ex eo deductum soluamus, oportet adnotare,quod in essentia cuiuslibet speciei fundatur negatio alterius , & ideo hæc negatio fundamentalis intrinseca est ei ; vt in essentia hominis fundatur negatio equi, aut Leonis,& ideo hæc negatio realis,& fundamentalis , non

equi,

equi,& non Leonis,eſſentialis eſt homini.Et cum cõtraria differant ſpecie ſub eodem genere,neceſſe eſt quodlibet includere realem negationem alterius, vt calorem negationẽ frigidi. Sed hæc ratio includendi negationem alterius non eſt propria contrariorum, ſed communis quibuſcumque alijs ſpeciebus.
69 Ideo cum oppoſita importent repugnantiam vnius cum altero, & contraria ſpecialem repugnantiam,neceſſe eſt quodlibet eorum fundare in ſua ratione ſpeciali contrarietatis ſpecialem negationem alterius, vt calor præter communem negationem quantitatis,vel relationis,aut alterius accidentis ſpecie diſtincti,licet non ſibi contrarij,includit ſpecialem negationem frigoris,vt ſibi repugnantis.Et tandem inter contraria illud,quod imperfectius eſt,includit negationem perfectionis alterius, & proinde negationem eiuſdem contrarij,vt ſe perfectioris. Sed ex his negationibus nihil aliud habetur, quàm quod vnum cõtrarium non ſit aliud eſſentialiter,ſed diſtinctum ab eo:& cum qualitates iſtę tribuant ſubiecto proprios effectus formales per proprias entitates ei actu inhærentes, in quibus continentur prædicata eſſentialia fundamentaliter accepta, ideo effectus formalis cuiuſcumque earum includit eaſdem negationes reſpectu effectus formalis alterius, ex quo etiam ſolum habetur per locum ab intrinſeco,quod effectus formalis vnius contrarij non ſit effectus formalis alterius,ſed diſtinctus ab eo eſſentialiter,atque ei repugnans ex propria natura: hæc autem repugnantia non eſt affirmationis,& negationis,ſicut ea, quæ reperitur inter eſſe,& non eſſe, ſed duarum rationũ poſitiuarum naturaliter incompoſſibilium in eodẽ ſubiecto. Quod quidem intelligi poteſt cum vtraque, & vtraque etiam in eo ſimul exiſtens,quia neq; vna eſt negatio,vel excluſio alterius, licet quælibet apta ſit alteram excludere ab eodem ſubiecto actuali, atque poſitiua excluſione,quæ aptitudo intelligi poteſt ſine actu. Quod ex eo patet,quia etiam ſine actuali expulſione contrarij intelligitur integra, atque completa ratio eſſentialis eius, vt conſtat in eiſdem contrariis remiſſis, quorum effectus formales ſunt eiuſdem ſpeciei, & eſſentiæ cum effectibus formalibus intenſis,& tamen vnus non excludit alterum,etiam naturaliter, & tota ratio huius eſt,quia actualis excluſio alterius ab eodem ſubiecto non eſt primarius, aut intrinſecus effectus formalis vnius contrarij,ſed ſecundarius,& extrinſecus,qui ex primario, & poſitiuo ſequitur naturaliter, & ideo non repugnat ſuſpendi adeo.Ex quibus ſequitur primò,non implicare contradictionem, quòd exiſtente vno contrario in ſubiecto, & adueniente alio in quolibet gradu intenſionis ſuſpendatur per diuinam poten

potentiam actualis expulsio, saluo effectu formali vtriusque, & ita simul permaneant in eodem subiecto.

Secundo sequitur germanum sensum Aristotelis in verbis illius testimonij esse, quod vnum contrarium non solum includat in sua ratione formali negationem fundamentalem alterius, sicut quælibet alia species includit negationem alterius speciei, sed etiam quod contrarium minus perfectum includat negationem alterius, vt minus perfecti, sicut nigrum negationem perfectionis in albedine inclusæ. Ex quibus euidenter sequitur tertium, quod vnum contrarium in gradibus intensis per suum effectum formalem naturaliter excludat alterum in gradibus etiam intensis ab eodem subiecto, & ideo, quod non possint esse simul naturaliter secundū gradus intensionis: & hoc solum est, quod intulit Arist. non tamen, quod cōtradictionem inuoluat, sicut eam inuoluit, quod contradictoria sint simul vel simul conueniant eidem rei; quem sensum aperte indicant verba postrema eiusdem testimonij, quæ sic habent: *Impossibile est etiam contraria simul inesse: sed aut ambo secundum aliquid, aut alterum secundum aliquid, alterum simpliciter*: nam expresse per ea concedit Arist. contraria aliquo modo posse simul inesse eidem rei, cum tamen contradictoria nullo modo possint. Et ratio differentiæ manifesta est ex doctrina tradita, quia contradictoria per proprias rationes formales se excludunt; immo ratio formalis vnius consistit in exclusione alterius, & ideo repugnat prorsus eidem conuenire, vt patet de esse, & non esse: nam esse actuale in sua ratione intrinseca dicit exclusionem non esse actualis, & non esse actuale exclusionem actualis esse; propterea includit intrinsecam repugnantiam, quod eidem simul insint, vel conueniant. Contraria vero, etiam in gradibus intensis non sic habent rationes repugnantes, nā quamuis quodlibet virtualiter dicat negationem alterius, hoc est, non esse alterum; ratio tamen formalis vnius non consistit in exclusione alterius, ideo contraria oppositio non est immediata, sicut contradictoria, quia nec est necessarium per locum ab intrinseco de quolibet affirmari vnum vel alterum, vel de quolibet negari. Vnde licet verum sit rationem formalem albi non esse rationem formalem nigri, non est verum quod sit exclusio eius. Cuius euidens ratio est, quia vtraque est ratio positiua, & ideo repugnat, quod ratio formalis vnius sit actualis exclusio alterius; hoc enim non potest intelligi, nisi ratio formalis vnius in negatione alterius consistat, & non in aliquo positiuo, & absque dubio hoc habent contradictoria ex eo præcise, quod opponuntur tamquam positiuum, & negatio eiusdem, & ex hoc fit quod

70

71

contraria non ſe excludunt ab aliquo tertio per locum ab intrinſeco, ſed ſolum per naturalem conſecutionem ſuorum effectuum formalium, ex quibus tamquam ſecundarius effectus ſe-
72 quitur excluſio, vel expulſio actualis. Hæc autem conſecutio naturalis impediri poteſt per potentiam Dei ſupernaturalem, & ideo per eam fieri, vt vnum non expellat alterum, ſed ambo ſint ſimul in eodem ſubiecto. Ad formam igitur argumenti, quòd conſtituit Ariſtoteles, conceſſa maiori, quod repugnet contradictoria ſimul eidem conuenire, diſtinguenda eſt minor, quod contraria dicant eamdem affirmationem, & negationem eiuſdem eſſe in ſuis rationibus formalibus. Nam duobus modis intelligi poteſt, quod vnum dicat negationem alterius. Primo ita vt ratio formalis eius ſit negatio, aut excluſio alterius, & ita ſe habent extrema contradictoriæ oppoſitionis; quia non eſſe non eſt aliud, quàm pura negatio eſſendi; eſſe verò excluſio poſitiua eiuſdem negationis. Secundò, non ita vt vnum ſit negatio ipſa, vel excluſio alterius, ſed quaſi ex conſequenti, in quantum eſt ratio poſitiua, ex qua naturaliter ſequitur excluſio alterius ab aliquo tertio, nempe ab eodem ſubiecto vtrique communi, quam excluſionem dicimus poſſe ſuſpendi per potentiam ſupernaturalem, quia eſſentialis non eſt, ſicut eſt eſſentialis excluſio vnius extremi contradictorij incluſa in eſſentia alterius.

73 Ad ſecundum argumentum diſtinguenda eſt maior, videlicet implicare contradictionem, quod aliqua forma ſit in ſubiecto, & ei non tribuat proprium effectum formalem; nam effectus formalis duplex eſt, primarius, & ſecundarius. Primarius eſt ipſum eſſe formæ communicatum ſubiecto media informatione. Secundarius vero eſt aliquid, quod ex eo ſequitur in eodem ſubiecto. Gratia exempli, primarius effectus caloris eſt eſſe calidum in ſubiecto, nam calor per actualem inhærentiam in ligno tribuit ei eſſe calidum; per hoc autem eſſe calidum expellitur naturali ſequella frigus ab eodem ſubiecto, & ideo expulſio formæ contrariæ eſt ſecundarius effectus formalis, quia per informationem vnius formæ expellitur contraria. Inter hos vero effectus diſcrimen eſt, quod primarius immediatè per ſe procedit à forma inhærente, & ideo vocatur intrinſecus, ac propterea implicat contradictionem formam informare ſubiectum, & non tribuere ei talem effectum; atque etiam implicat ab alio, quàm à forma inhærente tribui. Secundarius vero non procedit immediatè per ſe à forma inhærente, ſed medio effectu primario; quare non eſt intrinſecus, licet ſit formalis, & ideo quamuis ex neceſſitate naturæ ſequatur, non repugnat talem conſecutionem ſuſpendi à cauſa ſuperiori per potentiam

ſuperna

supernaturalem ; immo nec repugnat fieri ab ea sine forma. Ad formam igitur argumenti dicimus, maiorem esse veram de effectu formali primario, falsam vero de secundario propter discrimen assignatum inter vtrumque.

Ad tertium neganda est maior, quod eadem sit ratio de formis substantialibus, & accidentalibus comparatis ad subiectum. 74
Nam illæ conferunt materiæ primum esse specificum in determinata specie substantiali. Probabile autem est non habere capacitatem materiam vllo modo ad recipiendum simul plura esse substantialia, & ideo nec ad recipiendas simul plures formas substantiales. Formæ vero accidentales non conferunt subiecto primum esse indeterminata specie, & individuo, sed ordine naturæ illud præsupponunt, & ad ornatum eius pertinent; ornatus vero cum sit accidentalis, & multis, atque diuersis constare potest, & aliquando ex contrariis, vt patet in mixtis, in quibus insunt contrariæ qualitates in gradibus saltem remissis, & cum non contineat intrinsecam repugnantiam, poterunt esse etiam in gradibus intensis.

QVÆSTIO VI.

An contraria possint esse simul in eodem subiecto in gradibus remissis?

QVæstio sexta procedit de eisdem formis contrariis, an sal- 75
tem in gradibus remissis possint esse simul in eodem subiecto, vt calor vt quatuor, cum frigiditate vt quatuor, aut aliquid simile. Et prima opinio negat, quod possint esse simul. Ita Durand. in 2. quæst. prologi, & in 2. dist. 30. quæst. 1. Gregorius in 1. dist. 17. quæst. 3. art. 3. Sonzin. 10. Metaph. q. 22. Probatur testimonio Aristotelis 1. lib. de Generat. text. 16. vbi absolutè docet, quod contrariæ qualitates, vt calor, & frigus non possint coniungi in eodem subiecto. Probatur etiam ratione, primo ex definitione contrariorum superius adducta, in qua dicitur, quod contraria mutuo se expellunt ab eodem subiecto. Ex quo ita arguo. Definitio conuenit definito essentialiter, sed qualitates istæ eiusdem essentiæ sunt in gradibus intensis, & remissis, cum intensio, vel remissio sint accidentia earum : ergo in vtrisque gradibus debet eis conuenire : quare in gradibus intensis non possunt esse simul naturaliter, sed necessariò se expellunt : ergo idem habere debent in gradibus remissis.

Secundo, quia qualitates istæ in diuersis subiectis existentibus 76
secũdum gradus remissos se expellunt efficienter, nam calidum

vt tria agit in frigidum vt duo, & expellit ab eo frigiditatem: ergo in eodem subiecto existentes se expellunt formaliter. Probatur consequentia, quia eamdem habent repugnantiam formalem in eodem subiecto existentes, ac effectiuam in diuersis; sed ratione huius se expellunt efficienter in diuersis: ergo ratione illius debent se expellere formaliter ab eodem; & ita in nullo gradu poterunt esse simul. Et certe si simul admittantur in eodem subiecto, sequitur ab vtroque denominari, & ita dicetur simul calidum, & frigidum; sed calidum idem est, ac non frigidum: ergo dicetur simul frigidum, & non frigidū, dabunturque contradictoria prædicata in eodem, quod patet esse absurdum.

Tertio, si qualitates contrariæ in gradibus remissis simul esse possunt naturaliter, duo sequuntur absurda; primum, quod idem subiectum moueatur simul motibus contrariis, vt si demus aliquod calidum vt tria, atque etiam vt tria frigidum, poterit simul calefieri ab igne, & infrigidari ab aqua, cum possit simul habere alterum gradum vsque ad quatuor vtriusque qualitatis, & ita habebit simul motus contrarios, quod videtur absurdum; quia sicut repugnat idem corpus simul augeri, & deminui, simul moueri motibus contrariis, sursum, & deorsum; non minus repugnare debet, quod moueatur motibus contrariis alterationis. Absurdum secundum, quod sequitur, est, quod vnum contrarium agat in alterum, nullo modo illud corrumpendo, vt si ignis agat in corpus frigidum vt vnum, poterit ei imprimere calorem vt sex, nihil ab eo expellendo; cum frigus vt vnum possit esse simul cum calore vt sex; & ideo non necessario expellatur ab eo: toto ergo illo tempore, quo producit sex gradus caloris aget in suum contrarium nullo modo illud destruendo.

77 Hæc sententia contraria est doctrinæ Aristotelis, experientiæ, & rationi. Probo primum, quia Aristoteles t. 10. huius libri docet mixtionem ita fieri, vt elementa per mutuam actionem, & passionem se corrumpant secundum formas substantiales; sed secundum suas qualitates ad quamdam mediocritatem reducantur, & qualitates ipsæ in eadem mediocritate existentes in materia sint dispositio conueniens pro forma mixti introducenda, & ita in eodem mixto permaneant. Quod docet expresse in hoc etiam 2. lib. text. 48. his verbis: *Et primo quidem elementa ita transmutantur. Ex his autem carnes, & ossa, & quæ talia, calido quidem facto frigido, frigido autem calido, quando ad medium veniunt, hic enim neutrum, medium autem multi, & non in indiuisibile. Similiter autem & siccum, & humidum, & alia talia secundum medietatem faciunt carnem, & os, & alia huiusmodi.*

Et 2.

Et 2. lib de partibus animalium cap. 1. vbi asserit expresse mixtum componi ex virtutibus elementorum, nempe calore, frigore, humiditate, & siccitate, & ideo in eo permanere, quod vt minimum intelligitur in gradibus remissis.

Experientia vero probatur falsitas eiusdem sententiæ, quia 78
sensu tactus percipimus, quod si aqua intense calida permisceatur frigidæ, attemperatur vtraque; ita vt tota ipsa aqua ex vtraque resultans, non sit tam calida, nec tam frigida, ac prius. Et si manum calidam adiungamus frigidæ, sentimus illam minus calidam reddi, hanc vero minus frigidam: ergo in vtroque casu reperiuntur simul calor, & frigus in minori gradu, quam prius.

Probatur tandem ratione deducta ex simili experientia, nam ignis agens in aquam, remittit frigiditatem eius, non alia de causa, nisi quia imprimit ei aliquid caloris, per quem expellit aliquid etiam de frigiditate eius; non enim posset remitti frigiditas, nisi aliquid eius corrumperetur: ergo necessariò concedendum est dari aliquid caloris in aqua simul cum frigiditate eius remissa; & ex consequenti contraria simul in eodem subiecto secundum gradus remissos. Huic tamen euidenti argumento duobus modis solent respondere aduersarij. Primo respondet Gregorius vbi supra contraria applicata ad agendum, ita se habere vt fortius per solam suam præsentiam corrumpat debilius sine productione alicuius gradus propriæ formæ: corrupto autem debiliori ad præsentiã fortioris statim incipit hoc propriam formam imprimere subiecto, & ita calefit lignum ab igne destructa prius frigiditate eius; non quidem per productionem caloris, sed ad præsentiam eius; post vero producto calore in eo ab eodem igne. Hæc tamen solutio falsa est, & experientiæ contraria. Probatur primum, quia si frigiditas non cor- 79
rumpitur per introductionem caloris: ergo per solam subtractionem concursus illius agentis, à quo conseruabatur: sed euidens est non conseruari vnum contrarium ab alio absente, vel præsente, quia contrarietas potius est ratio destructionis: ergo non potest corrumpi per solam præsentiam eius. Probatur consequentia, quia per præsentiam nullum concursum potest contrarium subtrahere, quo conseruaret aliud contrarium, vt probatum est. Et si dicatur conseruari à Deo, qui ad præsentiam contrarij subtrahit proprium concursum, quo aliud contrarium conseruabat, & ideo verum est ad præsentiam contrarij corrumpi; probatur hoc esse falsum. Nam vel ad præsentiam contrarij subtrahit Deus suum concursum simul, vel successiuè; hoc secundum dici non potest, quia cum contrarium iam

ſit præſens, & non producatur contraria qualitas, nulla eſt cauſa ſucceſſionis; ſimul ergo concurſus ſubtrahitur, & ideo ſimul deſinit eſſe tota frigiditas: ergo non poteſt produci calor ſucceſſiuè poſt detructionem frigiditatis, quia non habet contrarium in ſubiecto: hoc autem eſt contra experientiam, quia ſenſu percipimus aquam ſucceſſiuè calefieri: ergo falſa eſt hæc
80 ſententia. Probatur præterea, quia ſola præſentia contrarij non poteſt eſſe ratio ob quam Deus ſubtrahat proprium concurſum; ergo non corrumpitur contrarium deſinente Deo illud conſeruare propter præſentiam alterius. Probatur antecedens, quia Deus non conferebat concurſum vni contrario, quo conſeruaretur propter abſentiam alterius: ergo nec eum auferet propter eius præſentiam, quia ſecluſa actione non plus obeſſe poteſt præſentia contrarij reſpectu corruptionis alterius, quàm abſentia prodeſſe ad conſeruationem: conſtat vero hanc non prodeſſe ad conſeruationem: ergo nec illa poterit obeſſe, ita vt propter eam concurſus à Deo ſubtrahatur. Et præterea repugnat naturaliter corrumpi totam frigiditatem aquæ ante introductionem caloris, quia frigiditas aliqua eſt diſpoſitio neceſſaria ad conſeruationem eius: non ergo poteſt ſine vlla permanere, ſed ſi per ſolam præſentiam contrarij corrumperetur, tota deberet corrumpi, quia non eſt maior ratio de tota, quàm de parte: ergo nihil eius corrumpitur per ſolam præſentiam contrarij.

Secunda ſolutio eſt Scoti, & Durandi vbi ſupra, aſſerentium corrumpi à contrario qualitatem, non per productionem qualitatis contrariæ, ſed cuiuſdam qualitatis mediæ, aliquo modo ei ſimili, vt quando ignis calefacit aquam, deſtruit frigiditatem eius, non per productionem caloris, ſed alterius qualitatis mediæ calori ſimilis, deſtructa vero frigiditate ab hac media qualitate introducitur calor in aqua. Hæc tamen ſolutio imprimis ponit tales qualitates medias ſine vlla neceſſitate, vel
81 fundamento, ſolum ad effugiendam difficultatem argumenti, quod ſufficeret, vt reputaretur falſa. Deinde eſt contra rationem, primo, quia talis qualitas media non poteſt expellere frigiditatem, expulſione formali, niſi propter repugnantiam, quam cum illa habeat ex propria natura; nam ſi nullam habet, poterit eſſe ſimul cum ea, ſicut aliæ formæ accidentales non contrariæ ſimul eſſe poſſunt; quod ſi propter repugnantiam eam expellit: ergo propter cõtrarietatem. Probatur conſequentia, quia contrarietas non eſt aliud, quàm ſpecialis repugnantia duorum in ordine ad ſubiectum à quo ſe expellunt, cum ſint ſub eodem genere; & hæc omnia habet talis qualitas media reſpectu frigiditatis,

ditatis, ſuppoſito, quòd eam expellit formaliter, & non expellit eam ſimul, ſed paulatim, & per gradus, vt conſtat experientia: ergo permanebit cum ea in gradibus remiſſis; & ideo contraria erunt ſimul in eodem ſubiecto. Secundo, quia in habitibus virtutum, & vitiorum contrariis non poſſunt admitti tales qualitates mediæ, nam ſi aliquis aſſuefactus vitio intemperantiæ eliciat aliquos actus temperantiæ: euidens eſt per eos non poſſe produci habitum, vel diſpoſitionem mediam; ſed habitum, vel diſpoſitionem temperantiæ, quia habitus ſumunt ſuam ſpeciem ab actibus. Tunc ergo neceſſe eſt concedere contrarios habitus, vel qualitates ſimul in eodē ſubiecto ſecundū gradus remiſſos.

Secunda opinio diſtinguit duo genera contrariorum, alia actiua, & paſſiua: qualia ſunt primæ qualitates elementorum: alia, quæ licet habeant rationes repugnantes circa idem ſubiectum, nihil tamen agunt, nec patiuntur, vt ſunt colores, & aliæ ſecundæ qualitates: & de primis cōtrariis aſſerit ſimul eſſe poſſe in eodem ſubiecto ſecundum gradus remiſſos: de aliis vero negat, ſed ſubiectum habens albedinem remiſſam, putat nullum gradum habere nigredinis, licet habens remiſſum calorem, neceſſe ſit habere aliquem gradum frigiditatis. Ita Sotus 1. lib. Phyſ. quæſt. 5. ad 1. & lib. 2. quæſtion. 1. ad 4. in fauorem huius ſententiæ, quantum ad priorem eius partem de contrariis actiuis afferri poſſunt omnia argumenta, quibus impugnauimus præcedentem: ſed quantum ad partem poſteriorem poteſt probari hoc argumento. Contraria, quæ non ſunt actiua, ſunt ſecundæ qualitates, vt colores, & aliæ, quę procedunt ex mixtione primarum, hoc eſt ex tali temperamento corporis mixti; ſed repugnat idem mixtum habere ſimul temperamenta contraria: ergo repugnat etiam habere ſecundas qualitates contrarias, etiā in gradibus remiſſis. Probatur conſequentia, quia etiam in gradibus remiſſis ſequuntur ex contrariis temperamentis, cum in his etiā gradibus ſint aliquo modo contrariæ. Pro hac ſententia citat Diuum Thomam Ferrara, 2. lib. contra gentes cap. 56. aſſerentem in minus albo nihil eſſe nigredinis, ſed albedinem minus intenſam, locū vero ex quo id accepit, inuenire nō potui. 84

Tertia opinio vniuerſaliter concedit contraria ſimul eſſe poſſe in eodem ſubiecto ſecundum gradus remiſſos. Ita Enri. quodlib. 12. quæſt. 12. Marſ. in 3. diſtinct. 11. artic. 2. Maior diſtin. 15. quæſt. 2. Argen. quæſt. vnica art. 3. Iauell. 10. Meth. quæſt. 13. Suarius tom. 2. ſuæ Metha. diſput. 45. ſection. 4. & omnes recentiores; eſtque iam communis in ſchola, & vera. Sed plures pro ea citantur, qui vel eam non tenent, vel non ita vniuerſaliter, aut non ita expreſſe, vt D. Aug. D. Thom. 85

Scotus,Ferra.& Caiet.& propterea eos non affero.Præter teſtimonia vero Ariſtotelis ad refutandam ſententiam oppoſitam à nobis adducta probanda eſt primo ex tribus principiis eiuſdem, ex quibus euidenter colligitur. Primum eſt, mixtio de qua docet c. 10. præcedentis libri; & 2.lib. de partibus animalium c. 3. mixtum componi ex quatuor elementis, vel potius, ait,ex quatuor qualitatibus eorum: ergo ſentit permanere in mixto, & illud componere. Non enim poteſt intelligi de permanentia virtuali in vna aliqua qualitate ſimplici, quæ ſit diſpoſitio pro forma mixti, quia vt ſic contentæ non ſunt diſtinctæ realiter, ſed realiter vnum: ergo nec poſſunt mixtum rea-
84 liter componere. Secundum principium eſt,quod omne agens in ſuum contrarium repatiatur ſimul ab eo, ſecundum eamdem contrarietatem. Ita docet capit. 7. præcedentis libri; & principium hoc recipit vniuerſa ſchola; ſed non poteſt eſſe verum, niſi contraria dentur ſimul in eodem ſubiecto ſecundum aliquem gradum. Probatur euidenter, quia ſi aër agens in aquã per calorem repatitur ſimul ab ea per frigiditatẽ:ergo aliquid frigiditatis ab ea recipit, quia paſſio eſt receptio formæ ab agente per actionem ei impreſſæ; & habet ſimul calorem, per quem calefacit aquam: ergo neceſſe eſt concedere calorem ſimul,& frigiditatem in aëre,vel negare reactionem cõtra euidentem experientiam. Tertium principium eſt: *Id quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem.* Quod habetur 6. lib. Phyſ. capit. 3. text.32. Ex quo euidenter probatur noſtra ſententia hoc modo.Motus eſt inter contraria, tamquam inter terminos à quo, & ad quem, vt dum mouetur aqua à frigiditate in calorem: ergo dum calefit, partim eſt in termino à quo,qui eſt frigiditas,& partim in termino ad quem, qui eſt calor, ſimul ergo tunc participat vtroque termino:ergo vtraque qualitate contraria. Ex quibus ſequitur, euidens eſſe, quod noſtra ſententia contineatur in doctrina Ariſtotelis, in qua oppoſita non eſt probabilis.

85 Sed probatur deinde ratione.Primo,quia motus alterationis eſt inter contrarios terminos, & ideo ex propria natura ſucceſſiuus. Cuius ratio à priori eſt,quia quælibet qualitas contraria producitur in ſubiecto cum reſiſtentia alterius contrarij, quod ab eo expellitur; ſed aqua (gratia exempli) calefit ſemper ab igne ſucceſſiue, vt euidenti experientia conſtat: ergo cum reſiſtentia contrarij exiſtentis in eodem ſubiecto; alioqui ſi contraria frigiditas in eadem aqua tunc non eſſet, in inſtanti produceretur in ea calor; neceſſe eſt ergo concedere frigiditatem in aqua ſimul cum aliquo calore toto tempore, quo calefit, vel

negare

negare quod ſucceſſiuè calefiat cõtra euidentem experientiam. Secundo, per ſenſum tactus percipimus in aqua calorem, non virtualem in aliqua alia qualitate virtute contentum, ſed formaliter in ea exiſtentem,quia ſolus calor formalis eſt qualitas tangibilis, non virtualis, vt probat euidenter lux, quæ cum ſit calor virtualis, non ſentitur per tactum, ſed neceſſariò concedendum eſt tunc habere etiam frigiditatem aliquam;nam cum frigiditas ſit propria,ac neceſſaria diſpoſitio aquę,ſicut calor eſt neceſſaria diſpoſitio ignis;ſicut forma ignis non poteſt conſeruari naturaliter ſine vllo calore;ita neque aqua ſine vlla frigiditate.Euidens igitur eſt ſimul habere frigiditatem,& calorem.

Probata iam noſtra ſententia, explicanda eſt, vt veritas eius 86
melius intelligatur.Explicatur autem hac diſtinctione.Contraria ſunt in triplici differentia:nam quædam ita ſe habent,vt ratio formalis vnius deſtruat alterum, non tamen ſunt contradictoria; quia ſunt extrema poſitiua: contradictoria vero ſunt affirmatio,& negatio,vel extremum poſitiuum,& negatio eius; & hoc primo modo ſunt contraria ratio virtutis,& vitij in generali,atque in ſpeciali:ratio etiam ſanitatis,& ægritudinis;ſed hæc adhuc ſunt duplicia,nam quædam ſuſcipiunt magis,& minus,vt vitia,& virtutes;alia non, ſed quaſi in indiuiſibili conſiſtunt,vt ſanitas, & ægritudo, nam etiam ſi minimus ſit gradus in quo deficiunt primæ qualitates à debito temperamento,' omnino deficit ſanitas. Alia ſunt contraria,quorum ratio formalis vnius non deſtruit alterum formaliter,ſed per naturalem conſecutionem ſui effectus formalis illud excludit à ſubiecto, & ita ſe habent primæ, & ſecundæ qualitates,quibus vniuerſaliter conuenit habere latitudinem gradualem,intenſionémque, & remiſſionem ſuſcipere.

His ſuppoſitis,tribus aſſertionibus explico communem ſen- 87
tentiam iam vniuerſaliter probatã. Prima aſſertio eſt,illa contraria,quorum ratio vnius deſtruit alterum, nec habent latitudinem, ſed quaſi in indiuiſibili conſiſtunt: nec in gradibus intenſis,nec in remiſſis poſſunt eſſe ſimul. Ita ſe habent ſanitas,& ægritudo.Euidens eſt hoc,quia quæ latitudine carent,non poſſunt ad mediocritatẽ reduci,ſed quaſi indiuiſibilis eſt oppoſitio eorum,& ideo omnino repugnat ſimul eſſe in eodem ſubiecto.

Quomodo habitus, & actus contrarius poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto.

SEcunda aſſertio eſt,quoſcumque habitus contrarios (exceptis ſupernaturalibus,de quibus non diſputamus) ſimul eſſe poſſe in gradibus remiſſis naturaliter:atque etiam actum vnius

cum habitu altero ferè ſemper. Et etiam ſecundum gradus intenſos per potentiam Dei abſolutam; ſed actus eorum, ſiue in gradibus intenſis, vel remiſſis per nullam potentiam poſſe eſſe ſimul. Exemplis fiet res manifeſta. Habitus temperantiæ, atque etiam intemperantiæ poſſunt eſſe ſimul naturaliter in gradibus remiſſis, atque etiam quilibet eorum cum actu alterius, non tamen vtriuſque actus: habitus etiam ſcientiæ, & erroris, & actus ſcientiæ cum habitu erroris; & hæc quidem omnia, quæ in gradibus remiſſis poſſunt eſſe ſimul naturaliter: ſupernaturaliter
88 poſſunt etiam ſimul eſſe in gradibus intenſis. Contrarium huius tenent Conimbricenſes ex parte ſcientiæ, & erroris 2. lib. de gener. cap. 3. q. 8. art. 2. ad finem negantes omnino, quod poſſint aliquo modo eſſe ſimul; aſſerentéſque eſſe communem ſententiam, quam probant hoc argumento. Quilibet actus erroris, quantumlibet remiſſus perfectè aduerſatur habitui ſcientiæ, & ſimiliter quilibet actus ſcientiæ habitui erroris, ita vt ſe deſtruãt ſecundum rationes formales obiectiuas, quia actus ſcientiæ eſt aſſenſus veritatis, & actus erroris aſſenſus falſitatis oppoſitæ: ergo repugnat eſſe ſimul, tam habitus ipſi, quam actus vnius cum habitu alterius. Probatur antecedens, quantum ad remiſſionem, quia eorum repugnantia non dependet ex graduali intenſione actus, aut habitus, ſed ex natura, & vi affirmationis, aut negationis, qua affirmatur conuenire rei id, ad quod negandum inclinat habitus, aut negatur competere eidem rei id, ad quod affirmandum inclinat habitus; ſed hanc repugnantiam rationum formalium aſſentiendi habent etiam in gradu remiſſo: ergo nõ poſſunt eſſe ſimul. Probatur minor, quia actibus etiam remiſſis repugnat affirmare ſimul, & negare eamdem rem: ergo repugnat eſſe ſimul actus horum habituum, quantumlibet remiſſos; & cõſequenter habitus, quia quamuis repugnantia exerceatur per actus; per quemlibet tamen actum eorum expellitur omnino habitus cõtrarius; & ideo neq; actus cum habitu, neque habitus ipſi poſſunt vllo modo, vel in gradu aliquo eſſe ſimul.

89 Ergo vero ſic probo contrarium iam explicatum, quia non minus habent rationes obiectiuas omnino repugnantes habitus temperantiæ, & intemperantiæ; habitus obedientiæ, & inobedientiæ, quam habitus ſcientiæ, & erroris; & ideo non minus repugnat eſſe ſimul in eodem ſubiecto actus temperantiæ, & intemperantiæ, quàm actus ſcientiæ, & erroris; ſed cum tali repugnantia actuũ euidens eſt, & ab his authoribus conceſſum, quod habitus temperantiæ, & intemperantiæ, atque etiam actus temperantiæ cum habitu intemperantiæ poſſint eſſe ſimul naturaliter: & revera ſint ſimul in homine prius ex conſuetudine

intem

intemperato ; post vero exercente aliquos actus temperantiæ, per quos ex parte saltem acquiritur habitus temperantiæ,& ex parte expellitur habitus intemperantiæ : ergo non erit minus euidens,quod possint esse simul habitus scientiæ, & erroris,& actus scientiæ cum habitu erroris in homine,qui prius errauit ex habitu circa aliquam propositionem,& aduenientе demonstratione acquisiuit habitum scientiæ, non statim omnino expulso habitu erroris.Quem habitum scientiæ permanente adhuc eodem habitu erroris potest exercere,quousque eum omnino expellat.Secundo probatur, quia habitus erroris cum sit radicatus in subiecto, non potest omnino expelli per vnum, vel plures actus scientiæ ; sicut habitus vitij non omnino expellitur per aliquos actus virtutis oppositæ : ergo necesse est qualitatem illam permanere,& sub vera ratione habitus, quia habitus non est aliud, quàm inclinatio acquisita in obiectum; sed qualitas illa permanēs inclinat in idem obiectum, in quod inclinabat ante aduentum scientiæ : ergo permanet sub vera ratione habitus,& ita vterque habitus simul,& actus vnius simul cum habitu alio.

Probatur tandem,quod per potentiam Dei absolutam qui- 90
cumque habitus contrarij, & quomodocumque se habeant, & actus similiter vnius cum habitu altero possint esse simul secundum gradus intensos;quia sicut permanent naturaliter habitus isti in eodem subiecto,& actus vnius cum alio habitu secundum gradus remissos ; sic potest fieri per diuinam potentiam,quod actus vnius habitus nullum gradum intensionis alterius expellat;sed in eadem intensione, quam habebat prius, permaneat.Potest etiam Deus existente habitu erroris intenso in intellectu producere habitum scientiæ etiam intensum sine expulsione eiusdem habitus erroris.Et ratio horum est, quia vt statim dicemus, habitus solum sunt inclinationes ad actus: quare non dicunt actualem coniunctionem cum obiectis, nec actualem tendentiam in ea, sed quasi potentialem : potentiæ autem , vel inclinationes ad actus contrarios non nisi diuerso tempore eliciendos per diuersas qualitates, non repugnant eidem potentiæ, quamuis repugnent actus ipsi contrarij simul eliciendi propter actualem repugnantiam , ratione cuius vnus est actualis destructio obiectiuæ rationis alterius ; ideo non possunt simul elici ab eadem potentia.De actibus vero euidens est habere intrinsecam repugnātiam actualem, vt actus scientiæ,& erroris,& quemlibet esse destructionem rationis obiectiuę alterius,quia manifestam continet repugnantiā eumdem intellectū affirmare,ac iudicare simul eamdem propositionem

veram

veram esse,& falsam, vt per se est manifestum. Vnde sequitur non posse vllo modo esse simul, siue in gradibus intensis, vel remissis,quia intensio, vel remissio neque augent, neque minuunt intrinsecam repugnantiam.

91 Ad argumentum vero oppositæ sententiæ distinguendum est antecedens quod quilibet actus horum habituum destruat rationem formalem obiectiuam alterius;nam ratio obiectiua actus,& habitus diuerso modo se habent. Quemadmodum actus,& habitus diuersum modū habent attingendi obiectum, aut tendēdi in illud.Actus enim attingit obiectum per modum actualis tendentiæ,& coniunctionis cum eo;habitus vero per modum inclinationis,& ideo quasi potentialis coniunctionis cum eo, & quia repugnat eumdem intellectum simul & actu coniungi cum veritate,& falsitate eiusdem propositionis actu iudicatæ, & ideo ratio formalis vnius actus destruit omnino alium actum,nec potest vllo modo simul cum eo esse:sed quia non repugnat eumdem intellectum posse attingere veritatem vnius propositionis vno tempore, aut posse ei coniungi per actuale iudicium, & alio tempore posse attingere falsitatem eiusdem propositionis, & posse coniungi illi per iudicium actuale contrarium, ideo actus vnius habitus non omnino destruit rationem obiectiuam alterius habitus, nec proinde habitum ipsum;ideo non repugnat habitus quantumlibet contrarios simul esse in eodem intellectu circa eamdem propositionem,vt habitum scientiæ, & erroris. Nec repugnat actu coniungi intellectum veritati propositionis,vel actu eam attingere per iudicium; & posse attingere falsitatem eiusdem, eique coniungi per actuale iudicium oppositum, ideo potest actus vnius habitus esse simul cum habitu opposito, vt actus scientiæ cum habitu erroris:immo & actus erroris cum habitu scientiæ (saltem per potentiam Dei absolutam) quia quamuis repugnare videatur naturaliter,quod habens habitum scientię alicuius propositionis in intellectu,& species eiusdem propositionis in memoria,possit habere actum erroris circa eamdem, vel circa
92 contrariam iudicans esse veram.Fieri tamen potest per potentiam Dei absolutam,vt ablatis speciebus permaneat habitus,& tunc non repugnabit, quod intellectus vtatur eodem habitu erroris permanente cū habitu scientiæ; & ex consequenti actus sit simul cum habitu. Quare negandum est ad formam argumenti,quod actus vnius habitus omnino tollat habitum contrarium.Et hæc quidem de habitibus acquisitis,& eorum actibus vera esse censemus:nam de infusis alia est ratio, quia sicut simul infunduntur,sic etiam simul amittūtur, & intēdi quidem possunt

possunt per actus supernaturales ab eis elicitos, non tamen remittuntur per contrarios, sed per quemlibet etiam remissum prorsus tolluntur:acquisiti vero sicut paulatim fiunt per plures actus,ita nati sunt paulatim corrumpi per oppositos, & non simul.

Quonam modo contraria non actiua possint esse simul in eodem subiecto.

VLtima tandem assertio nostra est, contraria etiam non 93
actiua simul esse posse;& simul re vera dari in eodem subiecto secundum gradus remissos,& per potentiam Dei absolutam posse dari simul secundum gradus intensos.Itaq; eamdem prorsus rationem esse de contrarijs actiuis,& non actiuis;ita vt sicut calidum remissum compatitur secum remissam frigiditatem,ita album remissum remissam nigredinem.Et sicut summus calor,qui est vt octo,potest secum cõpati in eodem subiecto summam frigiditatem,quæ est etiam vt octo,ita albedo intensa vt octo potest secum compati nigredinem vt octo per potentiã Dei absolutam.Probatur primum de gradibus remissis expresso testimonio Arist.3.lib.Top.cap.4.loco 9.vbi ita ait: *Quæ contrarijs sunt impermixtiora magis talia,vt albius quidem nigro impermixtius*.Colligitur etiam efficaciter ex his,quæ docet de eisdem contrarijs non actiuis,nam 7.lib. Physic.text.11. enumerat ea inter qualitates contrarias per se terminantes motum alterationis:& lib. 5.text.11.& 12.expresse asserit motum propriissimum alterationis dari non solum quando remittitur aliquod horum contrariorum, vel intenditur in subiecto, vt quando minus album fit magis album: sed quando mouetur ab vno contrario in aliud simpliciter, vt quando ex albo fit nigrum, vel è contra.lib.etiam 6.tex.87. vniuersaliter docet in omni motu propriè sumpto necessarium esse vt subiectum,quod mouetur partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quem. Ex quibus omnibus hoc argumentum desumitur. Corpus potest moueri ab albo in nigrum motu propriè sumpto pro successiuo, & dum mouetur participat vtroq; termino à quo,& ad quem:ergo participat simul aliquid albedinis,& aliquid nigredinis: quod est vtramque qualitatẽ contrariam, etiam non actiuam,nec passiuam simul esse in eodem subiecto in gradibus remissis.

Probatur deinde ratione, quia contraria non actiua habent 95
eamdem latitudinem gradualem,ac habent actiua, & cum sint vere,& propriè contraria, debent se expellere ab eodem subiecto,saltem expulsione formali omnibus contrarijs intrinseca

(actiua

(actiua enim expulsio , vt diximus,non est omnibus essentialis:)ergo albedo & nigredo, cæteraque contraria non actiua se expellunt ab eodem subiecto,non simul,sed per gradus, & ideo successiue , quia expulsio contrarij necessariò debet fieri cum resistentia,sed ex graduali , & successiua expulsione ab eodem subiecto euidenter colligitur simul esse in eo illa , quæ se expellunt : ergo necessariò concedendum est , quod hæc etiam contraria non actiua simul sint in eodem subiecto in gradibus remissis.Posse autem esse simul in gradibus intensis has qualitates non actiuas per potentiam Dei absolutam , eisdem argumentis probari potest , quibus probatum est de qualitatibus contrarijs actiuis,& passiuis.

96 Ad testimonium Aristotelis adductum pro prima opinione respondeo , duobus modis coniungi posse qualitates primas. Primo ad compositionem elementi. Secundo ad compositionem mixti. Et ad compositionem elementi certum est concurrere secundum gradus intensos , sicut ad compositionem mixti secundum gradus remissos : nam quodlibet elementum constat duplici qualitate,vna in summo,altera prope summum: mixtum vero eisdem qualitatibus constat in gradibus remissis: Aristoteles ergo in illo loco agit de coniunctione, vel combinatione qualitatum ad compositionem elementi;& ideo negat posse coniungi qualitates contrarias , quia ad talem compositionem concurrere debent secundum gradus intensos, secundum quos non possunt esse simul,si contrariæ sint , & ideo absolutè sunt incompossibiles combinationes qualitatum contrariarum ad compositionem elementorum , sed ad compositionem mixti concurrere possunt , vt alijs locis docet expresse Aristoteles,quos pro nostra sententia citauimus, quia secũdum gradus remissos concurrunt,in quo nulla datur repugnantia.

97 Ad primum argumentum respondent nonnulli recentiores, definitionem contrariorum non conuenire his qualitatibus secundum essentiam,sed secundum modum intensionis,& ideo absolutè concedunt secundum gradus remissos non esse contrarias, sed solum secundum intensos , quia solum secundum illos se expellunt ab eodem subiecto. Hæc tameu sententia falsa mihi videtur,quod probatur à priori ex his, quæ diximus, q.4.elucidantes definitionem contrariorum : nam contrarietas dicit specialem repugnantiam duorum extremorum maximè distantium sub eodem genere ; sed maximè distare sub eodem genere conuenit speciebus ex proprijs differentijs essentialibus : nam per differentias accidentales non dicuntur esse sub genere:ergo si qualitates istæ cõtrariæ sint, ex propria essentia debet

debet eis conuenire contrarietas: sed essentia est eadem in omnibus, siue secundum gradus remissos, vel intensos accipiantur: ergo omnibus debet conuenire contrarietas, & non solum intensis.

Secundò probatur, quia calor remissus expellit frigiditatem ab aqua expulsione effectiua, & formali, & etiam expellitur ab aqua reagente in idem calidum remissum: ergo calor remissus contrarius est frigiditati, & si dicas expellere frigiditatem intensam, & non remissam, & ideo solum esse contrarium ei, & non remissæ; non soluitur argumentum, quia expellens intensam non definit esse remissus: ergo verum est calorem remissum expellere, & cõtrarium esse. Quare falsum est dicere, quod contrarietas solum conueniat qualitatibus secundum gradus intensos. 98

Pro solutione verò argumenti adnotandum est mutuam expulsionem contrariorum dupliciter sumi posse, vel secundum aptitudinem, vel secundum actum; & aptitudo quidem essentialis est eis; actualis vero non, nisi accidentalis. Probatur euidenter, quia non semper se expellunt, sed dum agunt, & patiuntur: ergo expulsio actualis nec essentialis est eis, neque propria passio eorum; ex opposito vero semper sunt apta se expellere, & hæc aptitudo conuenit eis ex propria natura, ratione cuius specialem oppositionem, & repugnantiam habent in ordine ad subiectum; ergo essentialis est, vel ab essentia oritur. Vnde sequitur, in definitione contrariorum non sumi expulsionem pro actuali, quia accidentia, quæ non semper conueniunt rei, nec possunt ad definitionẽ eius pertinere; sed pro aptitudinali, vel radicali. Actualis vero expulsio, cum sit à subiecto, secundum capacitatem, & dispositionem eius accipienda est, atque etiam secundum debitam proportionẽ eorumdem contrariorum; ita vt circa illud agere, & pati possint: non enim in quocumque gradu intensionis accepta, agere, & pati possunt, quod patet, si applicentur in gradibus intensis omnino æqualibus: non enim se expellent, immo nec omnino vnum aget in aliud, sed in tali proportione applicari debent, vt maior sit actiuitas agẽtis, quã resistentia passi: nam si æquales sint, ita vt tantũ resistat passum, quantum agens agit, nulla sequetur actio, nulla actualis expulsio actiua, vel formalis: nam hæc ab illa dependet, vt per se est manifestum. Requiritur ergo ex parte subiecti, quod sit in eo adimpleta latitudo gradualis ex vno, vel vtroque contrario; nam si adimpleta non sit, capax erit adhuc alicuius gradus vel partis vtriusque contrarij: quare vtrũque poterit simul recipere sine vlla expulsione quousque latitudo cõpleatur; cõpleta vero 99

nullum

nullum gradum vnius accipere potest sine expulsione alterius gradus ex alio. Ex parte vero eorumdem contrariorum requiritur proportio secundum gradus etiam eiusdem latitudinis,& secundum densitatem, & alias conditiones requisitas ad agendum,& patiendum; ita vt omnibns consideratis maior sit actiuitas vnius, quàm resistentia alterius. Itaque sicut de primis qualitatibus verum est esse actiuas & passiuas, & hoc eis conuenire essentialiter,& tamen non semper,neque in quocumque gradu etiam intenso agunt,& patiuntur, sed in certo gradu, & proportione applicata, vt superius ostendimus, ita de contrarietate dicendum, essentialiter conuenire eisdem qualitatibus, & consequenter, quod possint se expellere ab eodem subiecto, actum vero expulsionis non semper exercent,etiam in gradibus intensis,sed cum certa proportione requisita ad agendum,quia media actione,& non aliter se expellunt.

100 Ex his non est iam difficile argumentum soluere, concedimus enim definitionem contrariorum essentialiter conuenire his qualitatibus, sed in definitione non sumi expulsionem pro actuali,sed solum pro aptitudine, quam habent contraria semper in quibuscumque intensis, vel remissis gradibus accipiantur. Vnde licet non semper se expellant,semper possunt aliquo modo se expellere, & ideo semper, & in quibuscumque gradibus accipiantur, conuenit eis definitio, & verè contraria censenda sunt. Et si dicatur sumpto vtroque contrario in gradu remisso,numquam se expellunt,sed simul sunt in eodem subiecto:ergo sic accepta,non sunt apta se expellere,nec verè contraria.Concesso antecedente,neganda est consequentia,quia quod tunc non se expellant, non prouenit ex defectu contrarietatis, sed ex capacitate subiecti respectu vtriusque in eo gradu, in quo non excedunt latitudinem, quæ si esset completa ex vno solo, expelleretur ab alio etiam remisso expulsione formali, vt patet in actione, & reactione, in qua remissus calor introductus in aqua expellit aliquid frigiditatis ab ea expulsione formali, & hoc sufficit, vt semper sint apta se expellere, etiam in gradu remisso,licet non se expellant,nisi adimpleta iam in subiecto latitudine graduali;& hac expleta quodlibet contrarium, etiam remissum expellit aliud etiam intensum, vel certè aliquem eius gradum,qui remisso æquiualet.

101 Ad secundum, negandum est antecedens, quod contrarium remissum expellat aliud etiam remissum efficienter,aut formaliter; neutro enim modo illud expellit propter capacitatem subiecti, vtrumque habere potentis in tali gradu. Et cum dicitur calidum vt tria agere in frigidum vt duo negandum est, quia

quia frigidum vt duo debet esse calidum vt sex, alioqui non erit latitudo contrarietatis expleta, in calidum autem vt sex repugnat agere calidum vt duo, quia repugnat intendere calorem eius. Ad aliud vero, quod in eodem argumento dicitur de denominatione eiusdem subiecti ab vtroque contrario simul in eo existente, hac distinctione respondendum est, (ne de solo nomine sit quæstio, si omnibus modis negetur talis denominatio.) Duobus modis possumus sumere denominationem; vel secundum communem vsum loquendi, & hoc modo subiectum habens vtramque qualitatem, solum denominatur à prædominante, nempe ab intensiori, vt si sit calidum vt quinque, & frigidum vt tria, simpliciter denominamus illud calidum; immo aliquando licet prædominetur re vera frigiditas in corpore aliquo, quia magis sentitur calor propter actiuitatem eius maximam, denominamus corpus calidum; vt aquam vocamus absolutè calidam, etiam si plus habeat frigiditatis, quàm caloris. Si 102
vero in gradu æquali habeat corpus vtramque qualitatem, non denominatur ab aliqua earum, sed aliquo nomine simplici illud denominamus, quo significatur vtrumque in gradu æquali, vel secundum rem, vel saltem secundum sensum, vt aquam vocamus tepidam, quo nomine significamus æqualem habere frigiditatem, & calorem saltem secundum sensum; quod si non sit nomen simplex, quo significetur æqualitas vtriusque, significamus eam nomine complexo dicentes corpus esse humidum, & siccum in æquali gradu. Secundo modo potest sumi denominatio ex ipsismet effectibus formalibus, quos tribuunt qualitates contrariæ subiecto, qui siue sint in gradu æquali, vel inæquali, non denominamus subiectum ab vno solo, sed vtrumque concipientes, & explicantes dicimus corpus esse calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, aut quid simile. Ad formam igitur argumenti concedimus vel denominari subiectum à solo contrario prædominante, vel ab vtroque simul explicatis gradibus vtriusque, secundum quos inhærent eidem subiecto. Negamus autem consequentiam, quod suscipiat simul contradictorias denominationes calidi, & non calidi, aut frigidi, & non frigidi; quod manifestum est, dum à solo prædominante fit denominatio; nam si solum denominatur ab vno, non sequitur simul suscipere denominationem contradictoriam à negatione eiusdem, sed solum à negatione alterius. Denominatio vero positiua vnius non est contradictoria denominationi à negatione alterius; sed necessariò conueniens cuicumque rei: quod exemplo posset explicari. Si vero denominemus subiectum ex effe- 103
ctibus formalibus vtriusque cõtrarij secundum se consideratis,

non ab vno ſolo denominatur,ſed ab vtroque explicatis gradibus vtriuſque effectus:vnde non ſequitur, quod ei poſſit conuenire denominatio poſitiua,& negatiua eiuſdem rei.

Ad tertium negandum eſt, quòd ſequantur duo illa abſurda ex eo, quod contraria in gradibus remiſſis ſint ſimul in eodem ſubiecto. Et ad primum abſurdum aſſerunt quidam ex his, qui ſequuntur noſtram ſententiam,nullo modo concedi poſſe,quod idem corpus moueatur ſimul motibus contrariis, quia ſecum videtur hoc afferre repugnantiam,vt in cæteris motibus eſt manifeſtum. Ego vero ex ſuppoſitione,quod contraria in gradibus remiſſis ſimul eſſe poſſunt in eodem ſubiecto, vt probauimus; teneo non ſolum,quod poſſit,ſed quòd in eiſdem gradibus moueri debeat motibus contrariis,propter hoc argum. Motus non habent aliam repugnantiam, vel contrarietatem, præter eam, quam accipiunt ex terminis ad quos; ſed non repugnat terminos ad quos calefactionis, & infrigidationis eſſe ſimul in eodem corpore: ergo nec repugnabit eoſdem motus eſſe ſimul. Hoc tamen cum hac limitatione conceditur. Quod ſicut non conceditur naturaliter contraria poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto abſolutè,ſed cum addito remiſſionis gradualis, ita non eſt abſolutè concedendum, quod idem corpus poſſit ſimul moueri motibus contrariis, niſi ſecundum gradus remiſſos, quos conſtat habere motus à terminis.

104 Ad ſecundum,quod tamquam abſurdum inferebatur, nempe poſſe vnum contrarium agere in alterum nullo modo corrumpendo illud,hac diſtinctione reſpondeo,ſi in vtroque ſit latitudo vtriuſque contrarietatis expleta, impoſſibile eſt; quia nec tunc poteſt idem corpus naturaliter moueri motibus contrariis, nec aliquid ex propria forma producere ſine expulſione contrarij gradus. Si vero non ſit expleta, non eſt inconueniens agere vnum contrarium in aliud, non corrumpendo illud, ſed ſolum producendo in ipſum aliquem gradum propriæ formæ, quia ad talem productionem non ſequitur neceſſariò expulſio contrarij;cum ſubiectum ſit capax vtriuſque,vſque ad integram latitudinem ex vtroque complendam, vt probauimus. Et idem poſſet contingere in generatione ſubſtantiali, ſi materia naturaliter poſſet habere plures formas ſubſtantiales;tunc enim generationem vnius ſubſtãtiæ non ſequeretur corruptio alterius, & quia per potentiam diuinam plures habere poteſt, per eamdem poſſet dari generatio vnius ſine corruptione alterius, & quod agens ageret in ſuum contrariũ non corrumpendo illud, ſed ſolum introducendo propriam formam in eamdem materiam, & cum contraria in gradibus remiſſis poſſint eſſe ſimul in eodem

eodem ſubiecto, vt probauimus, poteſt vnum agere in alterum per ſolam productionem propriæ formæ ſine corruptione formæ contrariæ.

Ad argumentum ſecundæ opinionis conceſſa maiori, & mi- 105
nori, neganda eſt conſequentia, quod mixtum non poſſit ſimul habere qualitates contrarias non actiuas in gradibus remiſſis. Et quod dicitur has qualitates contrarias ſequi non poſſe, niſi ex contrariis temperamentis, diſtinguendum eſt, nam dum primo fiunt, cõtraria, vel ſaltem diuerſa poſtulant temperamenta, ſicut qualitates ipſæ cõtrariæ ſunt, & ex eadem cauſa circa idem ſubiectum non poſſunt ſequi effectus contrarij. Itaque in prima generatione mixti non poſſunt ſecundæ qualitates contrariæ produci, etiam in gradibus remiſſis, ſed vna tantum earum in aliquo gradu intenſionis ſequitur ſecundum modum temperamenti, vel permixtionis primarum qualitatum: poſtea vero variato temperamento incipit produci contraria cum aliqua remiſſione eius; & ita dantur ſimul in eodem ſubiecto ſecundum gradus remiſſos, licet non producantur ſimul in eo.

Et ſi quis ita arguat, fieri ordinatur ad eſſe, ſed poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſſis: ergo ſimul fieri, quod patet in primis qualitatibus, quę ſimul produci poſſunt in eodem ſubiecto vtraque carente. Neganda eſt conſequentia, quia licet ex eo, quod ſimul fieri poſſunt, ſequatur ſimul eſſe poſſe, non tamen ex ſimultate eſſendi ſequitur bene, quod ſimul fieri poſſint. Quia aliquod impedimentum dari poteſt, ne ſimul fiant, quod non detur ad ſimultatem eſſendi, & verè datur in his qualitatibus: cum tamen non detur in primis, quia primæ qualitates non ſupponunt alias, in quarum permixtione fundentur, & ideo non repugnat ſimul produci in nudo ſubiecto vſque ad certum gradum: qualitates vero ſecundæ ſupponunt tale temperamentum primarum, ex quo ſequuntur, quod cum non poſſit multiplex eſſe ſimul in eodem ſubiecto, neque idem, & diuerſum, nec poſſunt ex eo primo ſequi qualitates ſecundæ contrariæ, ſed cum poſſit diuerſo tempore variari, poteſt poſt productionem vnius produci contraria, & ſimul eſſe cum ea in gradibus remiſſis, licet non poſſint ſimul produci.

QVÆSTIO VII.

An cuilibet elemento ex propria natura conueniant duæ qualitates primæ?

DE ſolis primis qualitatibus in primis quæritur, nam de 106
ſecundis certum eſt conuenire elementis raritatem, &

Digitized by Google

denſitatem, atque etiam grauitatem, & leuitatem; deinde, an cuilibet elemento ex propria natura conueniant duæ. Nam certum eſt, & experientia notum plures, immo & contrarias cuilibet conuenire ſecundum aliquas partes ab agente extrinſeco eis impreſſas, vt aquæ calorem, aëri frigiditatem, & terræ humiditatem. Quod ergo quæritur eſt, an ex propria natura, & ideo ab intrinſeco cuilibet conueniant duæ qualitates primæ, vt aëri calor, & humiditas; & ita cæteris ſecundum proportionem.

Et prima opinio negat omnibus elementis conuenire, ſed de aëre docet ſolam humiditatem eſſe ei naturalem; calorem vero, & frigiditatem ab extrinſeco tantum ei imprimi. Ita Valleſius 1. lib. controuerſ. Medic. capit. 10. vbi eamdem ſententiam tribuit Galeno 8. lib. de vſu partium capit. 3. atque etiam lib. de vſu reſpirationis. Probatque hoc argumento. Qualitates illæ, quas habet elementum ex propria natura non facile, nec paſſim amittit, ſed ferè ſemper retinet, vt patet de igne, qui numquam ferè admittit calorem, & ſiccitatem; ſed aër paſſim tranſmutatur à frigiditate ad calorem, & eadem facilitate, qua fit calidus, fit etiam frigidus: ergo neutra harum qualitatum eſt ei naturalis, ſed ſola humiditas in eo perſeuerans.

107 Secunda opinio ſolum tribuit eidem aëri frigiditatem naturalem; calorem vero, & humiditatem, quas aliquando etiam habere ſolet ab extrinſeco corpore eſſe eis impreſſas. Hanc tribuit Stoicis Galen. lib. 1. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capit. 2. Eamdem ſecutus eſt Seneca lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 10. Probatur experientia, & ratione. Experientia quidem, quia illa ſola qualitas cenſetur conuenire corpori ex propria natura, quæ ei conuenit ſemotis extrinſecis agentibus ſibi contrariis; cæteræ vero, quæ ei conueniunt in præſentia eorum ab eis imprimi cenſendum eſt, ſed ſola frigiditas hoc modo conuenit aëri: ergo hæc ſola eſt ei naturalis. Probatur minor, quia in hieme, & ferè in noctibus totius anni frigidus eſt aër, cuius ratio ſolum poteſt eſſe abſentia Solis, per præſentiam cum calefacientis, eo vero abſente ſe reducit ad naturalem frigiditatem, ſicut de aqua eſt manifeſtum: ergo ſicut hæc naturaliter eſt frigida, calida vero ab extrinſeco, pari ratione de aëre cenſendum eſt. Probatur etiam ratione, quia illa ſola qualitas cenſetur naturalis elemento, quæ circa centrum, vel medium eius ſemper ei conuenit, nam in centro, vel circa illud cenſetur natura eius ſuam habere puritatem, præſertim cum ex hac parte magis ſit ab extrinſecis contrariis remotum; ſed aër in media regione ſemper eſt frigidus, immo

frigidior

frigidior multò, quàm in ſuprema,& infima : ergo negari non poteſt, quod frigiditas ſit ei naturalis. Minorem probat euidens experientia ; nam videmus in regione illa generari niuem in hieme, æſtiuo autem tempore grandinem propter nimiam frigiditatem aëris.

Tertiam opinionem tenet Ariſtoteles capit. 2. huius libri, 108
textu 16. & 4. Metheo. capit. 1. quibus locis ſingulis elementis tribuit duas qualitates, videlicet igni calorem & ſiccitatem ; aëri calorem & humiditatem ; aquæ frigiditatem & humiditatem;& terræ ſiccitatem,& frigiditatem. Et hæc eſt communis ſententia Scholę,& videtur nobis probabilior,& ſequenda. Et prima eius ratio deſumitur ex ſitu, & collocatione elementorum in Vniuerſo,cuius partes, quaſi integrantes ſunt;atque etiam ex fine,cuius gratia condita ſunt elementa,nempe vt generentur ex eis mixta. Et ex hoc fine probatur, quòd ſingula habeant qualitates ſingulas, per quas ſint contraria hoc modo. Generatio rei naturalis fit ex contrario, & generatio mixti ex elementis, quarum virtutibus conſtant pro diſpoſitionibus ad introductionem ſuæ formæ : ergo neceſſe eſt elementa eſſe inter ſeſe contraria per qualitates actiuas, & paſſiuas, per quas poſſint concurrere ad mixtionem, ſeque corrumpere, vt ex eorum materia eiſdem qualitatibus diſpoſita poſſit mixtum generari, contrarietas autem ſecundum vnam ſaltem qualitatem debet eſſe : ergo quodlibet debet habere vnam qualitatem, per quam alteri ſit contrarium. Quod vero neceſſarium 109
ſit habere etiam alteram, per quam contrarium non ſit, probatur ex ſitu, & collocatione, quia elementa ita ſunt collocata,vt quodlibet habeat aliud ſibi proximum, atque contiguum, iuxta quod conſeruetur & à quo nec deſtruatur, neque illud deſtruat ; alioqui talis collocatio contraria eſſet conſeruationi totius mundi, cum per eam ſe deſtruerent partes eius ; ſed locus, in quo conſeruatur corpus, debet habere qualitatem aliquam ſimilem, aut conſonam temperamento eiuſdem corporis, alioqui, ſi omnes haberet contrarias, non bene conſeruaretur in ipſo, vel iuxta ipſum : neceſſe eſt ergo, vt quodlibet elementum aliam qualitatem habeat, per quam aſſimiletur alteri iuxta ſe collocato præter aliam, ratione cuius ei contrariatur, & conſequenter duas primas qualitates actiuas, & paſſiuas. Secundo, elementa ſunt prima corpora generabilia, & corruptibilia, & ideo inter ſe contraria, vt poſſint ſe corrumpere, & vnum tranſmutari in alterum, atque etiam omnia in tertium,quod eſt mixtum,ſi vero vna tantum qualitate contraria conſtarent,difficilis admodum redderetur mixtio,nec ſuffi-

ceret duo, aut tria concurrere, ſed neceſſarium eſſet concurſus omnium, alioqui nec omnes quatuor qualitates poſſent concurrere, nec ideo mixtionem efficere à generatione diſtinctam: ergo neceſſe eſt alia conſtare non contraria illi.

110 Probatur deinde experientia in ſingulis elementis: nam ignem experimur eſſe calidum, atque etiam ſiccum, quia videmus humida, quæ calefacit, ſimul exſiccare. Præterea, quo corpus aliquod magis eſt ſiccum, melius, atque facilius in ignem conuertitur, & quælibet materia ſicca magis eſt diſpoſita, pro forma ignis in eam introducenda, quàm humida: ſiccitas ergo congrua diſpoſitio cenſetur ad formam ignis. Quod non poteſt intelligi, niſi forma ignis eam tamquam ſibi connaturalem poſtulet ſimul cum calore, de quo euidens eſt ei conuenire.

De aëre etiam probatur primo, quod ſit calidus ex propria natura. Primo, quia probatum eſt omnia elementa eſſe inter ſeſe contraria; ſed ſi aër non ſit natura calidus, ſed fortè frigidus, vt voluerunt alij, non eſſet aquæ contrarius: ergo calidus debet poni ex propria natura. Secundo, quia ſi aër non eſſet calidus, facile, & ſine vlla reſiſtentia conuerteretur in aquam, quæ per ſummam frigiditatem in eum ſibi contiguum agit, & ideo in inſtanti, quia nullam poteſt habere reſiſtentiam, nec ſucceſſionem conuerſio eius, ſi nullum habet calorem ex propria natura. Quod vero aër ſit humidus, probatur primo; nam de igne probatum eſt eſſe calidum, & ſiccum; & ſtatim probabitur de aqua euidenti experientia eſſe frigidam, & humidam, & ideo omnino ei contrariam: ergo duo alia elementa, nempe aër, & terra debent eſſe omnino etiam contraria, ſed probabitur experientia terram eſſe ſiccam: ergo neceſſe eſt aërem eſſe humidum. Secundo, quia ſingula elementa ſunt ſingulis contraria ſecundum aliquam qualitatem, vt probauimus: ergo aër eſt contrarius igni, non per calorem; cum probatum ſit eſſe ſua natura calidum: ergo per humiditatem, & ideo ex propria natura erit humidus, ſicut ignis ſiccus. Quod tandem probat vſus reſpirandi, nam aëre reſpiramus: ergo cum reſpiratio ſit operatio vitalis; aëre ex hac parte ſuſtentatur, atque conſeruatur vita; ſed hæc conſiſtit in calido, & humido: ergo humidus, & calidus debet eſſe aër eam conſeruans.

111 Quod vero aqua ſit frigida, probatur duplici experientia. Prior eſt, quia dum ab aliquo agente calido ſibi approximato calefacta eſt, eo ſublato ſtatim abſque aliquo infrigidante extrinſeco, ſed ſuæ naturæ relicta, ſe reducit ad antiquam frigiditatem: ergo à propria natura habet frigiditatem, & non ab aliquo extrinſeco. Altera experientia eſt, quia aqua quæcumque

non

non calefacta ab extrinseco calefaciente, vel eo remoto, à quo calefacta est, & suæ naturæ relicta infrigidat quæcumque alia corpora temperata:ergo ex propria natura frigida est.Probatur consequentia,quia ea,quæ semper contingunt,& non causantur ab aliquo extrinseco,naturalia censentur.

Probatur tandem, quod terra sit ficca, ex diuinæ Scripturæ verbis in principio Geneſis, vbi refertur Deum statim ac terram condidit, eam vocasse aridam. Deinde ex definitione ſicci, quam tradit Aristoteles in hoc 2. lib. text.9. his verbis: *Siccum autem facile terminabile proprio termino, difficulter autem terminabile alieno.* Sed euidens est terram per se terminari, vel consistere, etiamsi à nullo alio corpore coarctetur: ergo ex propria natura debet reputari ficca. Et tandem experientia, quia sublato quocumque extrinseco eam humectante, statim se reducit ad siccitatem nullo extrinseco corpore eam exsiccante:ergo sua natura debet censeri ficca.

Ad argumentum primæ opinionis concedenda est maior, 112
quod illa qualitas censenda sit naturalis corpori, quam retinet semper. Minor vero distinguenda; quod aër facile transmutetur à calore ad frigiditatem; nam transmutari ad frigiditatem contingit dupliciter; vel amittendo omnino calorem; & hoc modo neganda est, vel plus frigiditatis recipiendo, & maiori facilitate,quàm reliqua elementa recipiant qualitates sibi contrarias; & in hoc sensu conceditur: hoc autem habet propter humiditatem cum raritate,& subtilitate coniunctam: quarum ratione facilè subditur alienis impressionibus; sicut etiam facile mouetur localiter à quocumque extrinseco versus omnem differentiam loci: quare non probatur ex propria natura non esse calidum, sed solum, quod ita sit naturaliter calidus, vt facile ab eodem calore transmutetur, qui non adeo tenaciter ei inhæret, atque humiditas, quæ est qualitas ei propria, vt quæstione sequenti probabitur, à qua proinde remouetur difficilius.

Ad primum argumentum secundæ opinionis concedenda 113
est etiam maior,sed minor neganda, quod frigiditas conueniat aëri, remotis contrariis. Et quod dicitur ideo infrigidari aërem, quia postquam calefactus fuit à Sole, eodem Sole absente reducit se ad naturalem frigiditatem, sicut aqua semoto igne, negandum est; sed absente Sole infrigidatur ab aqua tunc valde frigida,atque etiam ex vicinitate terræ ex se frigidæ, & plus ab aqua infrigidatæ.Quare ex hoc non probatur aliquam frigiditatem naturalem habere: sed quamcumque habet, & quocumque tempore eam ab extrinseco infrigidante recipit.

QVÆSTIO VIII.

Quænam ſit cauſa maximæ frigiditatis, quam habet aër in media regione.

SEcundum argumentum eiuſdem opinionis quæſtionem excitat de cauſa maximæ frigiditatis, quam habet aër in media regione. Præſupponit autem quæſtio tamquam certum, aërem in media regione frigidiſſimum eſſe; nam experientia conſtat maximam ibi fieri condenſationem nubium ex aëre, & vaporibus; & eaſdem nubes non ſolum conuerti in aquam, ſed eamdem aquam ex eis genitam ſtatim conuerti in niuem, & grandinem, per quamdam congelationem, quæ omnia procedunt ex nimia frigiditate. Probatur euidenter, quia aqua non poteſt produci ex vaporibus, & aëre, niſi præcedente in materia eorum frigiditate maxima, quam pro diſpoſitione petit forma eiuſdem aquæ ad ſui introductionem. Deinde aqua non congelatur, niſi creſcente frigore: (vt in hac noſtra regione videmus) ergo neque in media illa congelatur, vt ex ea fiat nix, & grando, niſi eodem adhuc frigore creſcente; & ex vtroque fit euidens, aërem in ea regione nimis eſſe frigidum. Quærit vero eadem quæſtio, quænam ſit cauſa illius frigiditatis.

114 Et prima opinio præcipuam cauſam eius eſſe docet naturam eiuſdem aëris, quem putat ſummè frigidum à natura eſſe, & non calidum. Quam primo ſequuti ſunt Stoici, vt teſtatur Galenus lib. de Simplicium medicamentorum facultatibus c. 20. à quibus eam deſumpſerunt Seneca 2. lib. qq. naturalium cap. 10. Tullius 2. lib. de natura Deorum, Philo Iudæus in lib. de plantatione Noë, & Galenus lib. 8. de vſu partium cap. 3. vbi reprehendit Ariſtotelem, quod poſuerit aërem ex propria natura calidum. Hæc opinio duo habet pro ſe argumenta ſatis efficacia. Primum eſt illud, cuius occaſione excitatum eſt dubium, quia quodlibet elementum habet puritatem naturalem in medio, vel circa centrum, vbi minus poteſt à contrariis agentibus alterari: ſed aër in media regione frigidiſſimum eſt: ergo ſummam habet frigiditatem ex propria natura, & non impreſſam ab aliquo agente contrario. Secundum, quia nullum violentum poteſt eſſe perpetuum, vt teſtatur Ariſt. 1. lib. de cœlo, & mundo text. 15. & lib. 2. text. 18. ſed nimia illa frigiditas, quam habet aër in media regione, eſt perpetua, nullo anni tempore deficiens, vt probãt continui effectus eius, pluuiæ, niuis, & grandinis: ergo non poteſt eſſe violenta. Vnde ſequitur eam non habere

habere aërem ab aliquo agente contrario,atque extrinſeco impreſſam, ſed ex propria natura.

Hæc tamen ſententia non ſolum eſt contra Ariſtotelem aſ- 115
ſerentem,aërem non eſſe à natura frigidum,ſed calidum & humidum, ſed etiam contra rationem , vt probauimus;ideo cauſa aliqua extrinſeca frigiditatis eius in media regione quærenda eſt. Quam aſſignat ſecunda opinio aſſerens frigiditatem illam ex eo procedere , quod Sol minorem effectum illuminationis, & calefactionis habet circa mediam regionem aëris,quàm circa ſupremam,& infimam;quam circa ſupremam quidem,quia fortius eam illuminat,& cõſequenter intenſius calefacit tamquam proximiorem;iuuat etiam non parum , quod iuxta elementum ignis poſita eſt,à quo etiam neceſſe eſt calefieri.Hæc vero infima regio aëris propter reflexionem radiorum ſolarium in terra,& aqua factam intenſius illuminatur , & calefit, media vero ab his cauſis extrinſecis libera eſt,& propterea nõ eſt calida,ſed frigida.His autem cauſis addunt Pariſienſes virtutem cœleſtem particularem,à qua eadem media regio aëris infrigidatur.

Sed hæc etiam ſententia ex ea parte , qua pro cauſa aſſignat minorem illuminationem, & calefactionem mediæ regionis à Sole, inſufficiens eſt:ex alia vero,qua addit virtutem cœleſtem infrigidantem eamdem regionem mediam , parum probabilis. Oſtendo primum , quia ex eo , quod minus illuminetur media aëris regio, quàm ſuprema, & infima, & conſequenter minus calefiat à Sole, ſolum probatur, quod minus calida ſit,magiſque temperata , quàm ſuprema , & infima:non tamen, quod ſit frigida, & multo minus, quod tam intenſam habeat frigiditatem, quantam habere ſemper probant effectus pluuiarum,niuium , & grandinis:non ergo reddit cauſam huius intenſæ frigiditatis,quam quærimus , & ideo inſufficiens eſt. Quod vero 116
influentia alicuius aſtri infrigidantis eamdem regionem ſit cauſa , parum probabile eſſe ſic oſtendo , quia non eſt veriſimile dari aſtrum potentius ad infrigidandum , quàm ſit Sol ad calefaciendum corpora ſibi approximata , præſertim in æſtate, quo tempore maxime eleuatur : ſed in æſtate experimur mediam illam regionem magis tunc à Sole calefactam , frigidiorem eſſe , quàm alio quouis tempore anni:ergo veriſimile non eſt , quod ab aliquo aſtro tantum infrigidetur. Secundo, quia tale aſtrum frigiditatem influens circa mediam regionem aëris,fortius eam influet circa ſupremã, immo circa ignem , cum proximiora ſint ei,& frigiditatis capacia.Probatur cõſequentia, quia repugnat naturaliter agens agere in diſtans , quia eadem actione operetur in medium capax , quod vero in ignem , &

in ſupremam regionem aëris talem producat frigiditatem, repugnat: ergo nec pro imprimenda in media regione poni debet. Probatur tandem, quia non eſt credendum peculiare aſtrum condidiſſe Deum pro ſola infrigidatione huius regionis; cum ſufficiant ad id præſtandum alia inferiora corpora, vt ſtatim oſtendemus. Magis enim relucet diuina ſapientia in eo, quod tam mirabilem effectum edere poſſit per ſolam ordinationem naturalem elementorum, quam ſi ſpeciali creatione alicuius aſtri indiguerit ad illum præſtandum.

117 Tertia opinio quorumdam recentiorum tenet, Deum ab initio mundi produxiſſe in media regione aëris frigiditatem valde intenſam, quam perpetuo conſeruat, vt poſſint ibidem generari pluuiæ, niues, & grando, producíque cæteri effectus metheorologici propter commune bonum totius vniuerſi; nam his alitur terra, vt fructus ferre poſſit, his etiam aluntur animalia, immo & homines. Huius opinionis mentionem faciũt Conimb. tract. 1. Metheo. cap. 2. Probant recentiores ex illis verbis Geneſis c. 1. quibus dicitur ſecunda die feciſſe Deum firmamentum diuidens aquas ab aquis; vbi nomine firmamenti intelligunt plures expoſitores infimam aëris regionem, quam videntur ſupponere non feciſſe Deum ſecundum ſubſtantiã elementi aëris ſecunda die, ſed hoc elementum cum terra, & cæteris produxiſſe prima die, ſecunda vero produxiſſe intenſam frigiditatem cum denſitate aliqua in eadem regione aëris media: hanc vero infimam temperatam reliquiſſe cum minori frigiditate, & denſitate, & ita generationi, & conſeruationi animalium, atque plantarum accommodatam, ineptam vero generationi aquarum, & imbrium: & propterea media regio, in qua generantur hæc, vocata eſt firmamentum diuidens aquas ab aquis, hoc eſt quaſi terminus diuidens aquas nubium ab aquis terreſtribus.

118 Non eſt omnino improbabilis hæc opinio, ſed non videtur mihi tenenda, propter hoc argumentum, plures dantur effectus in natura rerum his valde ſimiles, quorum particulares cauſæ, & ſufficientes difficile inueniuntur: ſed probabili coniectura tamdem aſſignantur, & hoc ſufficit, vt non ſit ad Deum recurrendum, à quo ſolo producantur: ergo neque pro cauſa efficiente talis frigiditatis ad Deum recurrendum eſt tamquam ad propriam cauſam; ſed ſatis eſſe debet, ſi probabili ſaltem coniectura inueniatur in corporibus, vt inueniri oſtendemus. Minorem probo, quia ſatis mirabiles effectus ſunt, quos experimur in aquis putealibus, qui in æſtate vigente maxime calore Solis frigidiores ſunt: in hieme vero, etiam ſi ſit remiſſiſſimus, calidiores: cum tamen aqua ſua natura ſit ſummè frigida.

Quare

Quare non videntur fieri posse ab aliqua causa naturali inferiori;immo neque à Sole,& cæteris vniuersalibus;sed ad Deum esse recurrendum,qui eas calefaciat, & infrigidet suis temporibus, prout sibi placitum fuerit, & pro bono communi totius vniuersi necessarium. Et tamen nemo ferè ad Deum recurrit, sed sufficienter fieri posse per antiparistasim coniectantur; eodem igitur modo loquendum est de frigiditate,quam habet aër in media regione.

Ideo vltima opinio, quam sequuntur ferè omnes recentiores,præsertim Toletus in hoc 2.lib. q.5. ad 9. & Conimb. tractatu 1.Metheor.cap.2.probabilior est, & tenenda,quod media regio aëris valde frigida sit,nõ ex propria natura, nec ex peculiari influentia cœlesti;sed nec à frigiditate producta ibidem à solo Deo in prima mundi conditione; sed per continuam, atque perpetuam antiparistasim factam ex nimio calore superioris,& inferioris regionis eiusdem aëris. Ita inuenio expressum apud Aristot.1. lib.Metheo. sum. 3. c.3. vbi agens de generatione pluuiæ, niuis, & grandinis in media illa regione, ait: *Quoniam videmus, quod fit circumobsistentia calido, & frigido inuicem (qua propter) in temporibus frigida sunt inferiora terræ, & tepida in gelu oportet putare, & hoc in eo, qui sursum fieri loco; quare in tepidioribus anni temporibus circumobsistentiam passum in his frigidum, propter eam, quæ in circuitu est, caliditatem, aliquando quidem cito aquam ex nube facit, aliquando vero grandinem, &c.* Ita etiam sentit Diuus Thomas in commentariis 119
eiusdem loci lectione. 4. Sed vt ostendamus sufficientem causam esse antiparistasim, quædam supponenda sunt tamquam certa, vel ex doctrina Aristotelis deducta. Primum est, supremam aëris regionem, hoc est partem illam elemento ignis contiguam, valde calidam esse, non solum propter calorem aëri naturalem, sed etiam propter ignem eam circumstantem, & propter intensam illuminationem, & calefactionem à Sole. Infimam quoque regionem (licet non tam intense calidam) tempore æstiuo non parum habere caloris, ex reuerberatione radiorum Solis in terra, & aqua facta resultantis, atque etiam ex multitudine vaporum, & exhalationum, quas idemmet Sol extrahit ab vtroque elemento simul eas calefaciens. Secundo, supponendum est, mediam regionem eiusdem aëris liberam esse ab his causis ab extrinseco calefacientibus supremam, & infimam: nam neque ab igne calefit,neque à Sole per reflexionem radiorum, qui non possunt vsque ad illam ascendere, solum ergo calefit ab eo per actionẽ directam:& ideo remissa tantũ calefactione;itaq; media illa regio præter calorem,

quem

quem habet à propria natura,parum recipit ab extrinſecis eam
120 circumdantibus,ideo quaſi tẽperata eſſet ex hac parte. Tertio, ſupponendum eſt,ſolem ſua virtute ſemper extrahere à terra exhalationes,& ab aqua vapores, & æſtiuo tempore magnam copiam,quia intenſius illuminat,& calefacit terram, aquam,& infimam regionem aëris,ideo fortior eſt virtus eius ad effectũ eos extrahendi,quos conſtat ſua natura leues eſſe, & aëri valde ſimiles,præſertim in raritate , & leuitate, & propterea ſurſum aſcendunt vſque ad mediam regionem aëris. Quarto ſupponitur,vapores ſua natura eſſe frigidos,calidos vero ab extrinſeco nempe ab eodem Sole,qui cum eos media luce , & calore producto in aqua,& terra extrahat, neceſſe eſt eos calidos extrahere. Quod vero ſua natura ſint frigidi,docet Ariſtoteles , & probat ratio.Ariſtoteles quidem expreſſe ſatis loco citato , vbi generationem pluuiæ ex vaporibus explicans ſic ait : *Manente autem terra , quod circa ipſam eſt humidum à radiis , & ab alia, quæ deſuper eſt caliditate euaporans fertur ſurſum.Cum autem caliditas,quæ duxit ipſum ſurſum,derelinquit, & illa quidem diſperditur ad ſuperiorem locum : hæc autem & extinguitur ,propterea quod ſuſpenditur longius in aërem , qui eſt ſuper terram , cogitur iterum vapor infrigidatus, & propter derelictionem caloris, & propter locum,& fit aqua ex aëre,&c.*Et longe ab his, ſed in eodem capite loquens de generatione niuis ex nube congelata in media regione aëris, & de generatione pruinæ ex congelato vapore in hac infima regione,hæc verba ſcribit : *Similiter autem, & pruina,& nix,cum enim congelata eſt nubes,nix eſt,cum autem vapor,pruina:qua propter aut temporis anni,aut regionis ſignum eſt frigida:non enim vtique congelaretur adhuc multa inexiſtente caliditate, ſi non ſuperuinceret frigus:in nube enim adhuc ineſt multum calidum,reſiduũ ignis:qui euaporare fecit ex terra humidum,*
121 *&c.*Quibus docet expreſſe nubem,quæ non eſt aliud,quàm vapor condenſatus in media regione , calorem adhuc habere,derelictum quidem à Sole,qui eum illi impreſſit,dum extraxit ab aqua,& terra,quod eſt eum habere ab extrinſeco agente, & ſuæ natura oppoſitam frigiditatem. Quod docet etiam D. Thom. eodem loco his verbis:*Sic igitur deficiente calore calefaciente , & eleuante vaporem aqueum, vapor aqueus redit ad naturam ſuam, coadunante etiam frigiditate loci,& ſic infrigidatur, & infrigidatus inſpiſſatur,& inſpiſſatus cadit ad terram , &c.* Sed probatur etiam ratione,quia aut vapores ſunt eiuſdem naturæ cum elemento,à quo extrahuntur, vel diuerſæ;Si eiuſdem , euidens eſt eſſe valde frigidos ſua natura ſicut elementum aquæ. Si vero ſint mixta,valde tamen ſimilia in natura eidem elemento,cum

ex eius

ex eius substantia proxime,ac cito oriantur: ergo participant qualitates eius,& præsertim frigiditatem,quæ in eis prædominabitur,& calorem non possunt habere ex propria natura,quia aqua illum non habet naturaliter.Vnde fit solum ab extrinseco agente,à quo extrahuntur,impressum calorem habere posse, quem sursum ascendentes cum virtute propriæ naturæ à se expellunt (vt asseruit Arist.) & reducunt se ad naturalem frigiditatem.

Ex his prę̃suppositis hoc argumentum colligitur ad proban- 122
dum,quod per antiparistasim sufficiens reddatur causa intensæ frigiditatis,quam habet aër in media regione , etiamsi ex propria natura non sit frigidus.Nam toto tempore anni ascendunt vapores extracti ab aqua, & terra,& sua natura frigidi , maioremque densitatem habentes , quàm aër, ascendentes vero quo plus separantur ab hac infima regione calida , plus etiam deficit calor extrinsecus,quem à Sole, & à loco impressum habebant;& ad naturalem frigiditatem se reducunt ; ac tandem ad locum mediæ regionis perueniunt:nec vlterius permittuntur ascendere propter maximum calorem supremæ regionis circumobsistentem ; sed nec etiam descendere obsistente calore huius infimæ regionis : ergo necesse est maximam eorum copiam ibi condensari , & per condensationem eorum valde infrigidari aërem eiusdem regionis;& ex condensatione,& infrigidatione,tam ipsum,quàm vapores passim conuerti in nubes, & pluuiam. Vnde non est necessarium ad specialem influxum cœlestem , nec ad Deum per se infrigidantem eamdem regionem recurrere , sed ex solo ordine naturali à Deo ipso constituto in his corporibus sufficiens redditur causa maximæ frigiditatis illius regionis. Quod satis efficaciter confirmatur ex magna infrigidatione aquæ putealis, & subterraneorum locorum æstiuo tempore à similibus causis sufficiéter facta (eisdem aduersarijs concedentibus) & absque dubio minorem efficacitatem habentibus;& propterea non tam intensam frigiditatem causantibus , quanta producitur in media regione aëris propter efficaciores causas ; sed eodem modo operantes , vt expositum est.

Ad primum argumentum primæ opinionis neganda est 123
maior,quod illa qualitas sit elemento naturalis, quam habet circa medium ; nam licet verum hoc sit in elemento solido, quale est terra,quia non habet fluxum, & refluxum secundum partes,sed ferè immobilis perseuerat secundum omnes,& propter maximam densitatem non facilem præbet ingressum alijs corporibus , & ideo non facile recipit impressiones eorum

secum

Digitized by Google

ſecundum partes propinquiores centro. Licet etiam ſit verum in elemẽto magis actiuo,quale eſt ignis,qui propter maximam actiuitatem non permittit permixtionem aliorum corporum, & ideo non facile recipit qualitates eorum. In fluidis vero, & præſertim in aëre non poteſt eſſe verum,& ratio eſt manifeſta; quia cum aër non ſolum fluat,ſed adeo ſubtilis ſit, facile cedit alijs corporibus, & tranſitum eis per ſeipſum præbet: facile etiam eis permittit,vt ſecum permiſceantur,ſi ſubtilia ſint; facile etiam impreſſiones,vel qualitates extraneas ab eis recipit; & ideo non habet maiorem puritatem iuxta medium, quàm in extremis partibus. Vnde ſequitur non poſſe deduci argumentum ex qualitate vigente circa medium eius ad probandum,quod ei ſit naturalis,quia non minus poteſt eam recipere ab agente extrinſeco ſecum permixto circa medium, quam in alijs partibus extremis.

124 Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior,quod nullum violentum ſit perpetuum, & explicanda vniuerſalis hæc propoſitio Ariſtotelis,quam fatemur in doctrina eius contineri. Violentum enim duplex eſt;vnum, quod ita eſt contra inclinationem rei particularis, vt nullo modo cedat in bonum particulare eius,ac totius vniuerſi.Vt lapidem proiectum moueri ſurſum, aut aquam quomodocumque calefieri ab igne; ita enim motus iſti ſunt contra inclinationem naturalem horum corporum,vt nec cedant in bonum particulare eorum,nec in commune totius vniuerſi;& dicuntur violenti ſimpliciter.Aliud eſt violentum ex parte,vel ſecundum quid,quod licet ſit contra inclinationem praticularem corporis,cedit tamen in bonum eius particulare conſeruationis propriæ, atque etiam in bonum commune totius vniuerſi:& ex hac parte potius naturale eſt, quàm violentum,& propterea ſolum ſecundum quid,vel ex parte violentum,& potius dici debet naturale, quia ex ordinatione naturali partium vniuerſi neceſſariò ſequitur: & ita ſe habet frigiditas mediæ regionis aëris. Nam ex naturali ordinatione
125 eiuſdem elementi cum cæteris neceſſariò ſequitur continua, atque perpetua antipariſtaſis iam explicata, per quam illa pars aëris infrigidatur,& totus ipſe aër non poteſt alio modo naturali conſeruari in ſuo loco naturali, nempe infra elementum ignis,& ſupra elementum aquæ, niſi cum diſpendio illo infrigidationis ſecundum illam partem. Quæ infrigidatio ordinatur ad bonum commune totius vniuerſi, nempe ad generationem,& conſeruationem plantarum, animalium, & hominum: vnde ſi rectè expẽdatur eadem infrigidatio,ſolũ ex ea habetur, quod elementũ aëris patiatur diſpẽdiũ aliquod ſolũ in vna, vel alia

alia parte propter bonum propriũ totius elemẽti, & commune vniuerſi, quod ſolum eſt violentũ ſecundum quid etiam conſideratum reſpectu eiuſdem aëris:naturale vero ſimpliciter,quia ſolum eſt contra inclinationem vnius partis, ſed conformis particulari inclinationi totius elementi aëris naturaliter inclinati in propriam conſeruationem. Et hoc modo dari violentũ ſecundum quid,quod ſit perpetuum in eiſdem elementis, euidens eſt.Nam ſuprema regio aëris ſemper calidior eſt,quã petit ſua natura,& ſemper partes aliquæ eius igni proximiores corrumpuntur ab igne, & in eum conuertuntur, quod patet eſſe violentum,& perpetuum eodem modo, ac infrigidatio mediæ regionis aëreæ. Terra quoque ſecundum plures ſui partes infrigidatur ſemper ab aqua ſuper eam dilapſa: immò maxima ex parte aqua, & terra ſunt ſemper extra proprium locum naturalem,quia cum aqua deberet circumſcribere elemẽtum terræ, & terra deberet circũſcribi ab aqua: nec circũſcribitur hæc ab illa:nec illa maiori ex parte eãdẽ terrã ambit.Axioma igitur Ariſtotelicum de priori violento ſolum intelligitur, quod naturaliter repugnat eſſe perpetuum:non de poſteriori neceſſario incluſo in naturali ordinatione vniuerſi, nec ſolum ad bonum commune eius ordinato,ſed etiã ad particulare eorumdẽ corporum,quod ipſum patiuntur ſolũ ſecundũ aliquas partes propter conſeruationẽ totius. Et ideo ex naturali ordinatione,& conſtitutione vniuerſi neceſſe eſt eſſe perpetuum, vt conſtat in alijs caſibus diuerſis ab infrigidatione mediæ regionis, & neceſſariò concedendis ab omnibus opinantibus.

Ad primum argumentum tertiæ opinionis reſpõdeo primo, 126
nomine firmamenti diuidentis aquas ab aquis non eſſe neceſſariò intelligendam mediam aëris regionem,ſed plura alia poſſe intelligi ſecundum diuerſas expoſitiones illius loci, quas refert D.Tho. 1.p.q.62.artic. 1. vt cœleſte corpus, in quo ſunt ſydera: vnde non poteſt efficaciter ex verbis Scripturæ ſacræ aliquid colligi pertinens ad illam partem aëris. Secundo reſpondeo,quod licet probabile ſit, per firmamentum factum ſecunda die intelligi mediam regionem aëris,ex hoc tamen non conſtat productam eſſe tunc in ea frigiditatem à Deo per ſe immediatè,quia licet denſitas eius eam conſtituat, quaſi ſolidam ac firmam, & ideo propter denſitatem in ea productam intelligi poſſet nomine firmamenti: non tamen propter frigiditatem tunc in ea productam:ſed producta denſitate relinqui potuit infrigidãda per virtutẽ cauſarũ naturaliũ, & antipariſticã actionẽ earũ iã explicatã. Quare nec etiã ex verbis Scripturæ intellectis de media aëris regione efficaciter colligi poteſt,

quod

quod frigiditas eius producta sit à Deo per se immediatè, vt contendit eadem sententia.

QVÆSTIO IX.

In quonam gradu habeat quodlibet elementum duas qualitates primas, quæ naturaliter ei conueniunt?

127 VT melius intelligatur difficultas quæstionis, tamquam certum est præsupponendnm sermonem esse de elementis in sua puritate,ac naturali dispositione existentibus;nam vt superius adnotauimus, omnia ferè elementa secundum plures partes permixtas habent qualitates sibi extraneas, & aliorum elementorum proprias; quam per mixtionem absque dubio habent ex vicinitate aliorum, quorum sunt contigua,vt aër ex vicinitate ignis habet superiorem regionem calidiorem,quam natura eius postulat, & ex vicinitate aquæ, & terræ mediam quidem frigidiorem semper (vt probauimus) infimam vero frigidiorem aliquando, & calidiorem sæpe ex reflexione radiorum Solis circa eadem elementa aquæ, & terræ facta: ideo non intelligitur quæstio de elementis, ita impuris, atque permistis,sed in sua puritate,& naturali dispositione existentibus,
128 quam secundum alias partes habere censendum est. Secundo, præsupponendum est ex præcedenti quæstione, quod cuilibet elemento sua natura conueniunt duæ qualitates primæ non contrariæ. Quibus præsuppositis difficultas quæstionis in eo posita est, an vtraque ei conueniat in summo gradu, vel vna tantum in summo, altera vero in minori gradu intensionis, quem vocare solent prope summum. Vt igni summus calor,& summa etiam siccitas:aëri vero humiditas summa cum summo etiam calore:aquæ vero summa frigiditas, summaque humiditas;& terræ summa siccitas cum summa frigiditate. Vel certe igni conueniat calor summus, aëri humiditas summa, aquæ summa frigiditas;& summa siccitas terræ: cæteræ vero qualitates in minori gradu singulis, vt vltra medietatem latitudinis;videlicet secundum quinque gradus intensionis, aut quid simile.

129 Et prima opinio asserit vtramque qualitatem conuenire singulis elementis in summo gradu. Ita Nimphus in hoc 2. lib. commen.28.q.4.& Aquilinus lib.3.de elementis. Sed quia hæc sententia vniuersaliter sumpta euidenter est falsa, nam in aëre saltem

Digitized by Google

saltem est contra euidentem experientiam dicere, quod sit ita calidus, ac ignis, quia experimur ignem eo rariorem intensius nos calefacere. Propterea alij videntur temperasse eamdem sententiam, vt probabilis saltem existimari posset, asserentes ignem habere vtramque qualitatem in summo gradu; aërem vero nullam in summo, sed vtramque in minori; quia nec ita calidus est, ac ignis, nec ita humidus, ac aqua; sed summè humidam esse hanc, non tamen summè frigidam, sed minus, quàm terram; hanc vero summè frigidam esse, non tamen summè siccam, sed minus, quàm ignem summam habentem siccitatem. Ita D. Thomas expresse lect. 3. huius secundi libri; & quantum ad humiditatem intensiorem in aqua, quàm in aëre eam sequitur Bañez quæst.2.& tribuitur Galeno lib.de Simplic.medicam. facult. cap. octauo. Probatur vnico argumento vniuersali de omnibus elementis, quia si in quolibet esset vna tantum qualitas in summo gradu intensionis, altera vero in minori; sequitur quodlibet elementum ad minus habere tres qualitates, duas quidem inter se contrarias, alteram vero non contrariam, vt ignis calorem, & humiditatem cum siccitate, sicque de cæteris secundum proportionem; quod patet esse falsum, quia iam essent mixta corpora,& non simplicia, haberent enim qualitates contrarias non in summo, sed ad certum gradum attemperatas, quod mistorum est proprium. Probatur prima consequentia, quia latitudo cuiuslibet contrarietatis debet esse completa ex vtroque, vel altero contrario, vt superius ostendimus, sed quodlibet elementum habet latitudinem vnius contrarietatis completam ex vno contrario: ergo si habet aliam non completam ex vno, debet habere eam completam ex alio. Ita vt tot gradus humiditatis habeat ignis, quot siccitatis ei deficiunt; & ita habebit humiditatem,& siccitatem, quæ sunt contrariæ qualitates ad certum gradum attemperatæ, sicut habent mixta. 130

Secunda opinio asserit nullum elementum habere duas qualitates in summo gradu intensionis, sed quodlibet vnam tantum, aliam vero in minori gradu, videlicet vltra medietatem latitudinis hoc ordine distributas, vt ignis sit calidus in summo gradu, siccus vero in minori: aër in summo gradu humidus in minori calidus: aqua frigida in summo gradu, & in minori humida: & terra in summo gradu sicca, & in minori frigida. Ita Alexander lib. Metheor.comm. 13. Albertus Saxoniæ in hoc 2.lib.q.1.Marsil.quæst.6. Iacobus de Forliu.tractatu de intensione formarum par.2. Tolet.q.6. huius libri. Conim. c.3.q.5.art.1.ita etiã S.Patres Ambros.lib.4.Examerõ.c.4. Basil. homel.4.in Genesim, Damas.in suis cõmentariis Physicis c.12. 131

& eſt communis inter recentiores, & tanquam probabilior à nobis ſequenda. Probatur teſtimonio Ariſt. id aſſerentis in hoc 2.lib.text.23.his verbis: *Sed tamen ſimpliciter quatuor exiſtentia, vnus unumquę eſt. Terra enim ſicci magis, quàm frigidi, aqua autem frigidi magis, quàm humidi: aër autem humidi magis, quàm*
132 *calidi, ignis autem calidi magis, quàm ſicci.* Et ſi dicatur non neceſſariò hæc intelligi de maiori intenſione vnius qualitatis, quàm alterius, ſed id ſolum ſignificare quod vna qualitas *prius* conueniat elemento, quàm alteta, & magis ſit ei propria. Contra hoc ſic arguo. Si vtraque qualitas in ſumma intenſione conuenit igni; non propriè, immo nec verè dicetur magis calidus, quàm ſiccus. Probatur conſequentia, quia magis, & minus in qualitatibus non ptopriè dicitur, niſi ratione intenſionis, & remiſſionis gradualis. Secundo, quia ſi vtraque qualitas eſt in elemento perfectiſſima, non eſt maior ratio ob quam vna ſit ei magis propria, quàm altera: ergo non poſſunt in hoc ſenſu intelligi verba Ariſt. Probatur antecedens: quia neutra qualitas poteſt dici propria, cum alteri ſit communis, & in eadem perfectione, neque poteſt dici magis propria, vel prius ei conuenire, quia conuenit ratione alterius, quia humiditas non poteſt conuenire aëri ratione caloris, neque è conuerſo, alioqui omne calidum eſſet humidum, & omne humidum eſſet calidum, quod patet eſſe falſum. Et eodem modo probatur, quod non poſſit magis eſſe ei propria, quia perfectior eſt altera: nam ſi hoc ita ſit, falſum erit, quòd terra ſit magis ſicca, quàm frigida, vel aër magis humidus, quàm calidus. Probatur euidenter conſequentia, quia frigiditas perfectior eſt ſiccitate, & calor perfectior humiditate; vt per ſe eſt manifeſtum.

133 Tria itaque aſſerimus, hanc ſententiam explicantes. Primum, quod ſingula elementa habeant vnam qualitatem in ſummo gradu. Secundum, quod nullum elementum habeat duas qualitates in ſummo gradu. Tertium, quod ſingula habeant ſingulas qualitates in ſummo gradu, atque etiam ſingulas in gradu minori, quem vocant prope ſummum ſecundum diſtributionem ſuperius aſſignatam. Probatur autem primum, quia quælibet alia qualitas à primis habet in aliquo ſubiecto ſummam perfectionem, aut intenſionem, quæ ſibi poteſt naturaliter conuenire, vt inductione conſtare poteſt: ergo qualitates primæ in aliquo ſubiecto habere debent ſummam perfectionem, vel intenſionem eis naturaliter poſſibilem; ſed eam non habent in mixtis corporibus: ergo in elementis. Probatur minor, quia mixta ex propria natura poſtulant quatuor primas qualitates in certo gradu attemperatas, quem vocamus remiſſum: ergo non

habent

habent in eis ſummam intenſionem.Quare neceſſe eſt eam habere in elementis, & ita ſingula habebunt, vt minimũ aliquam earũ in ſummo gradu. Probatur autem ſecundum,quod nullum habeat duas qualitates in ſummo,quia impoſſibile eſt duas formas ſubſtantiales ſpecie diuerſas poſtulare pro diſpoſitione in materia eamdem qualitatem in eodem gradu intenſionis; ſed formæ ſubſtantiales elementorum diſtinguuntur ſpecie :ergo non poſtulant eamdem qualitatem in eodem gradu pro diſpoſitione,poſtularent verò, ſi quodlibet haberet vtramq; in ſummo, vt conſideranti eſt manifeſtum. Probatur ſecundo, quia in 136
vnoquoq; genere debet deſignari vnum primum, & maximum, in quo reperiatur perfectiſſima ratio illius generis,& ideo quod ſit quaſi caput cæterorum,vt in genere lucidorum Sol:ergo neceſſe eſt in genere calidorum dari maxime calidum perfectiſſimè participans rationem caloris. Vnde ſequitur ſummum calorem in vno tantum corpore dari poſſe naturaliter, & non in multis. Nam ſi in multis daretur, iam multa eſſent capita talis generis, & pari ratione in genere frigidorum, humidorum, & ſiccorum.Tandem probatur in particulari,videlicet in aëre euidenti experientia,quod non ſit calidus in ſummo gradu,nam ſi ita eſſet,magis,ac vehementius calefaceret aër corpora ſibi approximata,quàm ignis;ſed experimur oppoſitum,nempe ignem intenſius,ac vehementius calefacere:ergo aër non eſt calidus in ſummo gradu. Probatur maior, quia ſi eſſet calidus in ſummo gradu,haberet calorem in æquali gradu intenſionis,& præterea haberet maiorem denſitatem,ratione cuius plus agunt corpora cum eadem intenſione formæ,vt ſuperius probauimus:ergo intenſius ageret,quàm ignis. Et ſi dicatur calorem ignis intenſius calefacere, quàm calorem aëris, propter coniunctionem cum ſiccitate,quæ valde iuuat actionem caloris,vt conſtat experientia, nam in materia ſicca citius, ac vehementius agit ignis per calorem,quàm in materia humida,quia quaſi acuitur calor ſiccitate, per humiditatem verò hebetatur potius, & minus agit: ergo quamuis aër habeat ſummum calorem, minus aget,quam ignis propter coniunctionem eius cum humiditate. Reſpon- 137
deo quod ſi argumentum hoc aliquid valet, abſque dubio probat ſummum calorem eſſe non poſſe in aëre cum ſumma humiditate, quia ſi ex conſortio humiditatis hebetatur calor, repugnat, quod eadem forma elementi vtramque qualitatem poſtulet in ſummo gradu, & ex conſequenti, quod vtramque ſimul habeat; nam ſi vna nocet alteri, & retardat actionem eius, non poteſt naturaliter ſimul cum ea in ſumma perfectione poſtulari ab eadem forma ſubſtantiali; cum conſtet in

corporibus, quia indigent terminari: ſolam autem eſſe ſimplicium facile terminabilem, &c. Sed eſſe facile terminabile eſt definitio humidi: ergo ſentit Ariſtoteles ſolam aquam eſſe humidam in ſummo. Et 4. Metheo. cap. 4. aquam aſſerit eſſe maximè 140
proprie humidam, terram vero ſiccam. Secundo, propter experientiam, quia aqua magis humectat, quàm aër; & ex alia parte aër non ſolum humectat, ſed exſiccat: ergo illa eſt magis humida, & iſte non poteſt habere ſummam humiditatem, cum habeat ſiccitatem ei contrariam, ſine qua non poteſt exſiccare. Aqua etiam tempore pluuiæ humectat aërem: ergo eſt magis humida. Hæc tamen facile ſoluuntur. Nam Ariſtoteles aquam vocat maximè humidam ab effectu, quem intenſiorem efficit in alia corpora, quam aër, non propter intenſiorem humiditatem, ſed propter maiorem denſitatem. In quo etiam ſenſu dicitur ab Ariſtotele ſolam aquam eſſe facile terminabilem, quia mixta terminabilia efficit propter denſitatem humiditati coniunctam; quod non præſtat aër, quia denſitate caret, licet habeat intenſiorem humiditatem, & eumdem effectum præſtat aqua in permixtione medicamentorum, & fortè ideo vocatur à Galeno humidior aëre. Et ita reſpondetur experientiæ de maiori humectatione aquæ ob maiorem denſitatem. Aër vero exſiccat aliquando, non quia naturalem ſiccitatem habeat, ſed propter calorem, cuius virtute euaporare facit corpora: euaporationem vero ſiccitas conſequitur. Aliquando etiam propter aliquam ſiccitatem receptam ab igne exſiccabit. Aqua vero non intendit naturalem humiditatem aëris, niſi aliquos fortè gradus eius amiſſerit per actionem extrinſeci contrarij. Tunc enim poteſt aqua ratione denſitatis humiditatem eius remiſſam à contrario intendere. Quod vero idem aër ca- 141
lorem habeat prope ſummũ, ſuperius à nobis probatum eſt. De aqua nunc probandum eſt, quod ſummam habeat frigiditatem, & humiditatem prope ſummam. Probatur primum, quia experientia conſtat nullum aliud elementum frigidius eſſe aqua; ergo hæc eſt frigidiſſima. Probatur conſequentia, quia in aliquo elemento debet habere frigiditas ſummam intenſionem. Secundo probatur, quia terra conſtituta eſt commune domicilium animalium perfectorum, atque etiam hominum, vt in ea viuant, & conſeruentur: ſed ſi ſummam haberet frigiditatem, non poſſet eſſe conueniens eorum habitaculum: ergo non poteſt ei tribui ſumma frigiditas, & ex conſequenti ſoli aquæ tribuenda eſt. Probatur minor, quia animalia hæc, nec viuere, nec conſeruari poſſunt in aqua; præcipuè propter nimiam frigiditatem eius: ergo nec poſſent conſeruari in terra, ſi ſummam

haberet frigiditatem. Quod verò prope ſummam humiditatem habeat aqua, euidens experientia docet, cum experiamur humectare alia corpora. 142 Sed contra hoc videtur eſſe quod illud corpus debet eſſe maximè frigidum, quod maximè diſtat à ſummo calido; ſed terra maximè diſtat ab igne, qui maximè calidus eſt: ergo ſummam habebit frigiditatem. Et præterea corpus maximè calidum, vt ignis ſummam habet leuitatem: ergo illud, *quod* habet ſummam grauitatem, debet habere ſummum *frigus, ſed* conſtat terram eſſe grauiſſimam: ergo & frigidiſſima cenſenda eſt; & ideo ſumma frigiditas non erit aquæ tribuenda. Reſpondeo, maxima diſtantia duobus modis ſumi poteſt, nempe ſecundum qualitatem, aut ſecundum locum. Et ſi modo priori ſumatur, verum eſt, quod maximè diſtans à ſummo calido ſummam frigiditatem habere debet: ſi verò ſumatur poſteriori modo, non eſt neceſſarium, immo nec verum, quia maxima diſtantia localis non prouenit immediatè, & per ſe à calore, ſed à grauitate, & leuitate maxima. Vnde ſolum ſequitur per locum ab intrinſeco ex maxima diſtantia terræ ab igne, quod iſte ſit maximè leuis, illa verò maximè grauis. Et ſicut ſumma grauitas terræ non procedit ex ſola eius frigiditate, ſed ex cæteris qualitatibus ſimul concurrentibus, nempe ſiccitate, denſitate, & aliis; ita ſumma leuitas ignis non procedit ex ſolo calore, ſed ex aliis etiam qualitatibus eius ſimul ſumptis: quare nec ſequitur per locum ab intrinſeco, ſummũ calidum habet ſummam leuitatem: ergo quod habet ſummam grauitatem, habet ſummam frigiditatem.

Probatur tandem, quod terra ſit ſicca in ſummo gradu. Primo ex definitione ſicci tradita ab Ariſtotele in 2. capite huius libri, quæ ita habet: *Siccum eſt, quod facile terminatur termino proprio, difficile verò alieno.* 143 Sed hæc definitio conuenit primo, & per ſe terræ propter ſoliditatem, & duritiem eius: nam licet igni etiam aliquo modo conueniat propter maximam actiuitatem, minus tamen, quàm terræ, aëri verò, & aquæ nullo modo: ergo primo, & per ſe conuenit ei ſiccitas, atque adeo in ſummo gradu. Secundo, quia ſiccitas debet habere ſummam perfectionem in aliquo elemento; ſed conſtat eam non habere in aqua, & aëre, quibus aſſignatæ ſunt ſingulæ qualitates in ſummo gradu à ſiccitate diuerſæ: ergo ſumma ſiccitas ſoli terræ conuenire poteſt, & propterea Geneſ. 1. vocatur arida, vt adnotarunt ſacri interpretes eiuſdem loci, Baſil. homel. 4. Exameron, Ambroſ. lib. 1. Exam. cap. 4. & D. Thom. 1. p. q. 69. art. 1. ad 5. Quod verò terra habeat frigiditatem prope ſummam, experientia conuincitur; nam videmus terram in ſua naturali diſpoſitione exiſtente corpora ſibi approximata infrigidare.

QVÆ

QVÆSTIO IX.

An qualitas elementi minus intensa habeat permixtionem contrariæ?

VNicum argum. primæ opinionis aliam quæstionem satis difficilem excitat, an qualitas illa, quæ non reperitur in singulis elementis, in summo gradu habeat permixtionem contrariæ qualitatis, ita vt quot gradus deficiunt tali elemento de qualitate illa ad complementum latitudinis, tot debeat habere ex contraria qualitate. Gratia exempli: habet ignis quinque, vel sex gradus siccitatis; quærimus, an necesse sit habere duos, vel tres gradus humiditatis, qui deficiunt vsque ad octauum, vel nullam habeat permixtam humiditatem; sicque de cæteris elementis. Et quæstio hæc solum habet locum apud eos, qui non tribuunt singulis elementis vtramque qualitatem in summo gradu. 144

Prima opinio asserit, qualitatem, quam habet elementum infra summum gradum, necessariò esse permixtam cum gradibus qualitatis contrariæ. Ita Marsil. q. 4. & 6. huius libri, Astudillo q. 4. Forliuius tractatu de intensione formarum, parte 2. & omnes ferè Nominales; quam sequuntur Conimb. 2. lib. de Generat. cap. 3. quæst. 5. art. 4. Probant testimoniis Aristotelis & ratione. Aristoteles enim 5. lib. Phys. text. 19. vniuersaliter docet, eo plus, vel minus vnius contrarij esse in aliquo subiecto, quo plus, vel minus habet de alio contrario his verbis: *Magis autem, & minus est ex eo, quia plus, aut minus contrarij in est.* Et eadem ferè verba repetit. 2. lib. de Cœlo text. 37. quibus sentire videtur, non posse vnum contrarium dari in subiecto secundum gradus remissos, quin tot gradus permixtos habeat secum alterius contratij. Probant deinde ratione. Primo ex vniuersali illo principio ab omnibus admisso, quod latitudo gradualis cuiuslibet contrarietatis primarum qualitatum debet esse expleta ex vno, vel vtroque contrario; ita vt, quod ex vno deficit, suppleatur, atque compleatur ex altero: ergo illa qualitas, quæ non habet summum gradum intensionis in singulis elementis, debet habere permixtos omnes illos gradus contrariæ qualitatis, qui ei deficiunt vsque ad octauum, vel non habebit completam latitudinem ex vno, neque ex vtroque contrario. Secundo, quia si non haberet talem permixtionem contrariæ qualitatis, duo sequuntur absurda. Primum, quod secundum illam qualitatẽ posset alterari illud elementũ in instanti vsque 145

ad ſummum gradum eiuſdem qualitatis ab alio agente : & ex conſequenti poſſet tale elementum corrumpi in inſtanti, quod patet eſſe falſum,cũ alteratio ſit per ſe ſucceſſiua.Probatur vtraque conſequentia,quia tota ratio,ob quam alteratio eſt ſucceſſiua, eſt, quia fit cum reſiſtentia contrarij in eodem ſubiecto exiſtentis : deficiente igitur hac reſiſtentia, deficiet ſucceſſio, ſi ergo aër habet quinque,vel ſex gradus caloris ſine vlla permixtione humiditatis, in inſtanti poterit intendi calor eius vſque ad octauum gradum,& aër ipſe corrumpi, atque in ignem con-
146 uerti. Aliud abſurdum eſt quod elementum,cuius qualitas remiſſa intenderetur à cõtrario,numquam poſſet intenſionem illam à ſe expellere,quam contra propriam naturam ſemel recepiſſet,& cum ei eſſet violẽta, ſequeretur aliquid violentum eſſe perpetuum. Probatur prima conſequentia, quia ſi intenderetur calor aëris ab igne vſque ad ſeptimum gradum,non eſſet virtus naturalis in eo,à quo expelli poſsẽt duo illi gradus caloris,quos recepit vltra quinque ſibi naturales : ergo numquam poſſet eos expellere.Antecedens probo,quia non poteſt per ſe expelli qualitas à ſubiecto,niſi à contraria,vel à natura ipſiuſmet ſubiecti,à qua contraria qualitas oritur per naturalem emanationẽ;ſed in aëre nõ datur frigus,à quo poſſit expelli,nec ex natura eius emanat : ergo numquã poſſet aër à ſe expellere illos gradus caloris.

Secunda opinio aſſerit,qualitatem illam, quæ eſt in elemento minus intenſa,quàm alia,nullum gradum habere permixtum contrariæ qualitatis ex propria natura elementi, vt calorem aëris nullum gradũ frigoris. Ita Alexand.1.Metaph.comment. 13. Saxonia q.2. huius lib. Venetus ad textum 23. eiuſdem lib. Fernelius 2. lib. Phyſicor. cap.4. Zimar. theorem.18. Toletus q. 6. huius lib. & eſt communis inter recentiores, nobiſque probabilior videtur, & ex doctrina Ariſt. euidenter colligi
147 poſſe. Probo hoc ſecundum, quia Ariſtoteles cap. 3. huius lib. text.16.diſtribuens quatuor qualitates primas ſecundum diuerſas coniugationes pro cõſtitutione elementorum,duas tantum tribuit ſingulis elementis ; deinde expreſsè negat qualitates contrarias coniungi poſſe ad conſtitutionem elementi, & ideo duas coniugationes, quæ ex contrariis qualitatibus excogitari poſſent,vt ex calore,& frigore, atque ex humiditate,& ſiccitate reiiciendas eſſe tanquam impoſſibiles, & quatuor tantum relinquendas ex duabus qualitatibus nõ contrariis ſingulas; ergo ex doctrina Ariſt. plane colligitur qualitatem minus intenſam in quolibet elemento nullam habere admixtionem contrariæ. Probatur conſequentia,quia ſi eam haberet tribus qualitatibus cõſtituerentur elemẽta ex propria natura.Capite etiã 4.tex.25.

agens

agens de mutua generatione elementorum affirmat,facilius generari vnum elementum ex alio ſymbolo, hoc eſt ex eo,cū quo conuenit in vna qualitate, quam ex diſſymbolo , hoc eſt ex eo, cum quo in nulla qualitate conuenit,vt ignis facilius generatur ex aëre, cum quo conuenit in calore , quàm ex aqua , cum qua nullam habet conuenientiam;& rationem huius reddit,quia vt generetur ex ſymbolo, vnã tantum qualitatẽ oportet corrumpi per ſe;vt autem ex diſſymbolo, neceſſarium eſt duas per ſe corrumpi. Ex quo euidenter ſequitur nullum elementum habere 148
contrarias qualitates ex propria natura, & ideo nec minus intenſam admixtionem contrariæ.Probatur conſequentia,quia ſi eam haberent,tot qualitates deberent per ſe corrumpi in generatione elementi ex ſymbolo, ac ex diſſymbolo,vt conſideranti eſt manifeſtum in generatione ignis ex aëre,& ex aqua,in vtraque enim duas qualitates oporteret corrumpi per ſe , videlicet humiditatem, atque frigiditatem : nam in calore conuenit aër cum igne,& aqua in ſiccitate,quam habet permixtam humiditati. Propterea exiſtimo hanc ſententiam non eſſe probabilem in doctrina Ariſtotelis.

Quod verò ſit falſa , probo primo ex naturali conſtitutione elementorum,ex qua habent,vt ſint corpora ſimplicia ; ſimplicitas autem opponitur cuilibet compoſitioni , vel mixtioni ex contrariis, nam quod aliqua admittit compoſitionem,non poteſt ſimplex vocari in tali genere:ergo cõſtitutio ipſa elementi excludit quamcumque compoſitionem,ſeu mixtionem ex contrariis qualitatibus:mixtio enim in hoc genere compoſitio eſt. Et confirmari poteſt , ac declarari ſimul , nam corpus mixtum tale eſt, quia vtramque contrarietatem qualitatum permixtam habet in certo gradu ; ſed quodlibet elementum iuxta ſententiam oppoſitam naturaliter habet permixtionem vnius contrarietatis , poſtulans qualitates contrarias ad certum gradum attemperatas,atque permixtas:ergo negari non poteſt, quod ex medietate ſaltem ſit mixtum , & ex conſequenti non ſimplex.
Secundo , quia elementa diſtinguuntur ab Ariſtotele , & tota 149
ſchola in ſymbola , & diſſymbola , hoc eſt in ea , quæ conueniunt in aliqua qualitate , & in nulla, ſed omnino ſunt contraria , ſed iuxta primam ſententiam omnia elementa ſunt ſymbola , & nulla dantur diſſymbola : ergo contra Ariſtotelem, & totam ſcholam reputari debet, & ideo falſa. Probatur minor, quia ſi in quolibet elemento qualitas minus intenſa habet admixtionem contrariæ,omnia elementa conueniunt in vna qualitate , vt conſideranti patet. Quod vero huic argumento reſpondent quidam,videlicet ſymbola vocari elementa, non quæ

conueniunt in aliqua qualitate, ſed in qualitate in excellenti gradu,& ideo non dici ſymbola, etiam ſi conueniant in qualitate remiſſa, friuolum eſt, & gratis confictum, quia ſymbolum dicit quamcumque conuenientiam, & diſſymbolum negat quamcumque, vt ex ſignificatione vocabulorum, in qua accipiuntur ab omnibus, eſt manifeſtum: ergo abſque fundamento negatur ſymbola eſſe elementa, quæ conueniunt in aliqua qualitate remiſſa, & affirmatur eſſe diſſymbola. Probatur tandem, quia per quamcumque humiditatem hebetatur actiuitas ſummi caloris,ſicut per ſiccitatem acuitur:ergo ponere in igne naturalem humiditatem, contradicit ſummæ actiuitati eius; & ideo non debet admitti. Et tandem cum aqua ſit frigida in ſupremo gradu,ſi aliquã haberet ſiccitatem naturalem,non poſſet dari in ſua naturali diſpoſitione, quin congelata daretur, quia ſola ſiccitas deficere ei poterat ad congelationem.

150 Ad teſtimonia Ariſtotelis reſpondeo, loqui de ſucceſſiua intenſione qualitatis in ſubiecto cum remiſſione contrarię,de qua verum eſt plus, vel minus intẽſionis reperiri in eadem vna qualitate, quo plus, vel minus reperitur de oppoſita. In caſu verò non daretur ſucceſſiua intenſio, quia deficit reſiſtentia contrarij, & ideo nec plus, vel minus de vna qualitate, quo plus, vel minus de oppoſita: quod patet in intenſione lucis; in qua plus de luce datur in ſubiecto ſine vlla admixtione contrarij.

Ad primum argumentum reſpondeo latitudinem gradualem cuiuſlibet contrarietatis debere eſſe completam ex altero, vel vtroque contrario in ſubiecto poſtulante vtrumque extremum contrarietatis, quale eſt mixtum in quo repugnat naturaliter dari tot gradus vnius extremi, quin dentur de alio extremo: quot deficiunt vſque ad complementum latitudinis. Si verò ſubiectum non poſtulet, vtrumque extremum contrarietatis,quale eſt elementum,ſed alterum tantum, & hoc in certo, ac determinato gradu intenſionis,non eſt neceſſarium,quod latitudo contrarietatis ſit in eo completa ex altero, vel vtroque contrario: ſed poteſt dari vnum extremum abſque vlla admixtione alterius,in quo nulla apparet repugnantia.

151 Ad primum abſurdum, quod inferebat ſecundum argumentum de alteratione & generatione inſtantanea diuerſis modis reſpondent. Et Toletus quidem aſſerit ſufficere latitudinem qualitatis ad ſucceſſionem alterationis, quia repugnat naturaliter totam latitudinem ſimul, vel in inſtanti introduci, nulla etiam contraria qualitate in eo exiſtente. Alij verò ex iunioribus aſſerunt præter latitudinem qualitatis dari extenſionem, aut diuiſibilitatẽ ſubiecti, quæ ſufficit ad ſucceſſionem motus:

nam

nam qualitas corporea non potest intendi,nisi in eodem subiecto,aut parte eius diuisibili:sufficit autem extensio subiecti, vt non possit simul intendi, vel produci qualitas in eo, sed prius in vna parte, quàm in alia,& ideo successiuè.Alij denique aiunt resistere formam substantialem, vel naturam eiusdem elementi,quæ non postulàt maiorem illam intensionem eiusdem qualitatis, sed determinatam, quam prope summam vocant. Sed duæ priores solutiones hoc argumento ostenduntur insufficientes,& falsæ. Lumen habet latitudinem,intensionis,& producitur,aut intenditur in subiecto,vel parte eius diuisibili,& nihilominus tota intensio, quam potest producere luminosum introducitur simul,vel in instanti in omnibus partibus,vt patet,si luminosum non adducatur, per motum localem,sed in instanti collocetur in aëre,vel in cubiculo; tunc enim totum simul, & omnes eius partes intra sphæram actiuitatis contentas illuminabit,& secundum totam intensionem, quam potest producere ex eo solum,quod contrario caret in subiecto: ergo in instanti etiam intenderetur qualitas remissa elementi in toto subiecto diuisibili, & in omnibus partibus eius nullum habens contrarium in eodem subiecto.Tertia verò solutio non est minus in- 152
sufficiens,& falsa, quia natura elementi non resistit per se resistentia formali,nec effectiua:ergo nullo modo,euidens est consequentia, quia non datur alia resistentia præter has. Sed probatur antecedens,quod non effectiua,quia hęc non distinguitur ab actione;sed substantia non agit per se immediate,nisi mediis accidentibus attingat subiectum, atque effectum in eo producendum;sed nec resistentia formali, quia resistentia formalis fit per informationem incompossibilem; sed informatio formæ substantialis elementi non est incompossibilis cum informatione cuiuscumque qualitatis:ergo falsum est,quod resistat formaliter substantialis forma elementi.

Concedendum igitur est talem alterationem fieri in instanti, quamuis non generationem, vel corruptionem elementi, quæ præter illam qualitatem petit aliam non in instanti,sed in tempore producendã naturaliter. Et dum dicitur alterationem esse per se successiuam, distinguendum est;nam alteratio dupliciter sumi potest, videlicet sub communi ratione abstrahente ab ea, quæ versatur circa qualitatem habentem contrarium in subiecto,vel nõ habentẽ,aut certe non habentẽ in tali subiecto; & hoc modo nõ potest esse per se successiua,sed potius comprehendit successiuã, & instantaneam. Alio modo sumitur pro ea, quæ versatur circa qualitatem habentẽ contrarium in subiecto circa quod versatur,& sic accepta per se est successiua,non quidẽ

perfeitate

perfeitate eſſentiali, ita vt contradictionem inuoluat fieri in inſtanti, ſed perfeitate naturali; ita vt naturaliter repugnet. Vt enim in noſtris commentarijs Phyſicis oſtendimus, non repugnat, quod tota reſiſtentia contrarij ſimul ſuperetur ab agẽte ſupernaturali, & introducatur tota latitudo contrariæ qualitatis in inſtanti; & ex conſequenti alteratio etiam circa ſubiectum, in quo reperitur contraria qualitas in inſtanti fiat.

153 Ad aliud verò abſurdum, quod inferebatur, videlicet nunquam poſſe elementum, cuius qualitas minùs intenſa intenderetur ab agente extrinſeco, illam intenſionem, quam ſemel recepiſſet, à ſe expellere, & ideo ſemper in eo permanere violentam: reſpondeo, elementum ipſum non poſſe, ſed ſicut ab vno agente extrinſeco talis intenſio recepta eſt, poterit ab alio agente contrario expelli; vt ſi calor aëris intendatur ab igne, poterit remitti ab aqua, vel terra per infrigidationem aëris: & ita non ſemper in eo permanebit, ſed nunc habebit qualitatem ſibi naturalem magis intenſam, quàm propria natura poſtulat; poſtmodum verò habebit contrariam, à qua remittatur: & ita violentum non erit perpetuum.

QVÆSTIO X.

An qualitates ſymbolæ elementorum ſint eiuſdem ſpeciei?

154 SYmbolæ qualitates vocantur in elementis illæ, quæ duobus elementis ſunt communes, vt calor ignis, & aëris; humiditas aëris, & aquæ: frigiditas aquæ, & terræ: & ſiccitas terræ, & ignis: de quibus quærimus, an vterque calor ſit eiuſdem ſpeciei, vel calor ignis diſtinguatur ſpecie à calore aëris. Sicque de humiditatibus, ac cæteris. Et prima opinio diſtinguit in elemẽtis duplices qualitates, virtuales, & formales. Virtuales quidem priores à ſubſtantijs elementorum proximè emanantes, per quas elementa producunt in ſe formales. Et de qualitatibus ſymbolis virtualibus affirmat ſpecie diſtingui, vt calor virtualis ignis à calore virtuali aëris, ſicque de reliquis: de formalibus verò eſſe eiuſdem ſpeciei, vt calores formales, & frigiditates. Ita Albertus Saxoniæ 2. lib. de gener. q. 5.

Secunda opinio eſt omnino oppoſita non ponens qualitates virtuales, ſed affirmans qualitates formales ſymbolas non ſolum ſpecie differre, ſed contrarias eſſe, vt calorem ignis contrarium eſſe calori aëris. Huius opinionis meminit Toletus 2. lib. de

lib. de gener. q. 7. sed nullum pro ea authorem citauit. Probatur autem his argumentis. Primo à priori, quia qualitates primæ sunt quasi proprietates elementorum naturaliter emanantes ab eorum substantiis: sed qualitates symbolæ emanant à substantiis elementorum specie diuersis, vt calor ignis à substantia eius, & calor aëris à substantia aëris: ita vt repugnet hunc emanare à substantia ignis, vel illum à substantia aëris: ergo distinguntur specie. Secundo probatur ex effectibus. Nam qualitates symbolæ producunt sæpe effectus specie diuersos, ergo specie distinguntur. Euidens est consequentia, quia repugnat effectus specie diuersos prouenire à causis eiusdem speciei. Sed probatur antecedens, quia humiditas aëris (quam constat prædominari in oleo) fouet, & nutrit flammam ignis, humiditas verò aquæ extinguit potius, vt docet experientia. Nam dum aqua extinguit ignem, non ratione frigiditatis id præstat, cum vehementer calefacta illum quoque extinguat, sed ratione humiditatis: ergo habet effectus, non solum specie diuersos, sed oppositos. 155

Hæc sententia parum probabilitatis habet, & in doctrina Aristotelis nullam. Probo hoc secundum ex duobus, quæ asserit expresse Aristoteles cap. 4. huius libri. Primum est, quod ex vno elemento symbolo potest generari aliud symbolum, vt ex aquâ aër. Secundum, quòd facilius generaretur elementum symbolum ex alio symbolo, vt aër ex aqua, quam dissymbolum ex dissymbolo. Cuius rationem reddit, quia pauciora corrumpuntur per se in generatione symboli, vt ex aqua ignis, sed vtrumque est falsum secundum hanc sententiam: ergo in doctrina Aristotelis non est probabilis. Minorem sic probo, quantum ad primum, quia si ex aqua potest generari aër per actionem ignis circa ipsam, vel corrumpitur humiditas aquæ in tali generatione, & producitur humiditas alia specie diuersa, & aëri propria, vel permanet in aëre humiditas aquæ secundum speciem, vel numerum. Si permanere dicatur, non distinguentur specie humiditas aquæ, & aëris, nisi dixeris permanere humiditatem aquæ, & produci aliam distinctam specie de nouo in aëre. Et tunc maius absurdum sequitur, videlicet in aëre genito dari naturaliter duas humiditates specie diuersas, atque cõtrarias: ergo necesse est dicere, quod humiditas aquæ corrumpatur: & tunc necessarium est aliam specie distinctam produci in aëre genito, cum sit dispositio necessaria ad formam aëris introducendam: sed nullum est agens à quo possit produci: ergo nec erit possibilis generatio aëris ex aqua. Quia forma non potest introduci naturaliter sine sua naturali dispositione. Mi- 156

norem

norem ſic probo,quia vel producẽda eſſet ab igne,vel ab aqua. Ab hac non poteſt produci,quia deſinit eſſe, nec etiam ab igne nullam habente humiditatem, per quam poſſit eam producere: ergo à nullo produceretur,nec ſequetur generatio aëris.

Quod verò ſecundum ſit falſum, euidentius probatur, quia ſi calor ignis,& aëris diſtinguntur ſpecie,& contrarij ſunt:ergo vt generetur ignis ex aëre, neceſſe eſt vtramque qualitatem aëris corrumpi à ſuo contrario, nempe calorem à calore contrario,& humiditatem à ſiccitate contraria, quod eſt vtramq; corrumpi per ſe. Tot igitur corrumperentur per ſe in generatione ſymboli,ac in generatione diſſymboli. Probatur conſequentia, quia duæ tantum qualitates contrariæ deberent corrumpi,nempe frigiditas,& humiditas aquæ, vt idem ignis generaretur ex ea.

157 Quod verò falſa ſit eadem ſententia ſecundum ſe, probatur primo ex effectu,quia vt experientia docet,calor ignis intendit calorem productum ab aëre in aqua, vel in manu,& ſic de cæteris qualitatibus ſymbolis:ergo ſunt eiuſdem ſpeciei.Probatur conſequentia,primo, quia calor intenſus, & remiſſus eiuſdem ſpeciei ſunt;ergo calor ignis,& aëris producunt effectum eiuſdem ſpeciei, & quidem tanquam cauſæ vniuocæ, quia calor vniuoca cauſa caloris eſt. Quare non poſſunt diſtingui ſpecie, quia impoſſibile eſt cauſas vniuocas producentes effectus eiuſdem ſpeciei ſpecie differre,vt per ſe eſt manifeſtum. Probatur etiam eadem conſequentia, quia ea quæ ſunt ſpecie diuerſa, coniungi non poſſunt,neque vnum perficere alterum in eodem ordine,ergo nec poſſunt ſe intendere:quia ea quæ ſe intendunt ſe perficiunt,& conſtituunt vnum per continuationem.Secun-
158 do probatur,quia ipſimet calores, & quæcumque aliæ qualitates ſymbolæ viciſſim ſe intendunt;nam ignis intendit calorem aëris,& frigiditas aquæ frigiditatem terræ: ergo ſunt eiuſdem ſpeciei.Euidens eſt conſequentia, quia qualitas intenſa, & remiſſa ſunt eiuſdem ſpeciei:ergo intenſio caloris, quam producit ignis in aëre, eſt eiuſdem ſpeciei cum calore aëris: ſed eſt etiam eiuſdem ſpeciei cum calore ignis, quia producitur ab eo taqnuam à cauſa vniuoca;ergo de primo ad vltimum calor ignis, & aëris ſunt eiuſdem ſpeciei, quia habent identitatem ſpecificam cum intenſione caloris producti ab eodem igne in aëre,& quæ ſunt idem ſpecie cum aliquo tertio, neceſſario debent eſſe eiuſdem ſpeciei inter ſe.Sed probatur antecedẽs,quòd viciſſim ſe intendant,quia dum ignis calefacit aërem, vel producit calorem eiuſdem ſpeciei cum calore aëris,& ita intendet illum, quia accidentia corporea eiuſdem ſpeciei continuantur in eodem

in eodem ſubiecto,& fiunt idem numero,& ita ſe perficiunt,vel intendunt;aut producit calorem ſpecie diuerſum, atque contrarium,& tũc non intendet calorem aëris, ſed deſtruet illum, quia contraria ſe expellunt circa idem ſubiectum. Quare aër calefactus ab igne,non erit magis calidus, quàm prius;quia licèt productus ſit nouus calor,expulſus eſt præexiſtens,& ſecundum eamdem intenſionem. Hoc autem euidenti experientiæ contradicit:ergo hæc ſententia falſa eſt.Quod tandem probatur,quia ex ea ſequuntur tria abſurda. Primum, quòd vni ſint 159
plura contraria; nam eidem frigiditati aquæ contrarij eſſent calor ignis,& aëris ſpecie diuerſi.Secundum, quod non dentur elementa ſymbola, ſed omnia ſint diſſymbola contra communem ſententiam omnium Philoſophorum.Probatur hoc ſequi, quia in nulla qualitate conuenirent, nam illa, in qua nomine ipſo conueniunt quælibet duo elementa,vt calor,vel frigus,aut quæuis alia,ſpecie diuerſa eſt,atque contraria in vno,& in alio. Tertiò ſequitur, quod nullum elementum habeat virtutem conſeruandi aliud.Probatur conſequentia, quia vnum omnino contrarium alteri non conſeruat illud,ſed deſtruit;ſed elementa eſſent omni ex parte contraria ſpecieque diuerſa:ergo nullum poſſet conſeruari iuxta aliud.

Vera igitur ſententia eſt, quod neque qualitates virtuales, neque formales ſymbolæ diſtinguntur ſpecie;illæ quidem,quia non dantur;de his vero probatum eſt efficaciter non diſtingui. Et eiſdem argumentis probatur,quod licet virtuales darentur, non eſſent ſpecie diſtinctæ. Ita Ariſtoteles, vt vidimus. Diuus Thomas in quæſtione de ſpiritualibus creaturis artic.3.ad 19. Marſil.in hoc 2.libro quæſtion.4. Toletus vbi ſupra, Conimb. capite 3,huius libri quæſt.6.artic.1. & eſt communis in ſchola, ita vt nemo aliam ſequatur.Sufficienter vero probata eſt argumentis,quibus oppoſitam refutauimus:quare ſolum reſtat argumenta eius ſoluere.

Ad primum negandum eſt antecedens,quod primæ qualita- 160
tes ita emanent à natura elementorum, vt emanant propriæ paſſiones à ſuis ſubiectis;ſed ita emanant, vt non ſolum eis,ſed alijs etiam corporibus conueniant, & ab eis etiam in gradu aliquo remiſſo aliquando emanare poſſint, nec ſolum ex participatione eorum, ſed etiam ab alio agente productæ, nempe à Sole,Luna,& alijs cœleſtibus influentijs. Quare potius ſunt communia accidentia elementorum, quàm proprietates, vel paſſiones, & ideo poſſunt conuenire, vel emanare ab elementis ſpecie diuerſis, etiamſi eiuſdem ſpeciei ſint. Quod verò dicitur calorem ignis non poſſe emanare à ſubſtantia

aëris,

aëris,verum eſt,ſed hoc ſolum eſt propter gradualem intenſionem,quia ignis poſtulat calorem in ſummo gradu; aer verò in minori:conſtat verò gradualem intẽſionem non efficere differentiam ſpecificam qualitatis,ſed ſolum accidentalem.

Ad tertium diſtinguendum eſt antecedens, quòd qualitates ſymbolæ elementorum producant effectus ſpecie diuerſos;nam duplex eſt effectus earum,primarius,& ſecundarius. Primarius effectus caloris eſt calefacere. Secundarius vero conſumere humiditatem per extractionem vaporum, vel aliquid huiuſmodi. Et ex primario effectu bene colligitur diſtinctio ſpecifica,non ex ſecundario,quem non ſemper producunt,ſed iuxta diſpoſitionem ſubiecti. Qualitates igitur ſymbolæ elementorum ſemper habent effectus primarios eiuſdem ſpeciei, vt calor ignis, & aëris calefacere, & ideo eiuſdem ſpeciei ſunt, quamuis aliquando habeant effectus ſecundarios ſpecie diuerſos propter diuerſam diſpoſitionem ſubiecti, ex quibus non benè colligitur diſtinctio ſpecifica earum.

CAPVT IIII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem determinatum eſt prius, quòd ſimplicibus corporibus ex ſe inuicem generatio, &c.

Breuis expoſitio textus.

1 EXplicata in ſuperioribus capitibus natura primarũ qualitatum, & conſtituto numero quaternario elementorum, intendit Ariſtoteles in præſenti exponere modum, quo inter ſe eadem elementa tranſmutentur,hoc eſt,quomodo vnum,generetur ex altero,aut ex pluribus, illo, vel his corruptis. Caput autem non eget alia diuiſione; ſolum enim proponit quatuor regulas, vel modos, quibus mutua eorum tranſmutatio fieri poteſt.

Prima regula eſt vniuerſalis,aſſerens,quodlibet elementum, ſiue ſymbolum ſit,vel diſſymbolum,poſſe in aliud tranſmutari, vel conuerti, ita vt ex eo generetur aliud,& ita mutuam eſſe, vel reciprocam inter elementa conuerſionem. Probat hoc argumento. Quæcumque contraria ſunt tranſmutabilia,cum ex proprijs conditionibus contrarietatis conentur ſe deſtruere; ſed omnia elementa ſunt ad inuicem cõtraria:ergo ad inuicem tranſmutabilia. Minorem probat,quia ſi ſint diſſymbola,cõtra-

riantur

riantur ſecundum vtramque qualitatem,vt ignis,& aqua,aër,& terra ;ſi vero ſymbola,contrariantur ſaltem in vna,licet conueniant in altera,vt ignis,& aër.

Secunda regula,inter elementa ſymbola facilior eſt tranſmu- 2
tatio,quàm inter diſſymbola,vel facilius generatur elementum ſymbolum ex alio ſymbolo, vt ignis ex aëre, quàm ex alio diſſymbolo, vt idem ignis ex aqua, vel aër ex terra. (Vocat enim ſymbola,vel ſimilia elementa illa, quæ conueniunt in vna qualitate,vt ignis,& aër,diſſymbola vero,vel diſſimilia,quæ in nulla conueniunt,vt ignis,& aqua,aër,& terra.)Probat hac ratione. Eo facilior eſt mutatio vnius in alterum,quo pauciora corrumpi oportet ; ſed vt fiat elementum ſymbolum ex alio ſymbolo, pauciora oportet corrumpi:vt autem fiat elementum diſſymbolum ex diſſymbolo plura:ergo illa eſt facilior tranſmutatio,vel generatio. Minorem ſic probat. Elementa ſmbola conueniunt in vna qualitate;& ſecundum aliam cõtrariantur:ergo vt vnum fiat ex altero , vt ignis ex aëre , non eſt neceſſarium corrumpi eam,in qua conueniunt,nempe calorem, ſed ſolum eam,in qua contrariantur,nempe humiditatem;vt autem generetur diſſymbolum ex diſſymbolo , vt ignis ex aqua , vtraque corrumpenda eſt , nempe frigiditas , & humiditas, quia ſecundum vtramque contraria ſunt:ergo plura ad hanc generationem corrumpi debent,quàm ad illam.

Tertia regula , ex duobus elementis diſſymbolis facilius ge- 3
neratur tertium reſpectu vtriuſque ſymbolum , quàm vnum ex altero , vt ex igne , & aqua pugnantibus facilius generatur aër, vel terra, quàm ex aqua ignis,vel ex igne aqua;quod eſt dicere, duo elementa diſſymbola facilius tranſmutari in tertium,quam inter ſeſe. Probat eodem fere argumento , quo probauit regulam præcedentem,nam vt vnum elementum diſſymbolum conuertatur in alterum , neceſſe eſt duas qualitates ex eodem corrumpi,quia ſecundum vtramque cõtrariantur, vt patet in igne, & aqua:vt autem ex vtroque fiat tertium,ſolum eſt neceſſarium ſingulas ex ſingulis corrumpi,quia duæ aliæ ſunt naturales elemento tertio generando;vt pugnantibus igne,& aqua,ſolum eſt neceſſarium , vt generetur ex vtroque aër , quod corrumpatur frigiditas aquæ , & ſiccitas ignis , quia calor & humiditas conueniunt naturaliter aëri. Et vt generetur terra, ſolum eſt neceſſarium corrumpi calorem ignis , & humiditatem aquæ ; nam ſiccitas , atque frigiditas naturales ſunt terræ ; ſed facilius eſt corrumpi ſingulas ex ſingulis , quàm vtramque ex vno ; ſicut facilius eſt ſingula ſe corrumpere , quam duo corrumpere alia duo, vt per ſe eſt manifeſtum : ergo facilior eſt generatio tertij

Digitized by Google

elementi ex duobus diſſymbolis,quàm vnius diſſymboli ex alio diſſymbolo. Probat præterea Ariſtoteles exemplo flammæ,quæ nihil eſt aliud, quàm fumus aëre permixtus,atque inflammatus habens ſummum calorem : fumus verò exhalatio terrea ; & ita ignis generatur ex terra , & aëre corrupta frigiditate terræ , & humiditate aëris.

4 Vltima regula eſt , ex duobus elementis ſymbolis non poſſe generari tertium,vt ex igne,& aëre,vel ex aqua,& terra. Probat hac ratione , quia pugnantibus duobus elementis ſymbolis , vt igne , & aëre, vel corrumpitur qualitas ſymbola , nempe calor, vel corrumpitur qualitas contraria:(neceſſe eſt enim vtrumque corrumpi,vt generetur tertium) ſed neutro modo poteſt generari tertium ; ergo ex duobus ſymbolis non eſt generabile tertium. Minor probatur , quia ſi corrumpitur qualitas ſymbola, remanent duæ contrariæ, ex quibus impoſſibile eſt elementum conſtitui. Si verò his corruptis permanet qualitas ſymbola,non poteſt ex ea conſtitui elementum;quod conſtat ex vna ſola qualitate non poſſe conſtitui,ſed ex duabus : ergo non eſt poſſibilis generatio tertij elementi ex duobus ſymbolis.

CAPVT V.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Sed tamen adhuc , & ſic conſiderabimus de eis , ſignum eſt naturalium corporum materia, &c.

Breuis expoſitio textus.

5 INtendit Ariſtoteles cap. præſenti docere, quodnam ſit principium materiale , aut ſubiectum mutuæ generationis elementorum , nempe an aliquod ex eiſdem elementis , vel plura eorum , aut medium aliquod corpus inter elementa igne denſius,& aëre rarius ; vel terra rarius, & aqua denſius ; vel nullum detur tale corpus,quod ſit ens completum, & omnium generationum elementarium ſubiectum,vel materiale principium;ſed ſolum detur incompletum, & potentiale, nempe materia communis omnibus elementis, quæ tranſmutetur per diuerſas formas eorum. Caput verò diuiditur in duas partes. In prima reijcit vniuerſales opiniones eorum, qui ponebant vnum,vel plura elementa , vel aliquod medium corpus inter ipſa eſſe principium. In ſecunda reijcit ſpecialem aliorum , qui determinatè aſſere

afferebant media elementa non esse principium, sed solum elementa extrema, vel dissymbola.

Fuerunt igitur plures Philosophi ponentes corpus aliquod, 6
quod esset ens completum esse principium, quidam vnum, vel alterum ex quatuor elementis, vt aërem, vel aquam. Alij duo ex ipsis, vt aërem, & ignem, vel aquam, & terram. Alij denique nullum ex eis, sed corpus aliud medium, vel inter ignem, & aërem illo quidem subtilius, hoc verò crassius. Aut inter aquam, & terram, hac subtilius, & crassius illa. Contra hos omnes probat Aristoteles, nihil horum esse principium, hoc discursu. Si vnum aliquod elementum, vt aër esset cæterorum principium, ita vt generationis eorum commune subiectum sit, sequitur nullum elementũ generari posse ex eo; sed quas vocamus generationes elementorum, solum esse alterationes quasdam eiusdem principij, & non mutationes substantiales; & ideo illud solum elementum dari in rerum natura diuersis modis alteratum, & non plura, quod est absurdum. Consequentiam sic probat, quia subiectum alicuius mutationis debet manere integrum sub vtroque termino eius, à quo, & ad quem: ergo si est integrum, atque completum elementum materia & forma constans, integrum quoque, & completum manebit in termino ad quem mutationis, & solum mutabitur secundum diuersa accidentia.

Quod verò tale principium non sint duo, vel plura elemen- 7
ta, vt aër principium generationis ignis, & aqua principium generationis terræ, & ita ignis, & terra fierent ex aëre, & aqua tanquam ex principio, probat. Quia si ignis fieret ex aëre, duo essent necessariò concedenda, nempe, quod aër maneret in igne secũdum legem principij materialis generationis, quod permanere debet in re genita, & ignis, quod generatur ex suo contrario, generaretur iuxta generationis legem, quod semper debet ex contrario fieri. Ex quibus sequitur contrarietatem dari inter ignem genitum, & aërem, ex quo generatur, & vnum extremum huius contrarietatis habere ignem, alterum verò aërem; sed aër cum sit principium, ex quo generatur ignis, permanet in igne genito: ergo & extremum contrarietatis in eo existens, & ignis habet etiam aliud: ergo continebit in se vtrumque extremum contrarietatis; & ita contraria erunt simul in eodem, quod est absurdum. Et si dicatur ignem, & aërem esse distincta, & ideo non sequi, quod contraria sint in eodem, sed in diuersis. Probat Aristoteles, non nisi in eodem esse, quia principium materiale generationis non est compositum distinctum ab eo, quod ex illo generatur, sed potius efficit cum eo vnum compositum: ergo si aër est principium materiale, ex quo generatur ignis,

faeit cũm eo vnum compoſitum. Vnde ſi aër habet humiditatem, & ignis ſiccitatem habebit vtramque qualitatem contrariam ignis,& erunt contraria ſimul in eodem.

8 Probat tandem, quod principium materiale non ſit corpus medium inter ignem,& aërem,vel inter aquam, & terram,quia ſi tale corpus eſſet principium, aut habet qualitatem aliquam ex primis contrarietatibus elementis propriis, nempe calorem, frigiditatem, humiditatem, aut ſiccitatem,vel non. Si aliquam habere dicatur,eo ipſo erit aliquod ex elementis,& non corpus medium inter illa. Probatur conſequentia, quia qualitates iſtæ ſunt veluti proprietates elementorum,ſaltem quantum ad emanationem ex natura eorum: ergo nullum corpus poteſt habere aliquam à natura,quod non ſit elementum. Si vero nullam habet contrarietatem primam,ſed omnibus priuatur,& ideo quaſi infinitum eſt,non limitatum per aliquam qualitatem(vt voluerunt aliqui) ſequitur adhuc non poſſe eſſe ſine aliqua qualitate ex primis contrariis; & ideo neceſſariò debere eſſe aliquod ex elementis. Probatur conſequentia,quia priuatio ſemper eſt adiuncta alicui extremo poſitiuo contrarietatis,vt priuatio caloris adiuncta eſt frigiditati, & priuatio humiditatis adiuncta eſt ſiccitati: ergo non poteſt habere priuationem contrarietatis, quin habeat formam, quæ ſit extremum eius. Ex his colligit Ariſtoteles elementa eſſe prima corpora ſenſibilia, quia ſi nullum aliud poteſt dari corpus, quod ſit principium ipſorum, ex quo generentur:ergo nullum poteſt dari corpus ſenſibile prius ipſis. Quare ipſa ſunt prima corpora ſenſibilia.

9 In ſecunda parte capitis reijcit aliam ſententiam antiquorum aſſerentium, quod licet extrema elementa, vel diſſymbola non poſſint eſſe principium materiale aliorum,bene tamen media, ita vt aër poſſit eſſe principium ignis; & aqua principium terræ. Et fundamentum eorum erat, quia non omnia elementa ſunt ad inuicem tranſmutabilia, ſed media quidem conuerti poſſe in extrema, hæc verò non in media, vel licet in media conuerti poſſint, non tamen inter ſeſe, hoc eſt vnum non in aliud, vt aqua poteſt conuerti in terram, & aër in ignem; ſed nec terra rurſus in aquam, nec ignis in aërem, vel ſi poſſent ita conuerti ſaltem non inter ſe, ita vt ex terrâ poſſet generari ignis, vel ex igne terra, & ita nullum ex his extremis elementis poſſet eſſe commune principium materiale omnium,quamuis media principium omnium eſſe poſſint. Vt autem hanc poſitionem reijciat Ariſtoteles, reijcit prius fundamentum quaſi per modum dubij proponens, an omnia elementa ſint ad inuicem tranſmutabilia,vel aliqua tantum, vt dicebant iſti, nempe media,

media, & non extrema, vel vt dicebat in Thimæo Plato, ſola terra ſit intranſmutabilis, & reſpondet omnia eſſe adinuicem tranſmutabilia, ita vt quodlibet ex quocumque poſſit generari. Probat hac ratione. Tranſmutatio, vel generatio eſt inter contraria; ſed omnia elementa contraria ſunt; nam vel in vna qualitate contrariantur, ſi ſunt ſymbola, vel in vtraque, ſi diſſymbola, vt experientia notum eſt: ergo quodcumque poteſt ex alio generari. Vnde falſum eſt fundamentum eorum. Ad reijciendam verò eorum ſententiam præſuppo[illegible] duas eſſe contrarietates in elementis, ita vt nec plures ſint, nec pauciores, nempe calorem, & frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem. Et ex his duabus contrarietatibus, quatuor elementa, & non plura conſtitui, quia ex quatuor qualitatibus contrariis quatuor tantum combinationes fieri poſſunt, cum contrarias coniungere in eodem repugnet. 10

Probat iàm neque media elementa, neque extrema poſſe eſſe principium aliorum hac ratione. Omnia elementa ſunt ad inuicem generabilia, ita vt quodlibet poſſit ex quocumque alio generari: ergo nullum poteſt eſſe aliorum principium. Conſequentiam probat, quia principium generationis non poteſt eſſe generabile, & præterea, quia cum omnia ſint generabilia, non eſt maior ratio ob quam, vnum, quàm aliud poſſit eſſe principium generationis omnium. Secundo, probat in particulari de extremis, atque etiam de mediis, quod nullum eorum poſſit eſſe principium; de extremis quidem hoc argumento. Principium ex quo aliquid generatur, debet permanere in re genita ſecundum propriam eſſentiam: ergo ſi extrema elementa ſunt principia generationis omnium, ſequitur in quibuſcumque rebus genitis permanere ſecundum proprias formas, & ideo omnia erunt ignis, vel terra; aut ex his ſecundum proprias formas compoſita, quod patet eſſe abſurdum. Vt autem probet de mediis, vtitur quibuſdam literis pro elementis, atque etiam qualitatibus contrariis non actiuis, quibus abſcurior fit ratio, ſic ergo erit clarius formanda. Primum principium materiale, ex quo generantur cætera, non poteſt eſſe tranſmutabile per generationem; alioqui ſi generabile ſit, ex alio principio materiali priori generari debet: quare iam non erit primum principium, ex quo generentur omnia: ſed media elementa ſunt tranſmutabilia per generationem: ergo non poſſunt eſſe principia; ſed nec extrema, nam ſi ex mediis generantur extrema: ergo ſunt eis contraria; quidquid autem contrarium habet, generabile eſt, quia generatio verſatur inter contraria. Hanc autem rationem præſupponere ait, quod in generatione aliorum elementorum ex 11 12

extremis non procedatur in infinitum verſus partem ſuperiorem, ita vt ex igne generetur aliud elementum ſuperius diſtinctum ab his quatuor, nec verſus partem inferiorem, ita vt ex terra generetur aliud eadem terra inferius, ſed vt reciprocus ſit circulus generationum à mediis ad extrema, & ab extremis ad media, atque inter ſeſe, & in eiſdem extremis ſiſtat vlterius non procedens. Hoc enim ſuppoſito, probat ratio facta æqualiter ſe habere in ordine ad mutuam generationem vnius ex altero extrema elemen[illegible], & media, & ideo æqualiter repugnare vtriſque eſſe primum principium materiale omnium generationum. Si vero vltrà elementa extrema procedat generatio in infinitum, ſequeretur in ſingulis elementis multiplicandas eſſe infinitas contrarietates, tam verſus partem ſuperiorem, quàm verſus inferiorem, quia cum quodlibet generetur ex ſuo contrario, ſi aliud elementum ſuperius generaretur ex igne per extremum ei oppoſitum tanquam ex contrario, noua alia contrarietas eſſet multiplicanda, cuius vna qualitas eſſet in illo, & alia multiplicanda in igne; & hæc remaneret in his noſtris elementis, dum ex eodem igne generarentur. Quare in omnibus multiplicanda eſſet talis qualitas, & infinitæ multiplicarentur in omnibus. Et eadem ratione verſus partem inferiorem, ſi aliud extremum elementum generaretur ex terra. Ex hoc autem inconuenienti, quod infinitæ dentur contrarie-
13 tates in ſingulis elementis colligit alia. Primum, quod nullum elementum ſub ratione elementi poſſet definiri, quia infinitæ proprietates non ſunt explicabiles. Secundum, quod nullum elementum eſſet generabile, quia ad generationem eius neceſſe eſt infinitas contrarietates pertranſire, infinita verò pertranſiri non poſſunt. Tertium, quod neque vllum elementum poterit tranſmutari in aliud ſibi proximum propter eamdem rationem infinitatis contrarietatum impertranſibilis. Quartum, quod elementum quodcunque eſſet omnia elementa, vel quod omnia eſſent illud vnum, quia in quolibet concurrunt qualitates omnium. Ex his omnibus infertur veritas præcipuè intenta ab Ariſtotele, quod nullum detur corpus, vel ens completum, ſiue elementum ſit, vnum, vel plura, ſiue medium inter elementa, quod ſit primum principium materiale omnium generationum, vel omnium elementorum; ſed hoc primum principium nec eſſe corpus, nec elementum, neque ens completum, ſed incompletum, & potentiale, nempe materiam primam omnibus elementis communem & puram potentiam conſtituentem ſingula elementa cum ſingulis formis ſubſtantialibus eorum.

CAPVT

CAPVT VI.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Admirabitur autem aliquis dicentes plura vno elementa corporum, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtentum Ariſtotelis capite præſenti eſt probare aduerſus 14
Empedoclem, quod elementa ſint tranſmutabilia, vt docuit capite præcedenti. Diuiditur autem caput in duas partes. In prima, quadam diuiſione præſuppoſita contradictionis arguit Empedoclem. In ſecunda aliis argumentis ad impoſſibile ducentibus oſtendit falſitatē opinionis eius. Opinio Empedoclis fuit, quod nullum elementum ſit tranſmutabile, ita vt ex eo aliud generetur, vel ipſummet ex altero. Ita autem dicebat intranſmutabilia eſſe, vt viciſſim comparari poſſint, & æqualia vocabat. Probat autem primo Ariſtoteles hæc duo inter ſe pugnare, nempe quod comparabilia ſint, & non tranſmutabilia, nam potius vnum ex alio ſequitur, nempe ex comparatione tranſmutabilitas, & ex tranſmutabilitate comparatio, & argumentum præſupponit hanc diuiſionem. Tribus modis poſſunt comparari corpora ſecundum quantitatem, quo pacto dicuntur æqualia, ſi habeant quantitatem eiuſdem menſuræ, vel inæqualia, ſi diuerſæ: aut ſecundum virtutem, vel potentiam actiuam; ſecundum quam comparationem dicimus tantum pondus poſſe portare vnum, atque alterum. Sed comparatio hæc duobus modis fieri poſſet, aut ſecundum qualitates diuerſæ ſpeciei vt ſi dicamus, tantum poſſe infrigidare aquam, quantum calefacere ignem. Aut ſecundum qualitates eiuſdem ſpeciei, vt dum dicimus, minus infrigidare terram, quàm aquam. Qua ſuppoſita, ſic procedit, elementa ſunt inter ſe comparabilia, vt concedit Empedocles: ergo ſunt tranſmutabilia. Probatur conſequentia, quia quæcumque comparatio ex illis tribus infert tranſmutabilitatem. Et de duobus vltimis euidens eſt. Sed probatur etiam de prima, nempe quantitatiua, non quidem formali, ſed virtuali, quam concedebat Empedocles in elementis, dicens tantam molem continere vnum terræ pugillum, quantum quinque pugillos aquæ, vel decem aëris, hæc enim virtualis eſt continentia, non formalis; ſed non reperitur, niſi in corporibus habentibus materiam communem, & in quantum ex vno poteſt fieri aliud: ergo neceſſario infert tranſmuta-

bilitatem extremorum. Probatur minor, nam ideo pugillus terræ continet decem aëris, quia ex pugillo terræ conuerſo in aërem reſultabunt decem aëris. Vbi adnoto argumentum hoc Ariſtotelicum ad hominem eſſe, hoc eſt procedere aduerſus Empedoclem ſuppoſita hac æqualitate virtuali elementorum, quam eis tribuebat, & ideo de hac ſola procedere, & non de formali, quæ ſumitur ex nuda quantitate, ex qua non ſequeretur tranſmutabilitas, cum inter partes cœlorum reperiatur, quæ intranſmutabiles ſunt.

15 Deinde probat falſitatem eiuſdem ſententiæ in ſecunda parte capitis argumentis ad impoſſibile ducentibus, quorum primum eſt. Si elementa ſunt intranſmutabilia, tollitur prorſus augmentatio eorum, & ſolum creſcere poterunt per iuxta poſitionem, ita vt vna pars ignis ſolum fiat maior, quia ei adiungitur altera, nõ per conuerſionem alterius elementi in ſe, quod patet eſſe contra experientiam. Arguit ſecundo, quia ſi elementa ſunt intranſmutabilia, non poteſt reddi ratio generationis naturalium corporum. Probatur conſequentia, quia Empedocles ſolum dicebat quædam generari, & alia corrumpi per coniunctionem elementorum, quam tamen conſtat, non ſufficere, niſi elementa ipſa tranſmutentur, & aliqua noua forma in materia introducatur: hæc eſt enim, quæ confert ſpeciem rei genitæ, vt lapidi, ligno, vel alteri corpori. Et ſi dicatur, aliam quoque reddidiſſe cauſam Empedoclem, nempe, litem, & amicitiam; amicitiam vocantem coniunctionem elementorum in vnum locum, hoc eſt, in chao illo, quem ponebat: litem vero ſeparationem ab illo, per quam vnumquodque tendit in ſuum locum naturalem. Probat Ariſtoteles non eſſe ſufficientem cauſam, quia ſiue elementa coniungantur, ſiue ſeparentur, impoſſibile eſt aliquid nouum generari, niſi detur noua forma ſubſtantialis introducta in materia, & ideo
16 vera tranſmutatio vnius corporis in alterum. Ex quo infert primo ſtultum fuiſſe Empedoclem in eo, quod exiſtimauit litem ſegregaſſe elementa ab illo chao, & per hanc ſegregationem mundum fuiſſe factum, itaque cauſam mundi aſſerit fuiſſe litem. Quod tamen ait Ariſtoteles ſtultitiam eſſe, nam ſi alicui ex his, nempe liti, vel amicitiæ tribuenda eſſet conſtitutio mundi, amicitiæ potius, quàm liti deberet tribui, quia amicitia bonum quid eſt, lis vero malum; ſed effectus adeo bonus bono potius auctori, quàm malo debet tribui; ergo amicitiæ potius, quàm liti. Secundo infert adhuc inſufficienter locutum fuiſſe de lite, & amicitia, ponens eas tanquam cauſas mouentes elementa ad conſtitutionem mundi, quia non explicuit,

quiſnam

Digitized by Google

quiſnam eſſet motus amicitiæ, & quis etiam motus litis, & quomodo ſe haberent, ſed ſolum in vniuerſali, & in confuſo de his egit. Tertio infert male adhuc de lite, & amicitia locutum fuiſſe in eo, quod aſſeruit, amicitiam vocari congregationem elementorum ex eo factam, quod elementa mouentur à propriis locis ad chaos, vel aliud, vbi coniungantur, litem verò dum à loco coniunctionis ſeparantur, & ad propria tendunt. Nam ex hoc ſequitur litem eſſe ſecundum naturam eorum, & amicitiam violentam, vel naturis eorum contrariam. Probatur conſequentia, quia naturalis motus elemenri eſt tendentia in proprium locum, vt terræ in locum deorſum, & ignis in locum ſurſum: ergo violenta eſt ſeparatio ab illo. Colligit quarto falſum eſſe, quod aſſeruit, non dari motum, niſi vbi eſt lis; nec dari quietem, niſi vbi eſt amicitia; nam ex hoc ſequitur, vnicam, & ſufficientem cauſam motus, & quietis eſſe litem, & amicitiam; nec aliam aſſignauit cauſam motus. Probatur autem hoc eſſe falſum, non ſolum ſecundum veritatem, ſed etiam ex duobus aliis quæ ſimul aſſerebat. Primum aſſerebat ipſe litem ſeparare elementa, poſt ſeparationem verò vnumquodque ſe conferre in ſuum locum, non per ſe, ſed à fortuna, & ita aliquando fuiſſe aërem, vbi modo eſt terra. Vnde ſequitur, litem & amicitiam non eſſe cauſam motus ſufficientem, ſed addendam eſſe fortunam. Aſſerebat ſecundo 17
perpetuum dari circulum inter chaos, & mundum; ita vt mundus moueretur modò ex chao, deinde chaos ex mundo. Et huius motus ſemper ſimilis non reddit pro cauſa litem, & amicitiam, nec poſſunt ab his procedere, quia repugnat motus ſimiles procedere ex cauſis contrariis, quales ſunt lis, & amicitia: ex quo etiam ſequitur non omnem motum procedere ex amicitia, & lite, nec eſſe ſufficientes cauſas omnium motuum, ſed aſſignandam eſſe aliam huius motus circularis perpetui inter mundum, & chaos, nempe primum principium omnium rerum, omniúmque motuum. Et tandem aſſerit eumdem Empedoclem abuti elementis, dum affirmat, cætera omnia ex eis eſſe compoſita, non ſolum corpora, ſed etiam animam. Quod probat eſſe falſum, nam ſi anima ita componitur ex elementis, vt ſit ipſa aliquod elementum compoſitum, vt ignis, vel terra, ſequitur non habere alias proprietates, aut paſſiones, niſi ignis, vel terræ, ſi vero non ſit elementum, ſed corpus aliud ex corporeis elementis compoſitum, non habebit niſi paſſiones corporum; quod probatur falſum, quia eſſe muſicum, recordari, obliuiſci, & aliæ ſimiles, non ſunt paſſiones corporum, vt in libris de anima ſe oſtenſurum promittit.

TRACTATVS DE MVTVA GENERATIONE elementorum.

QVÆSTIO I.

An quodlibet elementum possit ex quocumque alio immediatè generari?

18 TAnquam certum fundamentum præsupponendum est illud, quod aduersus Empedoclem docuit, & probauit Arist. in his capitibus, præsertim in 6. videlicet elementa omnia esse transmutabilia transmutatione substantiali, ita vt generari, & corrumpi possint, quod receptum est in tota schola Peripatetica. Et probari adhuc potest, quia quodlibet elementum, cum sit actiuum, habet virtutē producendi sibi simile ex materia capaci suæ formæ, vt ignis producendi ignem, ex tali materia; sed elementa omnia habent materiam communem, & ideo capacem formæ cuiuslibet elementi ergo ex ea potest quodlibet generare sibi simile inducendo proprias dispositiones in materia alterius, & consequenter propriam formam expulsa alia, quod est quodlibet elementum posse aliud corrumpere substantialiter, & ex materia eius sibi simile generare. Et tandem experientia id ostendit, cum videamus ex aëre aquā fieri, & ex aëre ignem, sicque de reliquis censendum est. Secundo, certum est eiusmodi transmutabilitatem conuenire integris elementis, hoc est, non solum partibus cuiuscumque, sed toti ipsi elemento; quamuis supposito ordine vniuersi solum possit exerceri secundum partes, vt adnotauit D. Th. in 2. d. 19. q. vnic. art. 2. ad 2. & 2. lib. contra Gentes, cap. 9. & cum eo Ferra. ibidem, atque etiam Marsil. in hoc 2. lib. q. 9. & Saxonia q. 7. Probatur euidenter vtrumque. Primum quidem, quia totum elementum secundum omnes suas partes est eiusdem naturæ: ergo eodem modo conuenit toti ratione totius, & partium ratio generabilis, & corruptibi-
19 lis. Secundum verò, quia si integra elementa se corrumperent, dissolueretur constitutio vniuersi, & si inferiora cōuerterent in se superiora, vt aqua, & terra ignem, & aërem, ad minorem locum ea reducerent, cum inferiora minorem locum occupent ratione densitatis, & ideo pars loci à superioribus occupati relinqueretur vacua. Si vero superiora cōuerterent in se inferiora, extenderēt ea ad maiorē locum, vel certè maiorem occuparent

conuersa

conuersa in ſuperiora propter maiorem raritatem,& ideo non poſſet ſpatium hoc ſublunare ea capere naturaliter. Hoc igitur ſuppoſito,ſolum poteſt eſſe quæſtio,an quodlibet poſſit immediatè conuerti in aliud ? Ita vt ex quocumque poſſit quodlibet ſine vllo medio generari;vel non immediatè in aliud elementum conuerti poſſit,ſed neceſſe ſit prius in mixtum:vt hoc medio in aliud elementum conuertatur,vt aqua prius in vapores, vel in aliud corpus mixtum conuertatur,quàm in ignẽ.Deinde illud corpus medium conuertatur in ignem, & ita aqua in eumdem ignem mediatè.

Et prima opinio negat vllum elementum poſſe immediatè 20
conuerti in aliud,ſed vt ex vno generetur aliud, neceſſarium eſſe,quod prius conuertatur in vaporem,aut exhalationem, vel aliud corpus mixtum, quod poſtmodum in elementum tranſeat.Huius opinionis meminit Toletus q. 8.huius lib.pro qua neminem refert.Probatur de elementis ſymbolis,in quibus facilior eſt tranſitus, & ideo euidens erit,quod ſi ex nullo elemento ſymbolo poteſt immediatè generari aliud,quod nec ex diſſymbolo poterit,& ideo ex nullo. Primo, quia omnia elementa ſymbola contraria ſunt ſecundum alteram qualitatem, quæ debet corrumpi per ſe ab alia;corruptio autem fit per alterationem ſucceſſiuam includentem actionem,& reactionem ſecundum eaſdem qualitates, vt ſuperius oſtendimus; ergo prius quàm corrumpatur vna qualitas ſecundum eum gradum, qui requiritur ad generationem alterius elementi, peruenire debet corruptio eius ad minorem gradum, & contraria qualitas alterius elementi,à quo corrumpitur,debet etiam remitti per repaſſionem : ergo attemperabuntur ad certum gradum,in quo erunt conuenientes diſpoſitiones pro forma alicuius 21
mixti, ſaltem imperfecti, & non requirentis omnes qualitates elementorum remiſſas, ſed duas tantum, & ita neceſſarium erit,quod prius elementum corrumpendum conuertatur in mixtum,quàm in aliud elementum,etiam ſymbolum.Secundo,in elementis ſymbolis extremis videtur efficacius probari, vt in aqua,& terra hoc modo. Terra cum ſit denſiſſima, non poteſt naturaliter conſeruari ſub ea raritate,quæ eſt minimum quod ſic raritatis requiſitæ ad generationem aëris, ſed prius quàm perueniat ad raritatem ignis, debet neceſſariò peruenire ad minimum raritatis aëris : ergo corrumpetur tunc, non in ignem, quia nondum habet raritatem ignis ſed in exhalationem aëri ſimilem, quæ ideo poſtulat ſimilem raritatem, & proinde nunquam poterit conuerti immediatè in ignem.

Secunda opinio eſt omnino contraria;quod ex quocumque 22
elemento

elemento poteſt fieri immediatè quodcumque aliud,ſiue ſymbolum,ſiue diſsymbolum.Ita Marſil.q.9.huius lib.Saxonia q.7. Nimphus comm.46.q.1.Toletus q.8. Conimbric in hoc 2.lib. c.4.q.1.art.2.& ex iunioribus plures. Probant primo expreſſo teſtimonio Ariſtotelis cap.4.huius lib. textu 24. vbi vniuerſaliter docet, & probat aduerſus antiquiores Philoſophos elementa omnia eſſe viciſſim tranſmutabilia; ita vt quodlibet poſſit ex quocumque generari, his verbis: *Quod autem omnia poſſint ad inuicem tranſmutari,manifeſtum eſt.Generatio enim inter contraria, & ex contrarijs: elementa autem omnia habent contrarietatem ad inuicem, &c.* Quod autem de immediata tranſmutatione loquatur,manifeſtum eſt,& ex ratione eius colligitur;nam elementa ait eſſe tranſmutabilia, quia ſunt contraria; ſed ſunt immediatè contraria, quia abſque vllo medio opponuntur ignis,& aqua,& aër,& terra:ergo ſunt immediatè trãſmutabilia, ita vt ſine vllo medio poſſit ex quocumque generari quoduis aliud,ſiue ſymbolum ſit vel diſsymbolum. Probatur deinde ratione,& experientia. Ratione quidem primo, quia ſi aqua non poteſt immediatè cõuerti in ignem, ideo erit, quia non poteſt tam cito conſumi humiditas eius,quàm frigiditas,ex eo quod calor ignis lõge actiuior eſt frigiditate aquæ. Vnde conſumpta frigiditate, & parua humiditate conuertitur prius in aërem. Sed hoc non obſtat,quia fieri poteſt, vt prius quàm ignis accedat ad agendum in aquam, ſit exiccata ab aliquo frigido,& ſicco, vt à terra;tunc ergo cito conſumi poterit ab igne parua illa humiditas in ea permanẽs,& ſiccitas à terra impreſſa augeri;& ideo ſimul erit diſpoſita materia aquæ per calorem,& ſiccitatem ſufficientem ad introductionem formæ
22 ignis:poteritq; in ignem proxime conuerti.Secundo,quia euidens eſt per actionem ignis in aquam generari vapores, ſicut per actionẽ eiuſdẽ in terram generantur exhalationes; ſed vapores non diſtinguntur ſubſtantialiter ab aqua, ſicut nec exhalationes à terra:& conuertuntur iſtæ immediatè in ignẽ per facilem inflãmationem,vt experientia eſt manifeſtum: ergo non poteſt negari,quod ex aqua fiat immediatè ignis. Experientia vero quia gutta aquæ in fornacem ignis ſparſa cõuertitur, non in aërem,ſed in ignem.

Tertia opinio eſt media inter has extremas affirmãs ex elemento ſymbolo immediatè generari aliud ſymbolum, ſed ex diſsymbolo non poſſe generari diſsymbolum,ſed prius tranſire in mixtum,vel elementũ ſymbolum,& hoc medio ſtatim poſſe generari diſsymbolum.Ita Themiſtius 5.lib.Phyſ.ad textum 9. Sotus 4.Phyſic.q.2.art.1.Valles ibidem cap.5.ad finem,& multi

ex recen

ex recentioribus. Quam ſententiam aſſerit Nimphus vbi ſupra eſſe doctiſſimorum virorum, videturque nobis probabilior, & nullo modo cõtraria doctrinæ Ariſtotelis. Vt autem eam probemus, præſupponẽdum eſt duobus modis in ſe inuicem agere elementa diſsymbola: primo, ita vt vtrumque corrumpatur, & tunc certum eſt non generari vnum ex altero immediatè, ſed vel elemẽtum ſymbolum, vel mixtum. Ita docuit expreſsè Ariſtoteles cap. 4. huius libri textu 27. his verbis: *Si autem vniuſcuiuſque alterum corruptum fuerit, facilis quidem erit, non autem in ſe inuicem tranſitus, ſed ex igne quidem, & aqua erit terra, & aër, ex aere vero, & terra ignis, & aqua, &c.* Secundo modo poſ- 23
ſunt applicari ad agendum, ita vt non corrumpatur vtrumque, ſed vnum ſit ſuperius, & corrumpat alterum. Et in caſu iſto conſiſtit tota difficultas quæſtionis, an ex tali corruptione alterius generetur alterum immediatè, vel neceſſe ſit tranſire in mixtum, vel in elementum ſymbolum: ex quo diſsymbolum generetur. Et ſecunda ſententia aſſerit immediatè poſſe generari; noſtra vero non poſſe naturaliter, ſed neceſſariò tranſire ad mixtum, vel ad elementum ſymbolum, vt ex eo generetur.

Probatur autem ratione, & experientia. Ratione quidem, quia vt corrumpatur aqua ab igne, neceſſe eſt, vtramque qualitatem eius, nempe frigiditatem, & humiditatem remitti prius vſque ad quatuor gradus, paulo plus, vel minus, quam totaliter expellantur, cum ſucceſſiuè expelli debeant; ſed non poſſunt remitti frigiditas, & humiditas aquæ, niſi per introductionem caloris, & ſiccitatis in eiſdem gradibus ergo neceſſe eſt, vt prius quam corrumpatur aqua, perueniat ad talem diſpoſitionem, in qua habeat omnes quatuor qualitates ad quandam mediocritatem attemperatas, quo pacto ſunt diſpoſitiones conueniente ad formam mixti: ideo neceſſe eſt hanc prius introduci in materia aquæ, quam formam ignis, pro qua introducenda multo magis deberet creſcere intenſio diſpoſitionum. Sed quia poſſet 24
quis dicere, multo fortius agere ignem per calorem, quàm per ſiccitatem, quia calor eſt actiuus in ſummo gradu; ſiccitas vero in infimo, & ideo in eodem tempore, quo producet vnum, vel duos gradus ſiccitatis in aqua, producet ſex gradus caloris; quæ non videntur efficere poſſe conueniens temperamentum pro forma mixti. Reſpondeo ſatis probabile hoc eſſe, & fortaſſis verum, ſed talis diſpoſitio conueniens eſt pro forma aëris, quia permanerent in materia aquæ cum ſex gradibus caloris ſex, vel ſeptem gradus humiditatis, & ideo non dicimus ex elemento diſsymbolo generari aliud diſsymbolum medio mixto prius genito, ſed medio mixto, vel elemento ſymbolo: & fortè hoc

ſecundum

ſecundum frequentius accidere iudicabimus, ſi conſideremus excеſſum actiuitatis inter duas qualitates contrarias, per quas vnum elementum diſsymbolum agit in aliud diſsymbolum.
25 Secundo, quia vniuerſaliter verum eſt non poſſe rem tranſire naturaliter de extremo ad extremum, niſi per medium, ſi ergo vna forma maximè diſtet ab alia ſecundum diſpoſitiones, quas poſtulat in materia, non poterit ad illã tranſire, niſi per aliam mediam illi ſimilem ſecundum eaſdem diſpoſitiones, vt videmus in ſemine, quod non poteſt tranſire immediatè in hominem, nec homo in terram propter maximam diſſimilitudinem diſpoſitionum; ſed illud tranſit media forma embrionis, homo verò in terram media forma cadaueris, quæ poſtulant diſpoſitiones ſimiles, & minus diſtantes; ſed elementa diſsymbola maximè diſtant, & valde ſunt diſſimilia ſecundum diſpoſitiones, quas exigunt in materia: ergo non poteſt naturaliter vnum tranſmutari in aliud immediatè, ſed per medium aliquod minus diſſimile, quale erit mixtum poſtulans temperamentum, quaſi mediũ, vel elementũ ſymbolum vtrique extremo ſimile.
26 Probatur deinde experientia, quia aquam etiam vehemẽter calefactam ab igne diu in eam agente videmus nunquam in ignem conuerti, ſed in vapores reſolui, & eodem modo continget in terra, & aëre; nam hæc per reſolutionem in exhalationes conſumitur ab illo: ergo euidens ſignum eſt nunquam ex elemẽto diſsymbolo generari immediatè aliud diſsymbolum, ſed in mixtum prius vel elementum ſymbolum tranſire. Sed reſpondebunt aduerſarij, vapores non eſſe corpora mixta, ſed elementum aquæ ſecundum ſubſtantiam, & exhalationes eſſe terram, & ideo potius hac experientia probari eorum ſententiam, quod diſsymbolum elementum immediatè tranſeat in aliud diſsymbolum Hoc tamen iam fuit à nobis ſuperius refutatum capite vltimo præcedentis libri, vbi probauimus vapores, & exhalationes mixta corpora eſſe, quamuis imperfecta. Et certè abſurdum videretur dicere, quod aqua, & terra (ex propria natura maxima grauitate præditæ) aſcendunt ſurſum motu naturali, ſicut videmus vapores, & exhalationes aſcendere, & in loco ſurſum detineri, nubeſque aquam eſſe formaliter, & ſubſtantialiter, & ſolum eis deficere quædam accidentia, vt condenſationem, vel quid ſimile, & ideo nec mutari ſubſtantialiter, dum conuertuntur in aquam, ſed ſolum alterari, & tamen ſi quodam facili vento diſſoluantur, neceſſariò concedendum eſt mutari ſubſtantialiter in aërem: valeat ergo ſolutio hæc tanquam parum probabilis.
27 Vt ſoluamus primum argumentum primæ opinionis, præ-

ſuppo

ſupponendum eſt tanquam certum, quod vt ex vno elemento ſymbolo generetur aliud, non ſic debent applicari, vt corrumpatur vtrumque, ſed vt vnum ſuperet alterum, & ita poſſit illud in ſe conuertere. Quo ſuppoſito, negandum eſt, quod aſſumitur in argumẽto, nempe prius peruenire materiam elementi corrumpendi ad diſpoſitiones conuenientes formæ mixti, quàm alterius elementi; immo oppoſitum eſt neceſſarium. Gratia exempli: ſi ignis agat in aërem per calorem, & ſiccitatem, neceſſe eſt calorem aëris fieri ſummum, & ſimul acquirere ſiccitatem, per quam expellatur eius humiditas; cum ſummo autem calore, & aliqua ſiccitate non poteſt generari vllum mixtum, cum conſtet has non eſſe diſpoſitiones temperatas, vel conuenientes formæ mixti, ſed creſcente ſiccitate, & alijs diſpoſitionibus cum ſummo calore introducetur forma eiuſdem ignis, & ita immediatè conuertetur in elementum ſymbolum.

Propter tertium argumentum tenent iuniores quidam elementum ſymbolum extremum non poſſe ex alio extremo ſymbolo immediatè generari, vt ignem ex terra, vel ex igne terram, ſed neceſſarium eſſe prius in mixtũ aliquod imperfectum, vel in aërem tranſire, & hoc medio in extremum elementum. 28 Omnes tamen auctores ſecundæ, & tertiæ opinionis tenent omnia eleméta ſymbola proximè trãſmutari poſſe in quoduis aliud ſymbolum, ſiue extremum ſit, vel medium. Et ita tenendum eſt, quia ratio efficaciter probat de omnibus, nam per actionem vnius in alterum poteſt illud, quod ſuperius eſt, inducere primariam diſpoſitionem requiſitam, & ſufficientem ad introductionem propriæ formæ in materia, nempe primam qualitatem ſibi propriam in gradu intenſionis requiſito, & ſufficiente, vt ignis ſummum calorem, aliam verò qualitatem vtrique communem continet aliud, quamuis ſecundum aliquem exceſſum. Nec prius peruenit materia ad diſpoſitiones mixti proprias, quàm ad has: ergo non eſt neceſſarium per formam mixti tranſire vnũ ex his elementis ad aliud, ſed immediatè poteſt in aliud conuerti, quod in igne, & terra ſic poteſt declarari. Nam ignis agit in terram per calorem expellendo frigiditatem eius, & cum ſucceſſiuè agat prius introducit tres, vel quatuor gradus caloris, totidemque frigiditatis remittit, ſed cũ ſummã adhuc retineat ſiccitatẽ terra, licèt habeat calorem, & frigiditatem temperatam, non erit materia eius conueniẽter diſpoſita ad formã mixti, quæ cum ſumma ſiccitate non poteſt introduci, & longè minus poſtquã ignis intendit caloré terræ impreſſum, vſque ad ſummũ, vel certè vſque ad gradum requiſitum, & ſufficientem pro introductione propriæ formæ,

ſed tunc

ſed tunc diſpoſita erit materia per calorem valde intenſum, & ſummam ſiccitatem, quæ ſunt conuenientes diſpoſitiones ad formam ignis, ſolum habentes aliquem exceſſum ſiccitatis, quod non impedit introductionem formæ. Quare non eſt neceſſarium extremum elementum ſymbolum prius tranſire ad mixtum, quàm ad aliud elementum ſymbolum, etiam extremum, ſed immediatè poteſt in hoc tranſire

29 Neque argumentum illud probat oppoſitum. Quod vt melius intelligatur, adnotandum eſt diſpoſitiones requiſitas ad ad introductionem formæ eſſe in duplici differentia; nam quędam ſunt primariæ, nempe illæ, per quas proximè, & formaliter expelluntur diſpoſitiones formæ oppoſitæ; tales ſunt qualitates primæ in elementis, per quas proximè expelluntur oppoſitæ, vt primariæ diſpoſitiones pro forma ignis ſunt calor ſummus, aut valde intenſus, & prope ſumma ſiccitas, & ex his ea cenſetur principalior, quam elementum poſtulat in ſummo gradu. Aliæ ſunt ſecundariæ, quæ ex tali coniunctione illarum ſequuntur, & ideo vocantur qualitates ſecundæ, vt in elementis raritas, & denſitas, grauitas, & leuitas. Quamuis autem requirantur diſpoſitiones primariæ, & ſecundariæ ad introductionem formæ elementaris, ſed præcipuè primariæ; quæ ſi adſint, introducetur forma, non quidem omnino ſine ſecundarijs, ſed bene cum aliquo gradu illarum, qui non eſt adeo determinatus, ſicut in primarijs diſpoſitionibus. Et hoc quidem iudicandum eſt ſecundum aliam diſtinctionem, nam elementa, atque etiam cætera corpora naturalia duplicem ſtatum eſſendi habent, vnum ſibi commodum, quod poſſumus vocare omnino naturalem; alterum incommodum, & magna ex parte violentum, quia patiuntur in eo cõtrarias diſpoſitiones. Et dum in ſtatu naturali ſunt, certum poſtulant gradum vtriuſque diſpoſitionis tam primariæ, quam ſecundariæ, ſed in ſtatu violento cum longe minori conſeruari poſſunt; & eodem modo poſſunt generari in vno, vel alio ſtatu ſecundum exigentiam formæ contrariæ expellendæ, & diſpoſitionum eius. Et ſi generentur in ſtatu commodo, requirunt certum gradum diſpoſitionũ ad introductionem formæ; ſi vero in ſtatu violento, cum multo minori diſpoſitione poteſt forma introduci. Vnde ſequitur, quod licèt forma
30 ignis requirat ad ſui introductionem in ſtatu naturali maiorem leuitatem, quam forma aëris, etiam in ſtatu naturali, atque etiam in ſtatu violento requirat maiorem, quàm eadem aëris in eodem ſtatu violento: poteſt tamen eadem forma ignis introduci cum multo minori raritate, quàm poſtulet forma aëris ad ſui introductionem in ſtatu naturali. Et par eſt ratio de

cæteris

Digitized by Google

cæteris elementis ſecundum proportionem,atque etiam de cæteris diſpoſitionibus iuxta primam diſtinctionem primariæ, & ſecundariæ diſpoſitionis. Et ex hoc patet iam ſolutio argumenti. Diſtinguenda eſt enim maior, quod neceſſe ſit terram prius peruenire ad leuitatem aëris,quàm conuertatur in ignem; nam ſi intelligatur de leuitate, quam requirit forma aëris ad ſui introductionem in ſtatu naturali, neganda eſt, ſi verò de leuitate requiſita,& ſufficiente ad introductionem eiuſdem formæ aëris in ſtatu violento, concedenda, quia terra dum ad talem peruenit leuitatem,in ſtatu violento eſt;talis autem leuitas longè minor eſt leuitate eiuſdem aëris in ſtatu naturali, & tamen ſufficiens,vt introducatur forma ignis in eodem ſtatu violento,quia adſunt aliæ diſpoſitiones ignis, & non aëris; & ideo potius introducitur in materia terræ cum illa leuitate forma ignis, quàm aëris.

Ad teſtimonium Ariſtotelis pro ſecunda opinione adductum reſpondeo, intentum eius in his capitibus ſolum eſſe probare aduerſus antiquiores Philoſophos, quod elementa omnia ſunt tranſmutabilia ſecundum ſubſtantiam, ita vt corrumpi poſſint, & ex eis alia generari,non ſolum mixta,quod probauerat capite vltimo primi libri, ſed etiam alia elementa, quod verò immediatè, vel medio alio corpore prius ex eis genito, quod tandem poteſt in elementum conuerti, non fuit neceſſarium explicare, aut probare, & ideo nec verbum de immediatione locutus eſt. 31

Sed aduerſus hanc expoſitionem poteſt argui hoc modo. Ariſtoteles cap. 4. huius libri docuit tranſitum inter elementa ſymbola faciliorem eſſe, quam inter diſſymbola, quia pauciora corrumpuntur, nempe vna ſola qualitas ex ſingulis, difficiliorem verò inter diſſymbola, quia plura corrumpi debent, nempe vtraque qualitas ſingulorum,quia ſecundum vtramque contrariantur. Sed hoc diſcrimen non habet locum, niſi detur immediatus tranſitus inter diſſymbola:ergo ex mente eius dari debet. Probatur minor,quia æqua facilitate fit tranſitus inter diſſymbola per mixtum,vel ſymbolum elementum, ac inter ſymbola: ergo non habet locum talis differentia. Probatur antecedens, quia ad talem tranſitum ſolum debet corrumpi vna qualitas ex ſingulis,vt ex igne ſiccitas, & ex aqua frigiditas, & generabitur aër calidus,& humidus, vel mixtum, ita ergo eſt facilis mediatus iſte tranſitus inter diſſymbola,ac immediatus inter ſymbola. Reſpondeo,tranſitum inter elementa diſſymbola non ſolum includere generationem mixti imperfecti,vel elementi ſymboli,quo medio vnũ tranſit in alterum, & corruptionem eiuſdem 32

elementi diſſymboli, ex quo debet generari; ſed etiam corruptionem eiuſdem medij, & generationem elementi diſſymboli ex eo. Ad corruptionem verò vtriuſque, nempe diſſymboli, ex quo fit generatio alterius diſſymboli, & medij, per quod fit tranſitus, & generationem alterius diſſymboli, neceſſe eſt vtramque qualitatem corrumpi, & ideo difficilior ſemper eſt tranſitus. Nec infertur bene ex ratione Ariſtotelis, *elementa* ſunt tranſmutabilia, quia ſunt contraria, ſed ſunt *immediatè* contraria: ergo immediatè tranſmutabilia, quin potius ex eo, quod ſunt per extremum contraria, & ideo extrema maximè diſtantia omni ex parte, non poſſunt eſſe immediatè tranſmutabilia inter ſe, ſed neceſſe eſt prius ad medium aliquod perueniat materia cuiuſcumque ſecundum diſpoſitiones, quàm tranſeat ad diſpoſitiones, & formam alterius.

33 Ad primum argumentum neganda eſt maior, quod illa ſit cauſa ob quam non poſſit generari proximè ignis ex aqua, ſed alia longè diuerſa, quam attulimus probantes noſtram ſententiam.

Ad ſecundum conceſſa maiori, quod ex aqua priuſquam corrumpatur omnino, generentur vapores ab igne, ſicut producuntur exhalationes ex terra; neganda eſt minor, quod vapores ſint ſubſtantialiter aqua, aut exhalationes ſint ſubſtantialiter terra, ſed ſunt mixta quædam imperfecta, vt in primo libro ex profeſſo probauimus.

QVÆSTIO II.

An facilior ſit tranſitus inter elementa ſymbola, quàm inter diſſymbola?

34 EXpreſſa eſt in hac re ſententia Ariſtotelis capit. 4. huius libri textu 27. vbi aſſerit elementa ſymbola facilius tranſmutari, quàm diſſymbola, quod probauit hoc argumento. Tranſitus ab vno ad aliud extremum, eo eſt facilior, quo pauciora ſunt vincenda impedimenta ad eum perficiendum, & eo redditur difficilior, quo plura extant impedimenta; ſed tranſitus inter elementa ſymbola pauciora habet impedimenta vincenda, & tranſitus inter diſſymbola habet plura: ergo facilior illè eſt, & difficilior iſte. Minorem probat, quia vt ex vno elemento ſymbolo generetur aliud, vna tantum qualitas neceſſariò corrumpenda eſt, in qua contrariantur, nam in altera conueniunt, quæ ideo non debet, nec poteſt corrumpi, cum non ſit

non sit contrarium, à quo corrumpatur; transitus verò inter dissymbola duas habet qualitates contrarias impedientes, & ideò necessariò corrumpendas: plura igitur habet impedimenta necessariò superanda, vt fiat; & propterea difficilior est, sed facilior alter.

Sed hæc sententia Aristotelis videtur falsa, & ratio eius friuola. Probatur primum, quia elementa ideo sunt transmutabilia, quia contraria, vt docuit idemmet Aristoteles eodem capite 4. aduersus antiquiores Philosophos: ergo quo magis sunt contraria, magis erunt transmutabilia, & consequenter facilius; sed euidens est dissymbola esse magis contraria, cum contrarientur secundum vtramque qualitatem: ergo erunt magis, ac facilius transmutabilia. Quare facilior erit transitus inter ea, quam inter symbola. Secundo, quia in generatione terræ ex aqua, terra agit in aquam per solam siccitatem parum actiuam: in generatione verò ignis ex eadem aqua agit ignis, non solum per siccitatem, sed per calorem maximè actiuum: ergo citius, atque facilius conuertet ignis aquam in se, quàm terra eandem aquam in se, & ideo facilior, & breuior erit transitus inter elementa dissymbola, quàm inter symbola. Probatur secun- 35
dum, quia non est difficilius corrumpi duplicem qualitatem à duplici agente contrario, quàm vnam ab vno; sed in transitu elementi dissymboli corrumpuntur duæ qualitates à duobus agentibus, & in transitu elementi symboli vna ab vno: ergo æquè faciles, vel difficiles erunt. Antecedens probatur, quia si duplicatur effectus, vel difficultas impedimenti vincendi ex parte passi, duplicatur etiam virtus actiua ex parte agentis, per quam duplicatus effectus sine maiori difficultate producetur. Quare non est intelligibilis maior difficultas in vno, quàm in alio.

Argumenta hæc satis difficilia, varias, atque diuersas opiniones excitarunt inter authores circa modum defendendi sententiam Aristotelis. Non tamen referam omnes, sed eas tantum, quæ sunt alicuius momenti; & prima asserit faciliorem esse transitum inter elementa symbola, & difficiliorem inter dissymbola, quia illa immediatè transmutantur; hæc verò non, nisi prius conuertantur in mixtum, vel elementum symbolum. Vnde conuersio horum duplicem includit transitum, nempe elementi dissymboli in corpus medium, & huius in aliud dissymbolum, notum est autem conuersionem duorum corporum difficiliorem esse conuersione vnius, & prolixiorem, & ideo transitus inter dissymbola vtroque sensu est difficilior, vt docuit

Aristoteles. Ita recentiores quidam interpretes. Sed hic modus dicendi in primis non potest esse ad mentem Aristotelis; quod
35 sic probo. Aristoteles ideo dixit transitum inter elementa dissymbola difficiliorem esse, quia plura debent vinci impedimenta, nempe plures qualitates contrariæ corrumpi, pauciores verò in transitu elementi symboli, non quia immediatus sit vnus, & mediatus alter, vel quia vnam, vel plures includat conuersiones corporum: ergo aliena est hæc sententia ab eius mente. Et præterea non soluit argumentum in principio factum, quia duo agentia maioris virtutis, videlicet duæ qualitates contrariæ, per quas agit elementum dissymbolum in aliud dissymbolum, breuiori tempore, vel saltem in eodem possunt transmutare duo corpora, ac vnum agens transmutat vnum corpus, nempe elementum symbolum in aliud symbolum per vnam tantum qualitatem.

37 Ideo secunda opinio tenet faciliorem esse transitum inter elementa symbola, quia vna illa qualitas contraria elementi symboli minus resistit alteri elemento symbolo agenti per alteram ei contrariam propter coniunctionem cum alia qualitate, in qua conueniunt. Gratia exempli: humiditas aëris propter coniunctionem cum calore, in quo conuenit cum igne, minus resistit siccitati eiusdem ignis, quàm humiditas aquæ coniuncta cum frigiditate contraria calori eiusdem ignis, & ideo facilius, ac breuius conuertit ignis in se aërem, quàm aquam, & eadem est ratio de cæteris elementis symbolis, atque dissymbolis. Ita Toletus quæst. 9. huius libri, vbi pro se citat Diuum Thomam in Comentariis 4. capitis; immerito tamen, quia verba Diui Thomæ valdè diuersa sunt ab hoc sensu. Asserit enim faciliorem esse transitum inter symbola, quia qualitas, in qua conueniunt, non resistit, in dissymbolo verò resistit vtraque qualitas contraria. Hic etiam modus dicendi non est ad mentem Aristotelis, quod sic probo. Aristoteles ideo asserit transitum inter symbola faciliorem esse, quia pauciora corrumpuntur, hoc est in symbolo vna, & in dissymbolo duæ: sed quod illa vna in symbolo plus, vel minus resistat, non est plura, vel pauciora corrumpi, nec aliquid efficit ad corruptionem plurium, vel pauciorum: nec si minus resistat, verum est pauciora corrumpi, nec minus esset verum, si plus, vel æqualiter resisteret: ergo hæc minor resistentia, quæ pro ratione
38 affertur, aliena est à mente, & ratione Aristotelis. Sed probatur quod sit falsa, quia qualitas illa, per quàm resistit elementum symbolum, non solum est ei naturalis, sed naturaliter coniungitur cum alia, in qua conuenit cum alio elemento symbolo,

ſymbolo, & ſæpe eſt principalis, hoc eſt per ſe primo, atque in ſummo gradu conueniens tali elemento: ergo ſicut habet in eo eandem vim agendi, immo & maiorem, quàm in alio, in quo coniungitur cum qualitate contraria eidem elemento, ita habet eandem, aut maiorem reſiſtentiam, præſertim cum coniuncta eſſe ſoleat cum maiori denſitate. Gratia exempli: ſi aqua agat in terram, non minus reſiſtet ei ſiccitas terræ, quàm reſiſteret ſiccitas ignis, ſi in eum ageret, quia intenſior eſt in terra, quàm in igne, & coniuncta cum ſumma denſitate, & magis naturalis eſt terræ, quàm igni; cum per prius ei conueniat, igni vero ſecundariò.

Tertia opinio diſtinguit faciliorem aut difficiliorem tranſi- 39
tum hoc modo. Tranſitus in duplici ſenſu poteſt vocari facilior, vel difficilior: in primo quidem, prout facilior idem ſit, quod breuior, aut velocior, vel in minori tempore factus. In ſecundo verò, ita vt facilior non ſit idem, quod breuior, ſed idem, quod cum minori difficultate factus, & iuxta hanc diſtinctionem dupliciter poteſt intelligi, quod tranſitus inter elementa ſymbola facilior, aut inter ſymbola difficilior ſit in primo, vel in ſecundo ſenſu. Et ſi in primo ſenſu intelligatur pro breuiori, non eſt verum: ſi verò intelligatur in ſecundo ſenſu, verum eſt eſſe faciliorem, quia cum minori difficultate factus, & ſic debet intelligi opinio Ariſtotelis, quia in alio ſenſu non poteſt eſſe vera, nec oportet ad alium ſenſum eam reducere. Ita Marſ. q. 10. huius lib. Saxon. q. 8. Nimphus Cõmen. 46. q. 2. & in recognitione eiuſdem Commenti, vbi eam tribuit Philoppono aſſerenti hunc ſenſum valdè conſentaneum eſſe textui Græco. Probant primo hunc eſſe ſenſum Ariſtotelis ex ratione, qua id probauit. Nam plura, vel pauciora eſſe corrumpenda in vno, vel alio tranſitus, ſolum poteſt ſignificare maiorem, vel minorem difficultatem eius, non maiorem vel minorem breuitatem temporis. Deinde ratione, quia ſi vnum aliquod ſpa- 40
tium percurrendum aſperum ſit, aliaque habeat impedimenta; aliud verò planius, minoraque impedimenta habeat, bene quidem ſequitur difficilius eſſe pertranſire illud, quàm hoc, & ideo tranſitum illius difficiliorem eſſe, huius verò faciliorem, quia plures ſunt difficultates vincendæ in illo, pauciores in hoc. Non tamen ſequitur hunc fieri neceſſariò in minori tempore, ille verò in maiori, vel longiori: ergo licet ſequatur tranſitum inter elementa ſymbola faciliorem eſſe, quàm inter diſſymbola, quia plures qualitates contrariæ ad illum perficiendum neceſſariò debent corrumpi, pauciores verò ad perficiendum hunc, non ſequitur faciliorem, hoc eſt breuiorem eſſe.

Probatur minor, nam cætera patent, quia ſpatium illud aſperum, poterit homo maiori agilitate prædituſ velocius percurrere, & proinde tranſitu breuiori, quia plures difficultates breuiori tempore vincet, quàm multo minorem habens agilitatem: ergo cum elementum diſſymbolum agens in aliud diſſymbolum ſit agens maioris virtutis, cum agat per duas qualitates, & alteram aliquando ſummæ actiuitatis, & ſemper ſummæ intenſionis, ſequitur poſſe in minori tempore, vel ſaltem in eodem corrumpere vtramque qualitatem reſiſtentem, quàm elementum ſymbolum minoris longè virtutis ad agendum, vnam qualitatem reſiſtentem. Quare non poteſt eſſe vera opinio Ariſtotelis de tranſitu faciliori pro breuiori.

41 Noſtra tamen ſententia eſt huic oppoſita, quod tranſitus inter elementa ſymbola in vtroque ſenſu facilior ſit ex natura rei, & ideo ſemper, & neceſſariò, ita vt non ſolum cum minori difficultate fiat, ſed etiam breuiori tempore. Hæc eſt expreſſa apud Ariſtotelem, quia in vtraque tràníatione expreſsè habetur vtrumque verbum, nempe facilius, atque velocius. Ita enim habentur verba in antiqua. *Differt autem in citius, & tardius, & facilius, ac difficilius; quæcumque enim habent ſymbolum ad inuicem: velox horum eſt tranſmutatio, quæcumque autem non habent, tarda.* Alia verò tranſlatio ita habet. *Differunt tamen celerius, & tardius, item facilius, difficiliuſque, alia aliis tranſmutationem ſubeunt.* Immo in textu Græco habetur exprſsè vtrumque verbum; dicitur enim θᾶττον, quod eſt celerius, & ῥᾴον, quod eſt facilius. Ita etiam ſentit Diuus Thomas in commentariis eorumdem verborum. Ita Toletus, licet alia ratione eam defendat, quam refutauimus, & plures recentiores. Probatur autem opinione ratione D. Thomæ vbi ſupra, quia qualitates elementorum oriuntur à formis ſubſtantialibus eorum: illa ergo elementa, quæ maiorem habent conuenientiam in qualitatibus, habent etiam maiorem conuenientiam in formis ſubſtantialibus, & conſequenter in diſpoſitionibus requiſitis in materia ad introductionem: & huiuſmodi ſunt elementa ſymbola, vt per ſe
42 eſt manifeſtum. Vnde ſequitur materiam vtriuſque ſimiles præhabere diſpoſitiones magna ex parte ad recipiendam formam alterius; ſed in materia præhabente ſimiles diſpoſitiones alicui formæ, minor gradus ſufficit illius diſpoſitionis, quæ deficit, atque contraria eſt, vt introducatur talis forma, & ideo facilius, ac velocius introducitur in ea, quàm in alia præhabente omnino diſſimiles, atque contrarias diſpoſitiones, etiam ab agente minoris virtutis: ergo facilior, & breuior erit tranſitus inter elementa ſymbola, quàm inter diſſymbola. Probatur

conſe

conſequentia, quia illa præhabet ſimiles diſpoſitiones, hæc vero prorſus diſſimiles, & omnino contrarias; quæ ideo facilius, ac breuius introducetur. Quod hoc exemplo declarari poteſt, vt vis argumenti melius percipiatur. Calor, qui eſt in ferro candente, non ſufficit ad introductionem formæ ignis in materia eius, & minor ſufficiet ad eam introducendam in materia ſtupæ, quod patet euidenter, cum idem calor ferri ſufficiens ſit ad introducendam eandem formam ignis in ſtupa, & ratio huius differentiæ non poteſt eſſe alia, quàm quæ ex parte diſpoſitionum, quæ præhabentur in materia, ſumitur; nam in ferro eſt frigiditas maxima cum maxima denſitate, atque etiam aliqua humiditas: quæ omnes contrariæ ſunt diſpoſitionibus ignis; in ſtupa verò dantur ſiccitas, raritas, & aliæ, quę ſimiles ſunt diſpoſitionibus eiuſdem ignis: & propterea cum minori calore, & facilius, ac velocius introducitur in eam forma ignis, quàm in materia ferri, & ita contingit in elementis ſymbolis, atque diſſymbolis; nam aër præhabet plures diſpoſitiones ſimiles diſpoſitionibus ignis, nempe calorem, raritatem, leuitatem, &c. quibus caret omnino aqua, immo præhabet omnes contrarias, & 43
ideo neceſſe eſt, vt ſiccitas, quæ deficit, in minori gradu ſufficiat; atque etiam parua illa intenſio caloris, & raritatis, ac leuitatis, & ideo facilius, ac breuiori tempore producantur, etiam ab vno ſolo agente, & introducatur forma. Elementum verò diſſymbolum præhabet omnes diſpoſitiones, non ſolum diuerſas, ſed omnino contrarias, per quas materia eius valde inepta eſt ad recipiendum proprias elementi diſſymboli, vt aqua habet non ſolum frigiditatem ſummam, & prope ſummam humiditatem, ſed denſitatem magnam; ratione cuius fortius reſiſtit diſpoſitionibus ignis, & propter hanc ineptitudinem materiæ maiorem intenſionem contrariarum qualitatum debet imprimere ignis in aquam ad introductionem propriæ formæ, & hinc fit, vt etiam per vtramque qualitatem operetur, non ſolum difficilius propter plura contraria corrumpenda, ſed tardius propter maximam indiſpoſitionem materiæ ex eiſdem contrariis qualitatibus, & aliis reſultantem.

Secundò probatur, quia ſummum ſummo modo difficilius 44
vincitur, quam non ſummum, vel quam ſummum, non tamen ſummo modo, ſed vt ignis fiat ex aqua, vincenda eſt ſumma frigiditas aquæ, & ſummo modo, hoc eſt per productionem caloris ſecundum ſammam intenſionem, vel certe paulo minorem, vt autem fiat ex aëre, non eſt vincendum ſummum ſummo modo, nec etiam per tantam intenſionē oppoſitæ qualitatis, ſed per longe minorē, quia ignis non requirit ſummam ſiccitatem, ſed

igitized by Google

prope ſummam, & cum minori adhuc gradu intenſionis introduci poteſt forma propter ſimiles diſpoſitiones, quas reperit in materia,& ideo non ſolum facilius,ſed breuiori tempore.Vnde in vtroque ſenſu, quem exprimunt verba Ariſtotelis, vera eſt eius ſententia.

45 Ad primum argumentum in principio propoſitum concedendum eſt antecedens, quod probauerit Ariſtoteles poſſibilem eſſe tranſmutationem inter quæcunque elementa, quia omnia ſunt contraria;ſed neganda conſequentia, quod vbi maior eſt contrarietas,facilior ſit tranſmutatio, quia licet contrarietas ex vna parte ſit neceſſaria ad actionem, & paſſionem, ac tranſmutationem, ex alia vero continet repugnantiam inter formas,& diſpoſitiones; ratione cuius illæ agunt,vt eas expellant,& iſtæ reſiſtunt,ne expellantur, & reſiſtentia hæc retardat actionem, & tranſmutationem, & quo maior eſt contrarietas magis;& hinc fit tranſitus difficilior, atque prolixior inter elementa diſſymbola propter maiorem contrarietatem,& facilior ac breuior inter ſymbola propter minorem.

46 Ad ſecundum diſtinguendum eſt antecedens, quod non ſit difficilius expelli duo contraria à duobus contrariis agentibus, quàm vnum ab vno ſolo agente; nam vbi cætera ſunt paria, hoc eſt ſi eodem prorſus modo ſe habeant in omnibus, vnum, & duo ex parte agentis, & paſſi, verum eſt;non tamen ſi ſint diſparia, quia diuerſo modo ſe habent, & ita contingit in propoſito. Nam vt ignis conuertat in ſe aërem, ſola ſiccitas debet vincere humiditatem eius,licet ſummam;non tamen debet eam vincere ſummo modo, ſed longè inferiori eam vincere ſufficit: nam cum materia aëris præhabeat plures gradus caloris,quos in inſtanti intendit ignis vſque ad ſummum nullum contrarium inueniens, præhabeat etiam magnam raritatem, minor intenſio ſiccitatis ſufficit ad introductionem formæ ignis in materia affecta ſimilibus diſpoſitionibus:aqua verò nullam diſpoſitionem ſimilem præhabet in materia,ſed omnes diſſimiles, atque contrarias, & præterea frigiditatem aquæ debet vincere calor ſummo ferè modo, quia in materia ſic incepta maior intenſio caloris requiritur ad introductionem formæ, atque etiam ſiccitas eadem ratione debet in ſuo genere perfectius vincere humiditatem aquæ, quia propter indiſpoſitionem materiæ maior intenſio eius requiritur ad introductionem formæ; denſitas etiam aquæ iuuans reſiſtentiam frigiditatis, & humiditatis ex parte ſua retardat victoriam, quæ
47 ideo difficilior eſt,& tardius cõſequenda.Ariſtoteles verò,dum probauit faciliorem eſſe tranſitum inter elementa ſymbola, quia

quia pauciora corrumpantur, nempe vna sola qualitas, intelligit plane pauciora illa, vel plura corrumpenda, vt se habent naturaliter in elementis, in quibus non sunt cætera paria modo explicato, & ideo ratio eius efficaciter probat, non solum esse faciliorem ex eo, quod cum minori difficultate fiat, sed etiam quia velociorem, vel breuiori tempore necessariò efficiendum. Quod verò vtraque etiam qualitas corrumpenda sit in symbolis: nihil obstat, quia vna tantum per se, alia per accidens: corruptio verò per accidens nullam penitus difficultatem addit, & ideo nec Aristoteles vllam mentionem eius fecit, sed absolutè in sua ratione asseruit pauciora esse corrumpenda in transitu elementi symboli, quod patet intelligi de corruptione per se: hæc enim sola deseruire poterat ad intentum probandum.

Ad tertium concedendum est antecedens, quod ignis ad conuertendum in se aërem agit per solam siccitatem parum actiuam, & ad conuertendum ignem per calorem maximè actiuum: sed neganda est consequentia, quod citius, atque facilius conuertat in se aquam, quàm aërem, quia obstat maxima ineptitudo, atque indispositio materiæ aquæ, à qua plus retardatur conuersio, quàm iuuetur ab excessu actiuitatis eiusdem caloris.

Ad testimonium Aristotelis pro secunda opinione adductum iam responsum est, probare quidem transitum inter symbola faciliorem esse, quia pauciora corrumpuntur, loquens de qualitatibus corrumpendis, vt sunt in elementis, quo pacto non solum pauciores qualitates corrumpuntur, sed breuiori tempore, vt probauimus. Ad argumentum verò concedendum est antecedens, posse dari transitum difficiliorem in eodem tempore factum, non tamen in elementis; in quibus propter modum, quo superantur impedimenta, necessarium est, sicut difficiliorem, ita prolixiorem esse transitum inter dissymbola, vt iam fuit explicatum.

QVÆSTIO III.

An vnum elementum possit producere aliud specie à se diuersum.

VNum præsupponit quæstio tanquam certum, & ab Aristot. superius probatum, & aliud tanquam dubium quærit. Præsupponit quidem quodlibet elementum posse generare aliud sibi simile in specie, vt ignis ignem, & aër aërem, sicque de cæteris. 49

Digitized by Google

Et inquirit,an possit quodlibet elementum generare,vel producere aliud specie à se distinctum, vt ignis aërem, aut aquam; & hæc ignem,vel terram,& id quidem tanquam causa efficiens eius ; sicut potest generare aliud sibi simile in specie. Et prima opinio affirmat posse.Quam videtur tenere Tolet.q.8.huius libri ante primam conclusionem. Probatur testimonio Arist. & ratione.Arist.enim.c.4.huius libri asseruit, & probauit elemẽta omnia esse transmutabilia,non solum ab aliis corporibus,sed à se inuicem ; ita vt quodlibet possit ex quocunque generari , & concludens sententiam hanc text. 26. eiusdem capitis , ita ait: *Quapropter manifestum est,quod circularis erit generatio in simplicibus corporibus.* Sentit ergo quodlibet posse generare aliud, & ab eo generari;sed generans aliud est causa efficiens eius : ergo ex mente eius tanquam causa efficiẽs potest quodlibet indifferenter producere aliud,non solum eiusdem,sed diuersæ speciei.

50 Probatur deinde ratione. Primo. Quatuor primæ qualitates sunt quasi semina elementorum , quia sicut virtus seminis inducit formam viuentis , sic istæ qualitates inducunt formas elementorum:ergo omne illud, quod potest inducere has qualitates potest etiam inducere formas substantiales eorum , sed quodlibet elementũ potest producere vnam saltem qualitatem alterius elementi specie à se distincti , vt ignis siccitatem , quæ est virtus terræ,& aër calorem,qui est virtus ignis : ergo consequenter poterit idem elementum producere.Secundo,quia Aristoteles 1.lib.Metheo.summa 4.cap.1.asserit ex aëre intra cauitates terræ detento generari aquam,& causam huius generationis esse terram,quæ sua frigiditate destruit calorem aëris,& inducit frigiditatem sufficientem ad introductionẽ formæ aquæ; sed non potest esse terra causa tantum materialis talis generationis:ergo tanquam efficiens generat aquam specie à se distinctam.Probatur minor,quia frigiditas summa est propria virtus aquæ : ergo quod producit eam efficienter, censetur producere efficienter aquam ; sed terra producit efficienter intensam frigiditatem in materia aëris,ad quam sequitur introductio formæ aëris , & generatio eiusdem : ergo est causa efficiens aëris

51 specie à se diuersi. Præterea non datur ibi alia causa efficiens aquæ ex aëre genitæ , præter terram effectiuè inducentem vltimam dispositionem : ergo illi debet tribui talis effectus,tanquam causæ efficienti,& non solum materiali. Probatur tertio, quia maiorem virtutem habet vnum elementum ad producendum aliud,quàm mixtum,præsertim infimi ordinis,qualia sunt fœtum , & lapis , sed hæc possunt producere elementum ignis, quod cõstat specie differre ab eis:ergo à fortiori poterit vnum

elemen

Digitized by Google

elementum producere aliud ſpecie à ſe diuerſum.Probatur minor, quia per colliſionem ferri, & ſilicis generatur ignis, qui non poteſt tribui alteri tanquam efficienti,cum nihil ibi reperiatur, à quo poſſit ignis generari:niſi velis recurrere ad cauſas vniuerſales,quod videtur abſurdum.

Noſtra ſententia oppoſita eſt, & tria aſſerit. Primum eſt, 52
quod nullum elementum poſſit producere aliud ſpecie à ſe diſtinctum tanquam cauſa efficiens per ſe. Probatur primo, quia vnum elementum non poteſt producere aliud ſpecie diſtinctum tanquam cauſa vniuoca, neque tanquam cauſa æquiuoca:ergo non poteſt eſſe cauſa efficiens eius. Euidens eſt conſequentia, quia cauſa efficiens adæquatè diuiditur in vniuocam, & æquiuocam ſecundum communem conſenſum totius ſcholæ.Antecedens etiam per ſe notum eſt de cauſa vniuoca, quia hæc ſolum ſe extendit ad productionem effectus eiuſdem ſpeciei. Probatur autem de æquiuoca,quia cauſa æquiuoca duo habere debet reſpectu effectus.Primum,quod ſit eſſentialiter eo perfectior. Secundum, quod eum contineat eminenter. Et ex primo ſequitur euidenter,quod elementa minus perfecta non poſſunt eſſe cauſæ æquiuocæ elementi perfectioris, vt terra reſpectu ignis,ſicque de reliquis imperfectionibus. Ex ſecundo verò ſequitur,quod etiam perfectiora non poſſint eſſe cauſa æquiuoca imperfectorum. Probatur conſequentia,quia non continent ea eminenter,vt ignis non continet terram,neque aquam, vt ex duobus conuinci poteſt.Primo ex parte formæ ſubſtantialis cuiuſlibet elementi perfectioris, quæ particularis eſt, & limitata ad propriam ſpeciem,vt cætera corpora ſublunaria,etiam longè perfectiora elementis,quę licet perfectiora ſint aliis corporibus inferioris ordinis,vt homo perfectior cæteris animalibus, nullum tamen continent eminenter,neque producere poſſunt;quia continere eminenter inferiora corpora ſolum conuenit vniuerſalibus corporibus,vt cœleſtibus,à quibus ideo produci poſſunt. Secundo,ex parte diſpoſitionum, quia euidens eſt nullam cauſam efficientem poſſe producere formam, vel educere eam de potentia materiæ, niſi poſſit materiam ſufficienter diſponere pro tali forma in ea introducenda; ſed nullum elementum poteſt inducere in materiam diſpoſitiones ſufficientes pro forma alterius ſpecie à ſe diuerſi introducenda:ergo euidens eſt, non poſſe illud producere tanquam cauſam eius efficientem. Pro- 53
batur minor, quia nullum elementum continet diſpoſitiones ſufficientes alterius ſpecie diuerſi: ergo non poteſt materiam diſponere pro forma eius recipienda.

Aſſerit ſecundo noſtra ſententia; quod nec duo elementa

poſſi.it

possint esse causa efficiens per se elementi tertij, quod de duobus elementis symbolis docuit expresse Arist.c.4. & est per se euidens. Nam cum conueniant in vna qualitate: & in duabus alijs contrarientur,vel corrumpitur illa;in qua cõueniunt, & remanent duæ contrariæ,& tunc nullum generabitur elementum,quia ex contrarijs qualitatibus constare non potest, vel corrũpuntur duæ contrariæ,& remanet cõmunis, ex qua minus potest constare elementum, quod ex duabus saltẽ constare debet. Quod verò non possit ex duobus elementis dissymbolis generari tertium,probatur eisdem ferè rationibus. Prima,quia nullũ ex his elementis continet eminenter aliud specie à se diuersum;ergo nec vtrũque simul potest illud continere.Antecedens iam probauimus. Consequentia verò sic probanda est. Primo, duo elementa simul concurrentia non efficiunt vnum tertium per se substantialiter perfectius singulis eminenter aliquid continens,quod non continerent singula per se:ergo nec possunt tertiũ elementũ effectiuè producere. Secũdo,quia nullum corpus potest continere aliud eminenter,nisi ratione eminentioris formæ; sed constat duo elementa simul sumpta non habere eminentiorẽ formam, sed duas tantum eiusdem ordinis:ergo non possunt eminenter continere aliud elementum specie distinctum ab vtroque,neque illud producere. Et si dicatur posse illud producere tanquam partiales causæ:ita vt singula disponant materiam secundum vtramque qualitatem
54 requisitam,& ideo sufficienter disponatur ab vtroque. Probo hoc esse falsum.Primo,quia tales dispositiones non producuntur per se in ordine ad formam tertij, sed ad proprias: forma vero tertij per accidẽs sequitur:ergo non sunt causa per se. Secundo, quia formam elementi generandi in materia introductam naturaliter, & necessariò sequitur qualitas in summo gradu,vt formæ aëris summa humiditas,sed talẽ qualitatem in summo gradu neque continent, neque possunt producere duo elementa dissymbola, etiam vt partiales causæ: ergo nec tertium elementum continebunt, aut producent tanquam causæ efficientes,vt ignis,& aqua non habent summam humiditatem aëri propriam:ergo nec possunt eam producere, & ex consequenti, neque formam substantialem eius. Probatur tandem, quia quomodocumque duo elementa concurrant,non possunt esse causa per se alterius elementi ab vtroque distincti quia præter intensionem vtriusque sequitur:ergo ad summum possent esse causa per accidens. Probatur antecedens, quia quodlibet intendit per se assimilare sibi passum,& sibi simile producere:ergo quodcũque aliud à se diuersum sequitur per accidẽs.

Asserit

Asserit tandem nostra sententia,nullũ corpus mixtum posse 55
producere elementum, tanquam efficientem causam per se. Quod probari potest hoc modo.Nullum mixtum,vt tale continet eminenter elementa: ergo nec potest tanquam efficiens causa ea per se producere. Antecedens probatur, quia si mixtum contineret eminenter elementum, vel formam eius; necessariò deberet continere dispositiones necessarias, easque inducere posse in materiam,vt illis medijs, educeret eamdem formam de potentia eius;sed nullum mixtum, vt tale continet dispositiones necessarias pro forma elementi: ergo nec potest eam educere de potentia materiæ, nec elementum producere. Probatur minor quia qualitates sufficienter disponentes pro forma elementi debent esse summę intensionis,vel propè summæ,aut certè magnam habere intensionem; sed nullũ mixtum habet primas qualitates sub magna intensione, sed remissas,& temperatas: ergo non potest disponere materiam pro forma alicuius elementi introducenda.

Restat igitur,vnum elementum solum posse esse causam efficientẽ per accidens alterius specie distincti, vel aliquo modo materialem inducendo aliquam dispositionem in materia pro forma talis elementi introducenda; & insufficientem quidem,vt in solutionibus argumentorum explicabitur.

Ad testimonium Aristotelis respõdeo, intentum eius solum 56
fuisse probare aduersus antiquiores Philosophos,quod elemẽta sint transmutabilia, ita vt quodlibet possit corrumpi ab alio, atque etiam corrumpere aliud, & ex quocumque possit etiam quodlibet generari per se. In quo consistit circulus elementarium generationum; sed ex hoc non sequitur vnum esse efficientẽ causam per se alterius distincti à se specie,sed solũ,quod ex quocumque tãquam ex termino à quo possit aliud generari.

Ad primum argumentum concedendum est antecedens primi enthimematis, quod primæ qualitates sunt quasi virtutes seminales elementorum;sed distinguendum consequens,quod agens potens eas producere,poterit etiam producere elementa ipsa:nam si possit vtramque qualitatẽ cõuenientem eidem elemento producere in eo gradu intensionis, quo sequuntur naturaliter formam elementi in materia, vel certè in eo, in quo sunt dispositiones sufficientes in materia ad introductionem formæ eius, poterit elementum ipsum producere, non tamen ex eo,quod possit vnam tantum; præsertim si non sit prima, quæ conuenit elemento in summo gradu, quod verò nullum elementum hoc possit probauimus,& ideo non sequitur, quod possit producere elementum distinctum à se specie.

Ad secun

Ad ſecundum conceſſa maiori & minori, neganda eſt conſequentia, quod terra ſit cauſa efficiens per ſe aquæ productæ ex aëre; ſed ſolum eſt efficiens per accidens, in quantum inducens frigiditatem, vt aërem in ſe conuerteret, per accidens conſecuta eſt productio aquæ; nec ſufficeret, terram produxiſſe frigiditatem, etiam per ſe ordinatam ad generationem aquæ, vt eſſet cauſa efficiens eius, quia non ex vi ſoliusfrigiditatis, niſi humiditate præſuppoſita in materia, (cuius conſtat terram non fuiſſe, nec potuiſſe eſſe efficientem cauſam) conſecuta eſt generatio aquæ, quia, vt aliquid dicatur educere formam de potentia materiæ, & producere compoſitum, non ſatis eſt aliquam inducere diſpoſitionem in materia conueniẽtem formæ, niſi inducat ſufficientem, ita vt eam neceſſariò ſequatur forma. Cuius ratio eſt, quia vt ſequatur forma, integra requiritur diſpoſitio: ergo vt agens ſit cauſa formæ, neceſſe eſt, vt integram poſſit producere.

58 Et ſi dicatur ex hac ſolutione ſaltem ſequi, quod duo elementa poſſint eſſe cauſa tertij. Probatur conſequentia, quia vtrumque ſimul, tanquam vna cauſa totalis poterit vtramque qualitatem producere, & conſequenter integram, atque completam diſpoſitionem materiæ, & ideo educere formam de potentia eius, & producere compoſitum, vt ſi ignis, & aqua inter ſe agant, & corrupta frigiditate aquæ, & ſiccitate ignis permaneant in materia humiditas, & calor, quæ ſunt propriæ diſpoſitiones aëris. Reſpondeo in tali caſu vtrumque corrumpi, quare euidens eſt, neutrum eſſe poſſe cauſam tertij, cum iam non ſint, dum tertium ſequitur, neque aliquid eorum permaneat præter nudam materiam; quod autem non eſt, nullam poteſt efficientiam habere. Si verò corrumpatur aqua, & permaneat ſolus ignis, neutrũ poteſt eſſe cauſa per ſe aëris propter duo. Primum, quia præter intenſionem vtriuſque ſequitur: ideo ſolum poſſunt eſſe cauſa per accidens. Secundum, quia de aqua non permanente certum eſt, & de igne non minus, certum, cum non inducat ſufficientes diſpoſitiones. Quod verò humiditas aquæ permaneat, quæ eſt virtus eius, non ſufficit, nam præterquam, quod non eſt ſufficiens diſpoſitio pro forma aëris, nec poteſt eſſe cauſa efficiens, etiam inſtrumẽtalis, quia licet virtus agentis in eo exiſtens ſit cauſa efficiens inſtrumentalis ſubſtantiæ, quæ generatur, ſed diſpoſitio producta in materia ſolum poteſt eſſe cauſa diſponens, quæ ad materialem reducitur, vt in primo libro probauimus.

59 Ad vltimum de generatione ignis ex aëre per colliſionem ferri, & ſilicis negandum eſt, quod ab his corporibus mixtis

produ

producatur tãquam à cauſis efficientibus per ſe. Nam ſiue producatur ignis ex eo, quod exſiccatus iam aër per admixtionem terreſtris exhalationis, & diſtractus ad maiorem locũ per impulſum ei impreſſum ab eiſdem corporibus, & ideo nimis rarefactus, & per rarefactionem diſpoſitus ad ſuſcipiendum intenſiorem calorem cauſatum per accidẽs ex motu: quæ diſpoſitiones ſufficientes eſſe cenſentur ad introductionem formæ ignis in eadem materia aëris. Siue producatur per ſiccitatẽ cauſatam in aëre ab eiſdem corporibus, nempe lapide, & ferro, & per nimium calorem, & raritatem ei impreſſam per motum. Aut non producatur ex materia aëris, ſed ex materia alicuius exhalationis terreſtris in poris eiuſdem ſilicis incluſæ. Vel tandem ex materia alicuius particulæ eiuſdem lapidis, quæ intenſam ſiccitatem habeat, vt oſtendit eius durities, & cuius calor intendatur per motum. Quocumque inquam ex his modis fiat, non 60
poteſt fieri à ferro, & lapide tanquam à cauſis efficientibus per ſe, ſed omnino per accidens, quia non ſunt cauſa per ſe intenſarũ diſpoſitionũ; quidquid enim caloris, raritatis, aut ſiccitatis producunt in aëre per motum, per accidens efficiunt, quia motus non eſt cauſa per ſe caloris, vel aliarum qualitatum; ſed ſolum per accidens, vt per ſe notum eſt, & conſequenter, neque corpora ipſa per colliſionem, quæ motus localis eſt. Cauſa igitur per ſe educens formam ignis de potentia huius, vel illius materiæ, & producens conſequenter ignem ex ea ſunt virtutes cœleſtes, ad quas pertinet ſupplere omnes defectus particularium cauſarum. Conſtat autem nullam dari particularem cauſam per ſe effectus producti in caſu iſto: ergo neceſſe eſt ad vniuerſales recurrere: quemadmodum recurritur neceſſariò in generatione animalium imperfectorum ex putrefactione terræ: habent autem influentiæ cœleſtes virtutes producendi elementa; cum conſtet poſſe ab eis produci, & in diuerſis caſibus verè produci omnes primas qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones ſufficientes pro formis elementorum, & eas cõſequuntur naturaliter in materia. Et quod de igne producto in caſu iſto dicimus, dicendum eſt de elementis productis ex materia aliorũ, ita vt quotieſcũque ex vno elemento, vel duobus producitur aliud diuerſæ ſpeciei, cauſa per ſe educens formam de potentia materiæ, & producens tale elementum ſint cœleſtes virtutes, quia nec elementa ipſa, (vt probauimus) poſſunt eſſe cauſa efficiens principalis per ſe, neque inſtrumentalis per diſpoſitiones in materia remanentes, quas probauimus, non poſſe efficienter concurrere ad introductionem nouę formæ, nec expulſionem antiquæ, ſed ſolum in genere cauſæ materialis.

CAPVT

CAPVT VII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De elementis autem ex quibus corpora conſtituta ſunt, &c.

Breuis expoſitio textus.

1 CApite præſenti agit Ariſtoteles de generatione mixtorum ex elementis, & hoc eſt intentum eius. Diuiditur autem in tres partes. In prima, propoſito dubio de generatione mixtorum ex elementis, refert duas opiniones iuxta quas poterit dubium ſolui; oſtenditque difficultatem vtriuſque. In ſecunda parte ſoluit dubium iuxta veriorem. Et tandem in tertia docet, & probat quodlibet mixtũ cõſtare quatuor elemẽtis.

Proponit ergo dubium, an, & quonam modo mixta poſſint generari ex elementis. Pro cuius ſolutione præſupponendum eſſe ait, duplicem fuiſſe opinionem de elementis. Vna eorum, qui aſſerunt elementa omnia habere communem materiam, & ideo eſſe tranſmutabilia; immò eo ipſo, quod tranſmutabilia ſunt, neceſſarium eſſe, vt habeant communem materiam. Altera fuit, Empedoclis negantis elementa eſſe tranſmutabilia ſecundum ſubſtantiam, & conſequenter integra concurrere ad compoſitionem mixti ſecundum materiam, & formas ſubſtãtiales, ſed diuiſa in partes minutiſſimas, & ſecundum eas permixta. Sed arguit aduerſus vtramque opinionem, vt difficultatem eius oſtendat. Et primo aduerſus hanc ſecundam, quia ex ea (ait) tria ſequuntur inconuenientia. Primum eſt, quod nec daretur vera mixtio, neque corpus vere mixtum, ſed vtrumque ſecundum ſolam apparentiam; & ideo reſpectu imperfectioris ſenſus non percipientis diſtinctionem partium minimarum diceretur mixtum; non ſecundum apprehenſionem ſenſus perfe-
2 ctiſſimi, qui eas diſtingueret, perciperetque non eſſe mixtas. Secundum inconueniens eſt, quod etiam ſi daretur verum mixtum, non poſſent ſaltem dari in eo ſimilares partes, vt caro, & os, quod probat, quia partes iſtæ ſunt homogeneæ, & eiuſdem rationis, ſed elementa ſecundum proprias ſubſtantias ſunt diuerſæ rationis; & vt ſic diuerſa ea componunt: ergo impoſſibilis eſt talis compoſitio. Tertium verò inconueniens ſequitur ex ea, quod non ex quacũque parte mixti poſſent generari omnia quatuor elementa, ſed ex vna parte vnum, & ex altera alterum, quemadmodum ſi ex vna parte ceræ fiat circulus, & ex

altera

altera figura piramidalis,quæ probauit eſſe falſa capite 10. primi libri docens, quod ſicut quælibet pars mixti eſt mixta, & ideo conſtat quatuor elementis; ita ex quacumque poſſunt generari quatuor elementa, quemadmodum ex qualibet parte ceræ poteſt formari quælibet figura. Ex quibus ſequitur iuxta hanc opinionem non poſſe ex elementis generari mixtum.

Sed arguit etiam aduerſus aliam, probatque nec iuxta illam 3
eſſe poſſibilem talem generationem hoc modo. Dum elementa concurrunt ad generationem mixti, vel corrumpuntur omnia,vel aliquod tantum,& permanet aliud. Si dicatur primum, ſequitur nihil permanere ex elementis in mixto præter ſolam materiam, ex ſola autem materia non poteſt fieri mixtum; & iam quod fieret per introductionem formæ mixti, nihil commune haberet mixtum cum elementis, cum materia illa elementorum tantum ſit, non mixti. Si verò dicatur ſecundum, ſequitur non dari mixtionem veram, ſed quæ vocatur mixtio, erit corruptio vnius, & generatio alterius, ſicut dum generatur ignis ex aëre, aut quid ſimile:quare nec iuxta hanc opinionem poterit mixtum generari ex elementis.

In ſecunda verò parte reſpondet dubio propoſito duobus præſuppoſitis,quorum primum eſt,quod quatuor primæ qualitates, quæ ſunt virtutes elementorum, habent latitudinem intenſionis,& remiſſionis. Præſupponit ſecundo; dupliciter poſſe aliquid eſſe,aut denominari calidum,ſicque de cæteris qualitatibus; vno modo actu,& ſimpliciter, quando habet in ſe totam latitudinem caloris, hoc eſt, totam eius intenſionem, vt ignis, dum eſt in ſua naturali diſpoſitione dicitur actu, & ſimpliciter calidum,& calidum hoc modo ſumptum ſolum eſt frigidum in potentia,quia nihil caloris,actu habet,ſed habere poteſt.Secundo modo aliquid dicitur calidum,actu quidem,non tamen ſimpliciter,ſed ſecundum quid, quia aliquid caloris habet actu; & quod ita calidum eſt,poteſt etiam aliquid frigoris habere actu, & vocabitur calidum frigidum.

His ſuppoſitis reſpondet dubio hac diſtinctione: elementa 4
duobus modis applicari poſſunt ad agendum.Primo,ita vt omnino vnum ſuperet aliud. Secundo, ita vt non omnino, ſed ſecundum diuerſas qualitates,ac ſecundum quamdam proportionem vnum ſuperet aliud, & ſuperetur ab eo. Et ſi applicentur primo modo,non ſequetur mixtio,ſed generatio vnius, & corruptio alterius. Si verò ſecundo modo,ita agent,& patientur,vt propriæ qualitates eorum remittantur, & ad certum gradum attemperentur; ſub quo temperamento conſeruari non poterunt, quia in maiori gradu intenſionis poſtulant qualitates ad

ſui conſeruationem : corrumpentur ergo, & introducetur in materia eorum forma mixti, cuius diſpoſitio conueniens ſunt quatuor ipſæ qualitates ſic attemperatæ ; & cum qualitates iſtæ attemperatæ habeant latitudinem intenſionis, ſecundum eam habet latitudinem tale temperamentum ; nam attemperari poſſunt, ita vt calor vno gradu, aut dimidio, aut minori parte intenſionis excedat frigiditatem, vel vt excedat duplici gradu, vel vno cum dimidio, vel cum minori parte. Et eodem modo poteſt frigiditas excedere calorem ; ſicque de humiditate, & ſiccitate ; & ſecundum hos exceſſus actiuos, & paſſiuos diuerſa ſunt temperamenta, & ſecundum diuerſa temperamenta introducitur in materia elementorum forma huius mixti, vel illa, quæ tale, vel diuerſum temperamentum poſtulant ; & generantur diuerſa mixta. Et his modis poteſt mixtum fieri ex elementis per veram mixtionem iuxta primam opinionem in principio capitis adductam, quæ propria eſt ipſius Ariſtot. & vera. Secundum opinionem verò Empedoclis nullo modo fieri poteſt vera mixtio, neque verum mixtum ex elementis, vt argumento illo ad tria impoſſibilia ducente probatum eſt, quod ideo non ſoluit, quia conuincere arbitratur illam opinionem eſſe falſam.

5 Sed reſpondet duplici argumento contra propriam ſententiam à ſe propoſito. Et ad primum ait concedendum eſſe, quod elementa applicata ad mixtionem non omnino corrumpuntur, ſed per mutuam actionem, & reactionem remittit virtutem, vel qualitatem, aut qualitates eorum, ita vt ſub ea ſic remiſſa conſeruari non poſſint, & ideo omnia corrumpuntur, & generatur mixtum, cuius propria diſpoſitio ſunt quatuor qualitates ad talem gradum remiſſum attemperatæ. Negandum verò eſt ſolam materiam elementorum permanere, quia etiam permanent qualitates, quaſi refractæ, aut remiſſæ, eædem quidem ſecundum ſpeciem, vel numerum iuxta diuerſas opiniones de ſubiecto accidentium. Ad ſecundum, negandam quoque eſſe conſequentiam docet, quod mixtum non fiat ex elementis, neque elementa ex mixto, quia materia elementorum communicatur mixto, & præter materiam qualitates attemperatæ diſponentes eam ad introductionem formæ ſubſtantialis eiuſdem mixti, & ratione vtriuſque verè, & propriè dicitur mixtum fieri ex elementis : & cum elementa per propriam materiam, & virtutes proprias permaneant in mixto, verè, & propriè etiam dicitur ex mixto fieri, dum per corruptionem conuertitur in elementum.

CAP. V. T

CAPVT VIII.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Omnia autem mixta corpora quacumque circa medij locum ſunt, &c.

Breuis expoſitio textus.

BReue admodum eſt caput hoc, cuius intentum eſt probare, quod mixta omnia contineant quatuor elementa. Diuiditur autem in duas partes. In prima probat intentum duplici ratione. In ſecunda verò docet inter elementa omnia ſolũ ignem nutriri. Probat ergo in prima parte, quod in mixto ſint omnia quatuor elementa ſecundum proprias virtutes. Mixta, quæ fiunt in terra, conſtant quatuor elementis: ergo idem eſt de cæteris. Antecedens ſic probat. Hæc mixta conſtant terra, & aqua: ergo etiam aëre, & igne, quæ ſunt eis contraria. Conſequentiam probat, quia generatio ex contrariis debet fieri; & contraria idem ſubiectum reſpiciunt, circa quod poſſunt ſe expellere. Antecedens verò ſic oſtendit. Hæc mixta conſeruantur in terra, & ad illam mouentur naturaliter, ſi ſeparata ſint: ergo participant naturam eius, quia ſimile à ſuo ſimili conſeruatur, & ad ipſum naturaliter mouetur. Terra verò ſicca admodum eſt, & ideo quaſi coagulari indiget, vt figuram mixti recipere poſſit, & iuxta naturam eius conſiſtentẽ, ac terminabilem fieri; ita vt niſi humido foueatur, conuertatur in puluerem: hæc autem ab aqua debet accipere, quæ non ſolum humida eſt, ſed partes terræ ſubintrare, & quaſi peruadere poteſt: quod non habet aër, etiam ſi in ſummo gradu ſit humidus, & ideo neceſſe eſt, mixta non ſolum aqua, ſed terra conſtare; igne verò, & aëre, quia contrarij ſunt. Secundo 7
probat ex nutritione per quam producitur pars ſubſtantiæ ſimilis eidem ſubſtantiæ viuenti, cui ſuperuenit, & producitur per conuerſionem alimenti: ergo alimentum eiſdem conſtare debet, ac ſubſtantia corporis viuentis; vt ita verum ſit, quod ex eiſdem nutrimur, ex quibus geniti, vel compoſiti ſumus; ſed nutrimentum conſtat quatuor elementis: ergo etiam mixtum, quod ex eo nutritur. Minorem probat argumento à maiori in plantis; nam ſi aliquod eſſet alimentum ſimplex, maximè alimentum plantarum, quæ magis terreſtres ſunt, & ideo alimento maximè ad terræ ſimplicitatem accedente nutriri debent; ſed alimentum plantarum conſtat quatuor elementis: ergo quodcumque aliud. Minorem probat experientia agricolarum, qui,

vt plantas nutriant, ac foueant, aquam terræ permiſceant, vt ex vtraque permixta alimenta eis præparent, & applicent. In ſecunda parte docet ignem ſolum inter elementa nutriri, quod probat, quia nutrimentū ſic ſe habet ad nutritum tanquam materia, cum in ipſum conuertatur: nutritum verò quaſi forma eius eſt, cum ei præbeat formam; ſed ignis inter omnia elementa eſt formalis; ergo maximè conuenit ei nutriri. Minorem probat ex motu eiuſdem ignis, per quem tendit in orbem Lunæ, qui quaſi forma eſt corporum ſublunarium, cum ea terminet, atque contineat. Vnde ſequitur ignem ei eſſe ſimilem, quia vnumquodque mouetur naturaliter in ſuum ſimile tanquam in terminum ſui motus; & ideo eſſe formalem, ſicut ille formalis eſt. Nutritio verò, quam aſſerit Ariſtoteles conuenire igni, non eſt propria, quia non fit per intus ſumptionem, ſicut nutritio viuentium, ſed per iuxta poſitionem pabuli.

TRACTATVS DE MIXTORVM TEMperamentis.

QVÆSTIO I.

Quidnam ſit, vel in quo conſiſtat temperamentum mixtorum.

8 TEmperamentum mixti (vt à nominis ſignificatione incipiamus) vocatur congrua illa diſpoſitio, quam forma ſubſtantialis mixti corporis poſtulat, vt introducatur, & conſeruetur in materia. De qua merito dubitamus, quidnam ſit? vel in quo conſiſtat? Præſupponendum eſt autem non conſiſtere in proportione primarum qualitatum formaliter ſumptarum pro relatione. Nam temperamentum mixti ſignificat congruam diſpoſitionem præcedentem in materia pro introductione, & conſeruatione formæ ſubſtantialis eius; ſed relatio nihil ad diſponendam materiam confert, & longè minus ad conſeruationem, quia nec materia præparatur relationibus ad ſuſcipiendam formam; nec forma conſeruatur relationibus, ſed qualitatibus: ergo temperamentum non in relatione, ſed in qualitate vna, vel multis conſiſtere debet. Secundo, quia in mixtis dantur contraria temperamenta, per quæ agere poſſunt, & pati;

Digitized by Google

& pati ; ſed relatio contrario caret , & actiua non eſt: ergo in ea non conſiſtit temperamentum ; ſed in qualitatibus vtrumque habentibus.

Quo ſuppoſito , prima opinio tenet temperamentum mixti 9
eſſe vnam ſimplicem qualitatem diſtinctam à primis, quæ ex corruptione earum ſequitur. Itaque ſicut in mixtione corrumpuntur formæ ſubſtantiales elementorum , & ſuccedit eis vna forma ſubſtantialis mixti, in qua virtute continentur, ita corrumpuntur omnino qualitates elementorum , vt non permaneant in mixto , neque eædem numero , neque ſpecie , ſed eis ſuccedat vna qualitas diſtincta, in qua virtute contineantur. Ita Auicena 1. Sufficientiæ cap. 10. Albertus Magnus 2. Phyſic. tract 2. cap. 1. Scotus in 2. diſtinct. 15. quæſt. vnica. Diuus Thomas in his Commentariis lect. 14. ad finem. Probatur primo ex diſpoſitione corporis viuentis , nam effectus adeo diuerſi , qui fiunt ab anima, caloréque naturali tanquam inſtrumento eius, non poſſunt fieri per ſolam proportionẽ primarũ qualitatum, etiam ſi diuerſa hæc ſit in partibus etherogeneis viuentis: ergo neceſſe eſt ponere diuerſas qualitates in diuerſis partibus pro diuerſis effectibus præſtandis. Probatur minor , quia etiam ſi 1
eadem eſſet, vel diuerſa proportio primarum qualitatum in pede, aut brachio , quæ eſt in ſtomacho , non fieret in eis chylus pro ſanguinis productione: ergo ponenda eſt peculiaris qualitas diſtincta à primis, immo diſtincta in ſingulis membris corporis viuentis , vt produci in eis poſſint effectus adeo diuerſi. Secundo, quia ſi temperamentum mixti conſiſteret in proportione primarum qualitatum , in indiuiſibili conſiſteret , cum proportio conſiſtat in indiuiſibili, ſicut æqualitas; ſed temperamentum non poteſt conſiſtere in indiuiſibili : ergo neque in 10
proportione primarum qualitatum , ſed in qualitate ab eis diſtincta habente latitudinem. Probatur minor , quia ſi temperamentum conſiſteret in indiuiſibili, quælibet mutatio alicuius primæ qualitatis ſecundum intenſionem, etiam minimam diſſolueret temperamentum naturale mixti: & cum ſanum ſit corpus , dum habet temperamentum ſibi naturaliter debitum , ſequitur ſanitatem quoque conſiſtere in indiuiſibili ; & ideo ſtatim, ac tantiſper calor intenditur, vel quælibet alia qualitas ſanitatem amittere, morbúmque incurrere, quod eſt contrarium communi conſenſui Medicorum omnium, atque euidenti experientiæ; nam experimur ſæpe hominem per exceſſum motus, vel alia de cauſa nimis incaleſcere, & tamen nec debitum temperamentum amittere, nec præhabitam ſanitatem.

Secũda opinio nõ tollit quatuor qualitates primas à mixtis, 11

Digitized by Google

ſed addit præter illas alteram, ita vt illæ quaſi fundamentum eius ſint, temperamentum verò non conſiſtat formaliter in proportione illarum, ſed in quinta illa qualitate. Pro hac nullum auctorem inuenio, ſed ſolum rationem hanc non contemnendam. Si temperamentum mixti conſiſteret in ſola proportione primarũ qualitatum, ſequeretur paſſim interire quodlibet mixtum, quod eſt abſurdum. Probatur conſequentia, quia proportio primarũ qualitatum debilis eſt, & parum firma, facileque mutatur à cauſis extrinſecis, vſque adeo, vt propter nimiam intenſionem caloris, facile extinguatur frigus, & è contra propter intenſionem frigoris extinguatur calor, ſed vna qualitate extincta, extinguitur omnino temperamentum in proportione omnium conſiſtens, & conſequenter extinguetur mixtum, non valens conſiſtere ſine temperamento, quo medio conſeruatur forma in materia: quare neceſſe eſt ponere quintam qualitatem ſua virtute continentem omnes quatuor, in qua conſiſtat temperamentum, & per quam poſſint defectus omnes primarum reparari, & quælibet earum ſi nimis remittatur intendi, & corroborari; & ita diu conſeruetur temperamentum in eiſdem primis qualitatibus fundatum, & ex conſequenti mixtum.

12 Tertia opinio eſt quaſi media inter has duas extremas, nam ex vna parte tollit à mixto quatuor primas qualitates elementorum. Ex altera verò ponit duas alias, vnam mediam inter calorem, & frigus; & alteram inter ſiccitatem, & humiditatem. Ita Saxonia quæſt. 19. huius libri. Fundamentum huius ſententiæ eſt quia per has qualitates medias commodius poſſunt fieri effectus omnium primarum qualitatum, quàm per ipſas primas: quæ ratione contrarietatis formalis, quam habent, poſſunt ab aliis agentibus intendi, & remitti, & ideo intenſiores, vel remiſſiores effectus præſtare, quàm naturæ corporis mixti conueniat.

Vltima opinio tenet temperamentũ mixti conſiſtere in proportione primarum qualitatũ, nec præter eas aliam qualitatem ponendã, quæ ſit temperamentum. Ita Marſil. q. 22. huius libri. Fernelius lib. 2. Philoſ. c. 3. Tolet. q. 18. huius libri, Conimb. c. 8. huius lib. q. 1. art. 1. & eſt cõmunis inter recentiores, & tanquam probabilior tenenda. Et in primis videtur expreſſa D. Thom. 1. part. quæſt. 76. artic. 4. ad 4. vbi nullam aliam qualitatem præter primas attemperatas ponit, quas dicit eſſe ſufficientem diſ-
13 poſitionem pro forma mixti. Sed probatur ratione. Primo aduerſus primam ſententiam, quia temperamentum non eſt aliud, quàm debita diſpoſitio, per quam conſeruatur forma in materia, ſed debita hæc diſpoſitio conſeruans non poteſt eſſe aliud præter primas qualitates attemperatas ad certum gradum: ergo

in hac

in hac proportione, seu temperie primarum qualitatum, & non in alia qualitate superaddita consistit temperamentum. Probatur minor, quia per eamdem dispositionem conseruatur forma in materia, per quam introducitur in ea, quia introductio ordinatur ad conseruationem; sed primæ qualitates, ita proportionatæ sunt conueniens, & naturalis dispositio pro forma mixti introducenda, atque etiam sufficiens, ita vt non sit necessaria alia qualitas disponens præter illas: (quod etiam fatentur aduersarij, cum nemo sit, qui aliam qualitatem præter quatuor primas ponat ad introductionem formæ mixti necessariam) ergo nec alia debet poni pro eadem conseruanda, & ideo nec pro temperamento mixti. Secundo, quia Medici omnes, immo & omnes Philosophi asserunt viuentia omnia corporea ex propria natura afferre secum internam causam morborum omnium, atque etiam senectutis, & corruptionis, & hanc causam esse, quod ex contrariis, & inter se pugnantibus sit compositum: quod patet esse falsum, si vna tantum qualitas sit temperamentum eius, & primas qualitates elementorum non habeat, quia contrarietas in vno solo non saluatur, sed duo extrema, vt minimum requirit. Et si dicatur qualitatē illam virtute continere contrarias. Probatur id non sufficere, quia sicut non est sibi 14
contraria propter virtualem continentiam contrariorum, ita non potest esse principium corruptionis, quæ in sola contrarietate consistit. Tertio, ad mutuam actionem, & passionem; ad mutuámque actionem, & reactionem, atque etiam veram passionem, & corruptionem necesse est ponere in mixto qualitates formaliter contrarias, quales sunt primæ elementorum, quæ si non ponantur, non poterit resistere elementis in se agentibus, sed in instanti corrumpetur ab eis. Probatur aperte, quia formalis, & actualis resistentia non potest dari, nisi inter formaliter, & actualiter contraria; sed illa qualitas non est actu, & formaliter contraria alicui: ergo per illam non potest actu, & formaliter mixtum resistere elementis.

Probatur deinde, quod non detur quinta qualitas, quæ sit temperamentum existens in mixto, cum quatuor primis contrá secundam opinionem, quia operationes qualitatibus elementorum, proprias exercere potest mixtum per primas qualitates; immo per has potest resistere contrariis, & se defendere ab illis, & non per illam, vt probauimus: ergo superflua est talis qualitas, quia sine necessitate ponitur. Probatur consequentia, quia nec ad reparandos defectus primarum qualitatum requiritur; sed sicut in elementis ad recuperandam intensionem amissam cuiuslibet qualitatis non requiritur alia qualitas, sed

virtute propriæ formæ ſubſtantialis, ſe reducit elementum ad intenſionem ſibi debitam, niſi impediatur; ita mixtum poteſt virtute propriæ formæ ſe reducere ad intenſionem amiſſam ſuæ qualitatis; & hoc ſatis eſt, vt non facile extinguatur. Quod ſi contraria ſint potentiora, extinguetur, quia corruptibile eſt: quare corruptio eius non debet pro inconuenienti adduci.

15 Probatur tandem non dari in mixto duas illas qualitates medias inter primas pro temperãto mixti aduerſus opinionem tertiam, quia per experientiam tactus cognoſcimus mixtum habere calorem,& frigiditatem in ſuo ſtatu naturali;ſed mediæ illæ qualitates non poſſent cauſare ſenſationem caloris, & frigiditatis:ergo falſum eſt eas ponere pro extremis.Probatur minor,quia ſicut ſolus formalis calor,vel lux poteſt ſentiri per viſum,& formalis ſonus per auditum;ita ſolum formalis calor,& frigus poſſunt ſentiri per tactum.

Ad primum argumentum primæ opinionis negandum eſt antecedens, quod non ſufficiat diuerſa proportio primarum qualitatum,vt per diuerſa membra corporis viuentis poſſit anima per ſuas potentias, & inſtrumenta præſtare effectus diuerſos.Sed revera fiunt diuerſi effectus in diuerſis partibus propter diuerſum temperamentum primarum qualitatum, ſimul cum ſecundis ex eo procedentibus.

16 Ad ſecundum conceſſo antecedenti,quod naturale temperamentum in indiuiſibili conſiſtat,neganda eſt prima conſequentia,quod per quemcunque exceſſum caloris,aut frigoris ex illis cauſis prouenientem diſſoluatur, nam cum temperamentum ſit ſecundum ſe permanens, cum ſit diſpoſitio naturalis corporis, non quicunque exceſſus ex cauſa facile ſuperueniente, & cito tranſeunte procedens,dicitur illud diſſoluere,nam ſtatim à propria natura reducitur ad naturalem ſtatum: quod ſi diuturnus ſit,diſſoluetur quidem,& mixtum non habebit ſtatũ naturalem, ſed violentum,& cenſebitur eſſe in via ad corruptionẽ.Secunda vero conſequentia de ſanitate,& morbis concedenda eſt;ſed diſtinguendum cõſequens;nam ſanitas,& morbus dupliciter poſſunt ſumi,nempe in rigore Philoſophico,& ſic verum eſt ſanitatem in indiuiſibili conſiſtere, & per quemlibet exceſſum, vel defectum intenſionis ex cauſa aliquantulum permanente proedens,tollit,& morbum incurri.Sed non ſumitur ſub hac Phyſica formalitate à Medicis,ſed prout notabiliter lædit,vel proxime lędere poteſt operationes corporis,& membra eius grauare,ne proprias poſſint functiones, aut munera exercere. Et hoc modo poſſet forte vocari morbus practicè:ille vero videtur eſſe morbus quaſi ſpeculatiuus tantum,de quo cura eſt Medicis ſolum

lum in gymnaſiis,vbi de natura eius diſputant.De morbo verò in alia acceptione agunt Medici cum infirmis,& ideo hunc ſolum communi modo loquendi morbum vocant, ex quo poteſt eis lucri aliquid prouenire.Fundamentis vero aliarum opinionum ſatisfecimus in confirmatione noſtræ,& ideo non oportet ſolutiones repetere.

QVÆSTIO II.

An detur in mixtis temperamentum æquale ad pondus?

DVplex temperamentum diſtinguunt Medici,atque Philoſophi;vnum vocant temperamentum iuſtitiæ, vel æquale quoad iuſtitiam ; & eſt illud,quod conſtat primis qualitatibus in eo gradu intenſionis,aut in ea proportione,quæ conueniens eſt formæ mixti , etiamſi in gradu inæquali contineat omnes qualitates. Ideo enim vocatur temperamentum iuſtitiæ , quia quod debitum eſt alicui,ex iuſtitia ei conferturergo illud temperamentum, quod debitum eſt formæ mixti , merito vocatur æquale,vel cõueniens quoad iuſtitiam.Aliud poteſt excogitari temperamentum æquale ad pondus , quod conſtat ex quatuor qualitatibus in gradu intenſionis omnino æquali,nempe caloro vt quatuor, frigiditate vt quatuor ; & pariter de cæteris. Et de temperamento iuſtitiæ nulli dubium eſt , quin detur in mixtis; ſed certum eſt dari in omnibus , quæ ſunt in ſtatu naturali,hoc eſt naturæ ſuæ conuenienti,ideo de ſolo temperamento æquali ad pondus quærimus,an detur in mixtis,vel ſaltem in aliquo. 17

Et prima opinio negat omnino dari tale temperamentum in aliquo mixto. Ita Auicena ſent.1.doct.3. c.10. Auerroes 1.lib. de cœlo comment.7.10.Meth.comm.2 1.4. Metheo.comm.10. & 2.lib.de Gener.comm.48.quem ſequuntur omnes Arabes.D. Thom.in 2.diſt.19.q.vnica art.4.& in 3.diſtin.16.q.1.art.1.Michael de Medina in ſua Pareneſi Conciliator dif.18.& hanc ferè ſequitur Tol.q.11.huius libri, apertè aſſerens tale temperamentum vix dari poſſe in rerum natura. Probat Auerroes primo , quia ad mixtionem non poſſunt concurrere qualitates in æquali gradu intenſionis ; ergo neque ad mixtum. Euidens eſt conſequentia,quia temperamentum mixti reſultat ex mixtione elementorum,per quam corrumpuntur : ergo ſi mixtio non ſit ex qualitatibus in æquali gradu intenſionis concurrentibus,neq; temperamentum mixti poteſt ex eis in æquali gradu conſtare. Sed probatur minor,quia ſi qualitates elementorũ cõcurrerent 18

ad mixtionẽ in gradu intenſionis æquali,non ſequeretur actio, nec fieret mixtio, quia ab æquali proportione non ſequitur actio. Quod poteſt confirmari, quia vel mixta ſunt perfecta, quæ conſtant quatuor qualitatibus elementorum; vel imperfecta,quæ non omnes habent.Si perfecta,omnia ſunt fortia,atque conſiſtentia, in quibus prædominatur terra, vt patet in omnibus,quæ degunt in terra;ſed prædominante terra, debent prædominare qualitates eius, quæ ſunt ſiccitas,atque frigiditas:ergo repugnat in his mixtis dari temperamentum æquale ad pondus. Si vero ſint mixta imperfecta,quæ non conſtant omnibus qualitatibus elementorum;euidentius patet prædominari in eis elementum, à quo extrahuntur, vel ex quo generantur, & ex conſequenti qualitates eius, vt patet in vaporibus, in quibus prædominatur aqua,in quam facilè conuertuntur:in exhalationibus vero terra,vt probat ſiccitas maxima earum:qua re neque in his dari poteſt temperamentum æquale ad pondus.

19 His argumentis alterum longe difficilius addere placet,quia ſi detur temperamentum mixti æquale ad pondus maximè in viuentibus,vel poſſibile foret,non eſt dubium, quin perfectiſſimum eſſet, quia mixtis perfectiſſimis conueniret, qualia ſunt viuentia;ſed repugnat viuentibus:ergo nulli mixto poteſt conuenire. Probatur minor, quia viuentia habent partes diuerſas, per quas exercent diuerſas operationes, & ideo in his partibus poſtulant temperamentum diuerſum, ſicut animalia in corde, aut iecore calorem maximum propter ſanguinis, atque ſpirituum vitalium generationem; in cerebro vero maximam frigiditatem, vt oportet ad generationem ſpirituum animalium, atque etiam ad ſpecies ſenſibiles retinendas, operationéſque ſenſitiuas exercendas, ſicque de reliquis partibus pro ratione ſuarum operationum: ergo repugnat his mixtis temperamentum æquale ad pondus.

20 Secunda opinio eſt quorundam Medicorum, inter quos refertur Hugo Senenſis, qui quatuor videntur temperamenta diſtinguere in animali. Primum vocant naturale innatum, & eſt illud, quod fuit conueniens diſpoſitio ad introductionem formæ mixti in materia, & ideo ſub quo fuit genitum animal. Et hoc negant poſſe eſſe æquale ad pondus. Secundum temperamentum vocant influxum, quia reſultat ex influxu quarundam partium in alias. Cum enim corpus animalis diuerſa habeat organa pro operationibus exercendis valde diuerſis, diuerſa etiam poſtulat temperamenta in eis, quia repugnat per membra eiuſdẽ temperamenti exercere. Exemplum eſſe poteſt in corde, & cerebro;nam illud eſt quaſi ſanguinis, & ſpirituum vitalium

vitalium officina,hoc vero quaſi totius ſenſationis,& ſpirituum animalium fons ; ad ſpecies vero intentionales producendas, recipiendas, & retinendas requiritur abundantia frigiditatis, ſicque de cæteris membris, quæ viciſſim ſe temperant membris calidioribus frigidiora calefacientibus, & frigidioribus refrigerantibus calida. Nihilominus ſecundū hoc temperamentum 21
influxum aſſerunt animal magis eſſe calidū,& humidum,quàm frigidum,& ſiccum:ex vtroque autem hoc temperamento videtur reſultare tertium,quaſi mixtum ex vtroque,quia qualitates influxæ cōiunguntur cum naturalibus,& videtur temperamentum quaſi totale conſtituere æquale ad pondus,quia inæqualitatem primi temperamenti naturalis reducit temperamentum influxum ad quandam æqualitatem , quam in cute circa quam primo fit tactus oſtendi aiunt habente omnes quatuor qualitates ad æqualem gradum intenſionis attemperatas. Vltimum temperamentum dicunt eſſe quaſi aggregationem omnium qualitatum, vel totius intenſionis earum in partibus animalis exiſtentium. Et hoc dicunt eſſe æquale ad pondus in toto animali,quia æqualis eſt intenſio omnium qualitatum, ita vt tantam habeat intenſionem caloris totum animal ſimul accipiendo eam,quàm habet in omnibus membris ſimul ſumptis,quantam habet intenſionem frigoris,& cæterarum qualitatum.

Vltima opinio concedit, naturaliter eſſe poſſibile tempera- 22
mentum æquale ad pondus ſecundum primas qualitates, ita vt ex omnibus in eodem gradu intenſionis conſtet. Autor huius opinionis fuit Galenus lib.1.de temperamentis cap.9.& lib.2. cap.1. quibus locis non ſolum dari poſſe tale temperamentum docet,ſed eſſe omnium optimum , quæ poteſt mixtum naturaliter habere,& ideo in ſpecie humana,in qua reperitur mixtum perfectiſſimum dari. Ita ſentiunt cum Galeno Fernelius lib. 8. Philoſophiæ cap. 4. Thomas de Garuio in ſumma titulo 2.de complex.q.9. Valleſius lib.1. Controuerſ.c.7.Iſaicus cap.1.dietarum vniuerſalium,& Medici omnes,Marſilius,& Saxonia vbi ſupra,Conimb.2.lib.de Gener.cap.8.q.2.art. 3.& eſt communis inter recentiores Philoſophos, & videtur nobis tanquam probabilior ſequenda,ad quam reduci poteſt alia ſententia diſtinguens temperamentum æquale ad pondus ſecundum qualitates alteratiuas,& motiuas,negánſque poſſe dari vtrámque ſimul,& concedens quod naturaliter poſſit dari,quodlibet ſeparatum ab altero , quam tenent Albertus Saxoniæ q.11. huius lib. & Mar. q.15.& de qua agemus inferius.

Pro eius autē explicatione diſtinguenda ſunt temperamenta 23
mixtorum ſecundū genera,ſpecies,& indiuidua,ſicut diſtinguit

ca Galenus vbi ſupra,non quod qualitates ipſæ, quibus temperamenta conſtant differre poſſe genere,aut ſpecie,cum conſtet ſolum poſſe differre temperamenta ſecundum diuerſos gradus intenſionis,aut remiſſionis earumdem qualitatũ, qui non poſſunt efficere differentiam ſpecificam, ſed diſtinguntur diuerſa genera,& ſpecies temperamentorum,quia cum ratio temperamenti conſiſtat in proportione primarum qualitatum, diuerſi modi quibus proportionari poſſunt,dicuntur diuerſa temperamenta genere quidem,ſi ſint vniuerſaliores, ſub quibus minus alij vniuerſales,minuſque diuerſi contineantur: ſpecie vero, ſi ſub vniuerſalioribus contineantur immediatè, & ſub ſe conneant alios minus diuerſos,minuſque vniuerſales ad ſimilitu-
24 dinem indiuiduorum. Ad nouẽ igitur tẽperamenta reduxit Galenus omnia,quæ naturaliter poſſunt conuenire mixtis corporibus. Ex quibus primum eſt quaſi athoma ſpecies, & octo alia quaſi genera (quia æqualitas intenſionis in omnibus qualitatibus cõſiſtit in indiuiſibili,& ideo non habet ſub ſe alias temperamentorum ſpecies,ſed ſolum indiuidua.)Sub quibusplures comprehendantur temperamentorum ſpecies,& ſub ſpeciebus plura temperamentorum indiuidua, hoc ferè modo. Vel temperamentũ eſt omnino æquale,hoc eſt conſtans omnibus qualitatibus in æquali gradu intenſionis,vel inæquali, ita vt conſtet omnibus qualitatibus non in gradu æquali intenſionis. Si primum modum habeat,erit primum temperamentum, quod vocatur æquale ad pondus,& de quo diſputamus, an ſolum ſit excogitabile,vel etiam naturaliter poſſibile. Si vero inæquale ſit temperamentum,vel inæqualitas eſt in vna tantum contrarietate,& ita reſultant duo quaſi temperamentorum genera ſecundum duas qualitates ſe expellentes,quia vel ſolus calor excedit frigiditatem,& eſt primum genus, vel ſola frigiditas calorem;& eſt ſecundum(in vtroque enim humiditas, & ſiccitas reperiuntur in eodem gradu intenſionis) Si vero exceſſus reperiatur in alia contrarietate humiditatis,& ſiccitatis, calore, & frigiditate in eiſdem gradibus intenſionis concurrentibus reſultant duo alia genera, quia ſi excedat humiditas,erit tertiũ, ſi vero ſiccitas,quartum; deinde ſi exceſſus ſit ex parte vtriuſq; contrarietatis,reſultabunt quatuor alia genera, & ita explebi-
25 tur nouenarius numerus. Nam vel excedunt calor,& ſiccitas,& reſultat ſextum genus,quod vocatur temperamẽtum, vel complexio ignea;aut excedunt calor,& humiditas,& reſultat ſeptimum,quod vocant complexionem aëream;vel excedunt frigiditas,& humiditas, & reſultat genus octauum, quod vocant complexionem aqueam. Vel denique excedunt frigiditas, &

ſiccitas

ſiccitas,& reſultat nouum,& vltimum ,quod appellatur complexio terrea. Nec ſunt alia genera temperamentorum poſſibilia,quia cum qualitates iſtæ cõtrariæ non poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto , niſi in gradibus remiſſis , repugnat ambo extrema eiuſdem contrarietatis excedere,vt calorem, & frigiditatem excedere humiditatem,& ſiccitatem;nam vel excederent in gradu infra medietatem,ita vt calor , & frigus eſſent vt quatuor;duæ vero aliæ in minori gradu , & ita latitudo huius contrarietatis non eſſet expleta ; vel excederent in gradu vltra medietatem, & tunc darentur contraria in eodem ſubiecto ſecundum gradus intenſos,quod eſt impoſſibile naturaliter,ſicut eſt etiam impoſſibile non eſſe expletam latitudinem alicuius cõtrarietatis ex vno,vel vtroque contrario, vt ſuperius ſtatutum eſt.

Sub quolibet autem horum generum continentur plures 26
ſpecies temperamentorũ, quia ſecundum maiorem, vel minorem exceſſum qualitatis , vel qualitatum excedentium diſtingui poſſunt plures differentiæ temperamentorum, vt in primo genere,in quo ſolus calor excedit;diſtingui poſſunt plures ſpecies,vna ſi calor excedens ſit vt ſex, & frigiditas vt duo; alia ſi calor ſit vt quinque,& frigiditas vt tria, ſicque de cæteris gradibus ſecundum latitudinem caloris, & frigiditatis per partes aliquotas , & ita de cæteris proportionibus aliorum generum cenſendum eſt. Sub qualibet etiam ſpecie temperamentorum continentur diuerſa numero temperamenta inæqualia, nam quælibet ſpecies temperamenti certam habet latitudinem gradualem inter duos terminos maximum, & minimum contentum,quod experientia probari poteſt. Quia ſicut inter elementa datur actio,& reactio,ſic ſuo modo inter mixta:ergo in quolibet mixto poteſt remitti,aut intendi aliqua qualitas abſque ſui corruptione ſubſtantiali,& ita contingere poteſt, quod intra eamdem ſpeciem temperamenti diuerſa indiuidua diuerſa habeant temperamenta,& inæqualia iuxta maius, vel minus prædominium eiuſdem , vel earumdem qualitatum ; quod in ſpecie humana ſic poteſt declarari,vt ſi temperamentum ei debitum ſit æquale ad pondus, non eſt intelligendum ſic in pro- 27
portione illa indiuiſibili qualitatum conſiſtere , vt non poſſit ſine illa conſeruari,ſed verè poteſt, cum poſſit remitti vna , vel alia qualitas ſine corruptione ſubiecti;ſed ita debet intelligi, vt perfectiſſimum temperamentum huius ſpeciei conſiſtat in omnimoda illa æqualitate intenſionis omnium qualitatum, quod temperamentum non habebunt , niſi illa indiuidua , in quibus ſic reperiantur, habebunt tamen imperfectum eiuſdem

ſpeciei

ſpeciei excedente aliqua qualitate vſque ad certum terminum, vltra quem non erit iam temperamentum humanæ ſpeciei, nec poterit indiuiduum aliquod eius ſub eo conſeruari. Hæc autem diuerſitas temperamentorum, ſeu complexio num indiuidualium ſub eadem ſpecie prouenit abſque dubio ex diuerſa perfectione indiuiduali formarum ſubſtãtialium eiuſdem ſpeciei, iuxta quam diuerſæ formæ indiuiduales diuerſum quoque temperamentum poſtulant in materia ad ſui introductionem, & conſeruationem in ea. Hęc autẽ omnia ſic intelligenda ſunt, vt ſicut temperamentorum genera octo tantum ſunt, ita temperamentorum ſpecies ſint actu finitæ, quamuis in lõge maiori numero. Et ratio eſt manifeſta, quia exceſſus vnius, vel plurium qualitatum ſumitur ſecundum partes aliquotas, & non ſecundum proportionales: conſtat vero partes aliquotas latitudinis cuiuſcumque qualitatis finitas eſſe. Et par eſt ratio de numero indiuiduorum quantum ad numerum actualem, qui ſemper eſt actu finitus ſub qualibet ſpecie, paſſim tamen extinguũtur hæc, & incipiunt de nouo alia. Ex qua parte non eſt vſquequaque certus eorum numerus, ſed quodammodo multiplicantur in infinitum, cum tamen numerus ſpecierum ſemper ſit idem, & propterea aſſeruit Porphyrius cap. de ſpecie, finitas eſſe ſpecies, ſed indiuidua procedere in infinitum.

28 His præſuppoſitis communem ſententiam his tribus aſſertionibus explico: prima eſt, temperamentum æquale ad pondus naturaliter eſt poſſibile in mixtis. Probatur teſtimonio Ariſtotelis, & ratione. Ariſtoteles enim ſectione 5. Problematũ quæſt. 22. docet expreſſè, corpora ad æqualitatem temperata facile in morbum incidere, atque etiam facilè curari: quæ vero non ſunt ad æqualitatem temperata, ex oppoſito non facile infirmantur, nec facile à morbo curãtur, ſed difficile ſanitatẽ conſequuntur. Ex quibus ſequitur plane ſentire, quod naturaliter dari poſſit, & detur temperamentum æquale ad pondus. Ratione vero primo.

Quia non eſt impoſſibile naturaliter primas qualitates in gradu æquali intenſionis vt quatuor dari in eodem ſubiecto; ergo non erit impoſſibile, quod ab aliqua forma mixti in tali gradu poſtulentur. Probatur conſequentia, qui ſi dantur formæ mixti poſtulantes eaſdẽ qualitates in gradu inæquali ſuperiori, & inferiori; cur non poterunt dari aliæ eaſdem poſtulantes ſub gradu æquali? certe nulla poteſt ratio impoſſibilitatis afferri. Quod efficaciter probari probari poteſt ſecundo, nam ad rationem mixti pertinet habere qualitates primas ad tẽperiem reductas, ſed quo magis accedunt ad æqualitatem intenſionis,

magis

Digitized by Google

magis attemperantur:ergo si omnimodã æqualitatem habeãt, dicentur summo,ac perfectissimo modo attẽperatæ.Et ex consequenti dicetur mixtum perfectissimam habere temperiem, atque adeò perfectissimam rationem mixti, vt mixtum est, & tale temperamentum erit perfectissimum, & ideo naturaliter possibile.

Secunda assertio,in genere animalium, præsertim in specie 29
humana,aut in vno,vel multis indiuiduis eius datur temperamentum æquale ad pondus.Ita Galenus cum cæteris, quos pro communi sententia retulimus. Sed egregie D. Thomas 1. par. quæst.91.artic.1.in corpore his verbis. *Dissimilitudine vero cœlestium corporum habet homo elongationem à contrarijs propter maximam æqualitatem complexionis: elementa vero secundum substantiam: ita tamen quod superiora elementa prædominantur in eo secundum virtutem,scilicet ignis,& aër, quia vitæ precipue consistit in calido,quod est ignis,& in humido, quod est aëris. Inferiora vero elementa abundant in eo secundum substantiam, aliter enim non posset esse mixtionis æqualitas.* Et in solutione ad 3. ita ait. *Quod si ignis,& aër quæ sunt maioris virtutis in agendo,etiam secundum quantitatem in compositione humani corporis abundarent, omnino ad se traherent alia, & non posset fieri æqualitas commistionis, quæ est necessaria in compositione hominis ad bonitatẽ sensus tactus,qui est fundamentum sensuum aliorum.* Et tandem art.3. ad primum docens hominem excedere cætera animalia perfectione tactus, excedi vero ab ea perfectione aliorum sensuum, ita ait. *Et similiter potest assignari ratio, quare quædam* 30
animalia sint acutioris visus, & subtilioris auditus, quàm homo propter impedimentum horum sensuum, quod necesse est consequi in homine ex perfecta complexionis æqualitate. Sed probatur duplici testimonio Aristotelis,quorum primum habetur 2. lib.de partibus animalium c.16. in vltimis verbis, quibus docet hominem inter omnia animalia habere perfectissimum sensum tactus,& ita habent. *Itaque carne instituta sunt,eaque mollissima, qualis caro hominis est,scilicet, quod maxime omnium animalium valet sensu tactus.* Secundum vero habetur 2.lib. de anima c. de tactu tex.118. vbi docet sensum tactus non sentire qualitates tãgibiles in eo gradu,in quo eas habet,sed solum in maiori, vel intensiori:& est idem,quod dici solet,tactum solum sentire excellentias qualitatum tangibilium. Ex quo colligit sensorum tactus habere temperiem,vel complexionem æqualem ad pondus.Verba autem eius hæc sunt.*Calidũ aut frigidũ,durũ aut molle non sentimus sed exuperantias, tãquã sensu, velut medietate quadam existente eius,qua in sensibilibus contrarietatis, & propter*

hoc

hoc diſcernit, ac iudicat ſenſibilia : medium enim iudicatorium eſt, ſit enim ad vtrumque ipſorum alterum vltimorum. Ex quibus deſumitur primum arg. pro noſtra aſſertione hoc modo. Senſus tactus, cum ſit potiſſimus ad rerum experientiam capiendam, cui maiori ex parte innituntur ſcientiæ humanæ, merito vocatur ſenſus ſcientiæ, quo ſenſu, aut perfectione eius homo ſcientiarum capax inter animalia, debuit omnia excedere; & ideo habere perfectiſſimum tactum; ſed ad perfectionem tactus neceſſarium eſt temperamentum æquale ad pondus: ergo hoc dabitur in corpore humano, per quod diſperſus eſt ſenſus tactus, & maxime viget in cute eiuſdē corporis, vt docet idē Ariſtot. in eodem c. de tactu. Probatur minor ex poſteriori teſtimonio Ariſtotelis; quia ad excellentiam tactus pertinet poſſe percipere omnes excellentias tangibilium, ſed non poſſet omnes ſentire, niſi ad mediocritatem eſſet organum eius temperatum, quia ſi in aliqua excelleret qualitate, non poſſet eamdem ſentire excellentiam, vt 2. lib. de anima cap. de tactu probatur: ergo homo ſecundum ſenſorium tactus per totum corpus diſperſum debet habere temperamentum æquale ad pondus.

31 Secunda ratio continetur in ſecundo teſtimonio Diui Thomæ, & eſt talis. Illud cenſendum eſt optimum temperamentum primarum qualitatum, quod maxime diſtat ab extremis earum omni ex parte, nempe à ſumma intenſione omnium; ſed temperamentum æquale ad pondus maxime diſtat ab extremis, cum cōſiſtat in eadem mediocritate omnium qualitatum: ergo optimum cenſeri debet, & mixto omnium perfectiſſimo cōuenire, quod eſt homo. Probatur maior, quia temperamētum diſſoluitur, ſi ad extrema perueniat, nempe ad ſummam intenſionem primarum qualitatum: ergo illud erit magis ſtabile, & optimum, quod plus ab eis recedit; nam eo difficilius poterit ad ea reuocari. Hoc vero temperamentum æquale ad pondus tribui debet primo homini à Deo immediatè condito: decet namque diuina opera ab eo ſolo immediatè conſtituta perfectiora eſſe alijs, quæ ab eodem medijs ſecundis cauſis procedunt. Deinde maiori ratione tribuendū eſt ſacro corpori Chriſti in viſceribus Deiparæ à Spiritu ſancto formato, quia cum ſit omnium corporum perfectiſſimum, optimum omniū temperamentum debet ei tribui, præſertim cum ſummæ dignitati eius congruat, quam habuit ex vnione ad diuinum verbum; nec deroget merito operum eius infinito, aut redemptoris muneri. Quod etiā probari poteſt ex his, quæ docet Galenus vbi ſupra de hoc temperamento æquali ad pondus, videlicet eſſe ſaluberrimum omnium; quare Chriſto Domino tribui debet, in quo

nullus

nullus erat futurus morbus, vt docent Scholaſtici Doctores in 3.diſt.15.& 16.cum D.Thom.3.par.q.14.art.4.

Sed eadem ratione videtur tale temperamentum non eſſe tri- 32
buendum Chriſto Domino, quia de corporibus ita temperatis docet Ariſtoteles ſectione 5. Problematum q.22.facile in morbum incidere, atque etiam facile ad ſanitatem reuocari, & merito,quia cum hoc temperamentum conſiſtat in maxima æqualitate intenſionis omnium qualitatum,facile eſt ab ea recedere per exceſſum quemcumque eiuſdem mixti, vel per actionem alicuius extrinſeci contrarij: ergo non poteſt tribui corpori, quod ex propria dignitate numquam ab eo receſſurum erat. Reſpondeo, conſeruationem temperamenti naturalis maxima ex parte dependere ab eodem mixto regulas cum primis temperantiæ non tranſgrediente: deinde quantum humana prudentia fieri poteſt à contrariis agentibus recedente, ne ab eis lædatur, vtrumque autem præſtitiſſe Chriſtum Dominum, certiſſimum eſt. Nullum enim locum in eo habuerunt exceſſus intemperantiæ: à contrariis verò agentibus propriæ ſaluti infeſtis,non ſolum quantum humana prudentia fieri potuit,ſed per diuinam receſſit,per quam,ſi aliqua nihilominus ſecundum naturæ ordinem ei nocere poterant, prohibita ſunt,vt ſic nullum morbum contraheret. Nec Ariſtoteles abſolutè docet de cor- 33
poribus ad æqualitatem attemperatis facile in morbum incidere, ſed comparatiue tantum, hoc eſt comparatione corporum inæqualiter temperatorum; de quibus aſſerit, quod ſicut difficilius morbum contrahunt, ita etiam difficilius ab eo reuocantur,& ſæpe extinguuntur.cum tamen æqualiter temperata facile curentur: diuturnior verò cenſetur ſanitas, quæ facile recuperatur,etiam ſi frequentius(leuiter tamen)amittatur,nam minus longè periculum incurritur per leues morbos, & ſi frequentes, quàm per grauiores minus frequentes. Ex quibus intelligitur verum eſſe omnibus conſideratis, quod Galenus docuit temperamentum æquale ad pondus ſaluberrimum omnium eſſe,nec ei contrarium, quod de eodem temperamento aſſeruit Ariſtoteles.

Tertia aſſertio.Naturaliter eſt impoſſibile dari mixtum temperatum ad pondus ſecundum omnes ſuas partes.Veritas huius aſſertionis ex explicatione potius dependet, quàm ex aliis rationibus:ideo explicanda eſt,& eo ipſo efficacirer probata cenſebitur. Et imprimis ſupponendum eſt,temperamentum æqua- 34
le ad pondus in ſolis mixtis perfectis,qualia ſunt viuentia reperiri. Viuentia verò ex propria natura ſunt etherogenea corpora abentia diuerſa organa pro diuerſis operationibus exercendis,

vt in animalibus constat habentibus cor, vel iecur pro officina sanguinis, & spirituum vitalium; cerebrum pro officina totius sensationis. Diuersa item organa, vel sensoria pro diuersis sensibus externis, vt organū visus, quod sunt oculi, sicque de cæteris sensibus. Eius vero organa, vel partes, sicut diuersam habent figuram ad propriam operationem exercēdam accommodatam, & diuersum modum operandi illam, ita requirunt diuersa temperamenta. Nam cor debet esse calidissimum, cerebrū frigidissimum, & pariter singula organa sensuum debent habere particularem temperiem propriæ operationi accōmodatam: quæ cum sint diuersæ, non possunt per organum eiusdem temperamenti exerceri. Quare repugnat has partes habere idem temperamentum, vel æquale ad pondus, quia eo ipso, quod in corde, atque etiam in iecore nō prædominaretur calor, non possent esse sanguinis, vel spirituum officinæ, & eo ipso, quod in cerebro non prædominaretur frigiditas, non posset esse officina sensitiuę virtutis, & operationum, & nisi organum tactus esset ad æqualitatem temperatum, non posset talis potentia percipere omnes excellentias qualitatū tangibilium. Ex quibus euidenter sequitur non posse corpus organicum secundum omnes suas partes esse temperatum ad pondus; necessarium tamē est temperatum esse ad iustitiā, & saltem quantū ad plures eius partes, eas præsertim, in quibus residet sensus tactus, esse æqualiter ad pondus temperatum. Ratione vero inæqualitatis temperamenti, necesse est, vt quælibet agat in aliam sibi proximam, & ab ea patiatur, & per hanc mutuam actionem, & passionem se temperent. Et temperiem hanc resultātem appellarunt alij influxam, quia per influxum, & actionem vnius partis in alteram consequitur eam corpus secundū plures partes. Primam vero temperiem, quam postulat corpus ad sui generationem, quam dicimus esse æqualem ad pondus in aliquibus mixtis, vocant innatam, quia à sua constitutione naturali eam habet corpus. Ex vtraque vero simul sumpta sequitur, quod cum in quibusdam partibus talis mixti multum prædominetur calor, in aliis multum prædominetur frigiditas, in aliis humiditas, & tandem in aliis siccitas, consideratis omnibus simul, & quasi in quadam aggregatione resultet in toto mixto quædam æqualitas ad pondus, quia tantum caloris habere videtur, quantum frigoris, atque etiam quantum humiditatis, & siccitatis; ita vt non plures habeat gradus intensionis ex vna qualitate, quam ex aliis. Et temperamentum hoc aggregationis vocant, quia ex omnibus partibus corporis diuerso modo temperatis; sed quasi in vnum aggregatis resultat. Et his explicantur omnes nostræ assertiones, iuxta quas communis

sententia,

sententia defendenda est, ad quam reduci potest secunda de quatuor temperamentis, vt ex dictis facile intelligi potest.

Ad primum argumentũ Auerrois negandum est antecedens, 36
quod non possint elementa concurrere ad mixtionem secundum æqualem gradum intensionis, nam licet in gradu æquali concurrerent, agere, & pati possent: quia vt bene D. Tho. vbi supra, ea, quæ magis sunt actiua, vt ignis, & aër applicarentur in minori quantitate; minus vero actiua in maiori, & præterea hæc sub maiori densitate iuuante actionem, illa vero sub minori, & ita applicata proportionarentur; ageréque, & pati possent, & se corrumpere.

Ad argumentum Toleti ex eodem testimonio D. Tho. respondendũ est distinguendo antecedens, nempe mixta perfecta, quæ generãtur in terra fortia, atque stabilia esse, & ideo in omnibus prædominari terram, & qualitates eius. Nam duobus modis ait D. Tho. prædominari posse elemẽta in mixto, aut secundum maiorẽ magnitudinem, vel copiam substantiæ, quæ requiritur ad consistentiam, & soliditatem corporis, & membrorum eius, aut secundum intensionem qualitatum, quibus constant. Et modo priori prædominari ait terram, & aquam; quia si materia, ex qua fiunt corpora hæc, non esset similis substantiæ terræ per cõmixtionem aquæ, quasi coagulatæ, sed substantię aëris, & ignis, non possent ex ea solida membra, & aliquando densiora, ac duriora formari. Sed modo posteriori non esse necessarium, quod prædominentur elementa hæc, sed hanc, vel illam qualitatem prædominari secundum diuersitatem membrorum, atque organorum desumendam ex diuersis operationibus animæ per illa exercendis; ita vt in his prædominari debeat calor, in illis frigus, in aliis humiditas, & in aliis siccitas. Gratia exem- 37
pli: cor calidissimũ esse oportet, frigidissimum cerebrum, ossa, & cartilagines valde sicca, sensoria visus, & gustus magna ex parte humida: cætera autem membra omnia, in quibus residet sensus tactus æqualem intensionem qualitatum postulant. Et vniuersaliter loquendo dicendum est membra omnia, quæ tori corpori præbent consistentiam, sicciora, ac frigidiora esse debere, vt ossa, & cartilagines. Secundo, membra omnia, in quibus vigent opera vitæ, quia vel sunt officinæ sanguinis, vel spirituum vitalium, calidiora, & humidiora, vt sunt cor, & iecur; illa vero in quibus vigent sensus, quia ab eis deriuatur sensitiua virtus, valde frigida vt cerebrum. Et illa tandem, in quibus viget tactus, qui est scientiarum sensus æqualiter temperata; & hæc sunt quasi vniuersalia membra corporis, ex quibus dependent alia, & quibus hoc modo distribuendas esse qualitates natura censuit, quia

possit per potentiam Dei absolutam. Et in primo sensu tenet prima opinio naturaliter dari posse. Ita Marsil. & Saxonia locis citatis in præcedenti quæstione, quod probant hoc argumento. Posse dari naturaliter temperamentum æquale ad pondus secundum qualitates actiuas efficaciter probatur ex eo, quod dato quocumque temperamento inæquali possunt intendi, vel remitti qualitates, quarum ratione inæquale est, & reduci ad eosdem gradus intensionis aliarum; sed dato quocumque temperamento inæquali secundum qualitates motiuas, nempe grauitate, & leuitate potest quælibet earum intendi, vel remitti ab agente extrinseco, quousque perueniat ad gradum intensionis alterius, & hoc sine corruptione eiusdem mixti, quemadmodum sine corruptione eius possunt intendi, & remitti primæ qualitates vsque ad æqualem gradum intensionis: ergo sicut potest dari naturaliter temperamentum æquale ad pondus ex primis qualitatibus; pari ratione ex motiuis, nempe grauitate, & leuitate. Secundo probatur, quia grauitas, & leuitas sunt secundæ qualitates, quæ sequuntur ex mixtione primarum, vt docet expresse Aristoteles 4. lib. Phys. text. 85. & c. 1. huius libri: ergo ex permixtione primarũ qualitatum in æquali gradu intensionis sequentur grauitas, & leuitas secundum æquales gradus intensionis, sed talis permixtio primarum qualitatum naturaliter est possibilis, cum constituat temperamentum æquale ad pondus: ergo possibile quoque erit temperamentum æquale ad pondus ex grauitate, & leuitate.

Secunda opinio negat tale temperamentum in qualitatibus 41
motiuis esse naturaliter impossibile; & est communis inter iuniores, & vera. Probatur primo à priori hoc modo. Summa leuitas non procedit ex solo summo calore, vel summa humiditate, nec summa grauitas ex sola summa frigiditate, aut ex sola summa siccitate, vt euidenter constat in elementis; sed summa leuitas ex summo calore superante siccitatem, vt patet in igne: & summa grauitas ex summa siccitate superante frigiditatem, vt patet in terra: ergo leuitas media non procedet ex calore medio, nec media grauitas ex siccitate media; sed potius ex medio calore superante siccitatem: & hæc ex media siccitate superante frigiditatem; sed euidens est medium calorem superãtem siccitatem, & mediam siccitatem superantem frigiditatem non efficere temperamentum æquale ad pondus, cum dicant inæqualem intensionem qualitatum; immo euidens est, non esse possibile tale temperamentum primarum qualitatum, quia includit euidentem contradictionem: nam ex parte grauitatis includis mediam siccitatem, & ex parte leuitatis minorem, quia inferio-

rem medio calore: ergo impoſſibile eſt tale temperamentum
42 æquale ad pondus ex qualitatibus motiuis. Secundo, quia non poteſt dari naturaliter corpus, cui non conueniat aliquis locus naturalis in mundo,& iuxta eum motus naturalis,per quem ad eum moueatur;ſi per violentiam extractum fuerit;ſed tale corpus æqualis grauitatis,& leuitatis nullum haberet locum naturalem,nec etiam motum:ergo non poteſt dari naturaliter.Probatur minor,quia nõ poſſet quieſcere naturaliter in loco ignis, & aëris propter æqualem grauitatem,à qua inclinaretur ad motum deorſum:nec in loco aquæ,& terræ propter æqualem leuitatem, à qua inclinaretur ad motum ſurſum : ergo nec locum, nec motum haberet naturalem.Sed reſpondent locũ naturalem eius fore mediũ inter loca ſurſum,& deorſum,ſicut grauitatem, & leuitatem ad medietatem temperatas haberet, & talis locus
43 eſſet inter aquam.& aërem.Hæc tamẽ ſolutio falſa eſt,quod ſic probo.Locus aëris non poteſt eſſe naturalis illi corpori,propter grauitatem,quam habet,nec locus aquę propter leuitatem:ergo nec locus medius inter vtrumque elementum.Antecedens euidens eſt,cõſequentia vero probatur,quia aër,& aqua ex propria natura ſunt immediata,& ideo docuit Ariſt.4. lib.Phyſ. & cum eo omnes concauam ſuperficiem aëris eſſe locum naturalem aquæ,quod non poſſet eſſe verum,niſi hæc duo elementa eſſent immediata, ſicut quodlibet corpus locatum cum ſuo loco circumſcribente:ergo tale corpus mixtũ non poſſet habere locum medium inter aërem,& aquam,quia non eſt dabilis naturaliter talis locus medius;niſi dicatur ex parte eſſe in vtroque elemento tanquam in loco,nempe medietatem eius in aqua,& medietatem in aëre,& ita diceretur quodammodo habere locum naturalem medium inter vtrumque elementum. Sed quod locus iſte non eſſet ei naturalis,ſic oſtendo. Corpus illud eſt mixtum ſicut ex primis qualitatibus alteratiuis; ita etiam ex motiuis, nempe grauitate, & leuitate, & eſt mixtum habens vtramque qualitatem ad medietatem intenſionis, nempe leuitatem vt quatuor,& grauitatem quoque vt quatuor : ergo quælibet pars eius habet eaſdem qualitates ad medietatem,ſicut habet ad medietatem primas. Probatur conſequentia, quia quælibet pars mixti debet eſſe mixta;ſed totum corpus nõ poteſt eſſe natura-
44 liter in ſola aqua,nec in ſolo aëre;ergo nec medietas eius, quæ eiuſdem naturæ,& grauitatis, ac leuitatis eſt cum toto. Tertio probatur ex motu, quia corpus habens locum naturalem non ſolum quieſcit in eo naturaliter,ſed ſi ab eo extrahatur per violentiam,aut quomodocumque extra illum inueniatur, naturaliter poteſt moueri ad illũ; ſed ſi tale corpus daretur æqualiter graue,

Digitized by Google

graue, & leue, & poneretur in terra, non posset moueri ad locum medium inter aërem,& aquam : ergo talis locus non esset ei naturalis. Probatur minor, quia à proportione æquali non datur actio, sicut nec à proportione minoris inæqualitatis;sed vt agens possit agere, necesse est virtutem eius actiuam superare ; leuitas autem non superaret vllo modo grauitatem ; ergo non posset corpus illud sursum ferre contra resistentiam æqualis grauitatis. Quod præterea probo testimonio expresso Aristotelis 1.lib.de cœlo,& mundo cap.1.text.7.vbi hoc discrimen ponit inter motum naturalem elementi, & mixti, quod illud motu simplici à simplici eius natura procedente mouetur naturaliter;mixtum vero motu quodammodo mixto ab elemento prædominante procedente,hoc est, à principio motus naturalis,quod est grauitas,aut leuitas prædominans;sed in tali corpore nullum ex his principiis prædominaretur:ergo nec posset tale corpus mixtum moueri naturaliter,& ideo nec esset naturaliter possibile.

Ad primum argumentum contrariæ opinionis concessa ma- 45
iori distinguenda est minor, quod dato mixto inæqualis grauitatis, & leuitatis, posset intendi, vel remitti quælibet harum qualitatum ab agente extrinseco ; nam istæ qualitates motiuæ non sunt actiuæ,nisi solius motus localis;ideo non possunt immediatè intendi, vel remitti, nisi facta mutatione circa primas qualitates,ex quarum permixtione sequuntur. Vnde nec potest agens extrinsecum alio modo eas intendere, vel remittere, nisi prius efficiat mutationẽ circa primas qualitates;sed non est possibile temperamentũ primarũ qualitatũ, ex quo sequatur grauitas,& leuitas ad medietatẽ,vt probauimus;ergo nec erit possibile temperamentum æquale secundum has qualitates motiuas.

Ad secundũ concesso antecedente,neganda est consequentia, quod ex temperamento primarum qualitatũ æquale ad pondus sequantur grauitas,& leuitas æqualis intensionis,sed necessariò sequuntur in gradu inæquali,vt prima ratio nostra probauit.

Circa secundum vero sensum,an per potentiam Dei absolu- 46
tam dari possit corpus æqualis grauitatis, & leuitatis, vtraque pars videtur difficilis ; & ratio dubitandi pro negatiua est hoc argumentum. Intrinsecum est corpori naturali habere principium motus:ergo implicat contradictionem dari corpus naturale,quod non sit naturaliter mobile;sed corpus æqualis grauitatis,& leuitatis non esset mobile : ergo nec esset corpus naturale. Quare repugnat dari corpus naturale habens temperamentum æquale ad pondus qualitatum motiuarum. Minorem probo, quia non esset maior ratio, vt moueretur sursum, quam

deorsum,cum æqualem habeat inclinationem ad vnum, & alterum motum: ergo neutro moueretur à propria natura. Et si dicatur moueri naturaliter motu qui partim esset sursum, & partim deorsum, nempe ad locum medium; probatur esse falsum, quia sicut æqualis est inclinatio ad vtrumque motum in tali corpore,ita esset æqualis repugnantia;ex parte quidem grauitatis ad motum sursum;ex parte vero leuitatis ad motũ deorsum, non solum extremum, sed etiam medium. Vnde si esset in superioribus locis, non posset moueri ad locum medium repugnante leuitate, & si esset in inferioribus repugnante grauitate; vbi autem est æqualis actiuitas, & æqualis resistentia non potest naturaliter sequi motus, sicut à proportione æquali non sequitur actio in qualitatibus alteratiuis; præterquam quod repugnat dari locum naturalem medium,vt probauimus.

47 Pro affirmatiua verò parte, quod tale corpus dari possit, extat hoc argumentum.Quia non sufficit repugnantia naturalis, vt dicatur effectum aliquem dari non posse in rebus per potentiam Dei absolutam,sed requiritur omnimoda implicatio contradictionis, sed tale corpus dari non inuoluit contradictionem, quia grauitas, & leuitas non opponuntur contradictoriæ, quod omnino requiritur, vt non habeant medium respectu eiusdem rei, sed solum opponuntur contrariè: contraria verò medium habent respectu eiusdem subiecti, vt per se patet:ergo licet argumentum oppositæ partis probet repugnantiam naturalem,non probat implicationem contradictionis; & ideo negari non debet,quod tale corpus sit possibile.

48 Communis sententia recentiorum tenet dari posse tale corpus. Ego vero hac distinctione respondeo,dari corpus naturale æqualis grauitatis,& leuitatis, dupliciter intelligi potest. Primo,ita vt æqualitas ipsa vtriúsque qualitatis sit ei naturalis,videlicet dispositio,quam naturaliter postulat forma eius in materia; quemadmodum naturalem esse dicimus igni summam leuitatem, & terræ summã grauitatem. Secundo modo potest intelligi,ita vt eædem qualitates ad medietatem non sint ei naturales,sed diuina virtute ei impressæ.Et in primo sensu existimo implicare contradictionem, quod detur tale corpus, quod sic probo.Grauitas,& leuitas sunt qualitates naturaliter procedentes ex permixtione, vel concursu primarum qualitatum;sed repugnat prorsus dari temperamentum primarum qualitatum, ex quo procedant ad medietatem intensionis grauitas, & leuitas, vt probauimus per primam nostram rationem contra primam illam opinionẽ concedentẽ dari posse naturaliter corpus temperamentũ ad medietatẽ secundũ grauitatem,& leuitatem:

ergo

ergo implicat contradictionem dari corpus poſtulans eaſdem qualitates ad medietatem. Idem probat efficaciter argumentum pro ratione dubitandi ex parte negatiua propoſitum; quia licet non cõuincat implicare contradictionem, quod detur tale corpus in rerum natura, conuincere tamen videtur implicare contradictionem, quod ita detur, vt naturaliter poſtulet vtramque qualitatem ad medietatem intenſionis..

In ſecundo vero ſenſu aſſero poſſe dari tale corpus per potentiam Dei abſolutam, vt ſi Deus aliquid tollens de grauitate lapidis eam reduceret ad quatuor gradus, & quatuor alios gradus leuitatis ei imprimeret, in quo nullam inuenio repugnantiam. Et hoc ſolum eſſe poſſibile conuincit argumentum propoſitum pro parte affirmatiua, non tamen primum: quare neutrum argumentum indiget ſolutione.

CAPVT IX.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quia vera ſunt quædam generabilia, & corruptibilia, &c.

Breuis expoſitio textus.

IN capite iſto, & ſequenti tradit Ariſt. vniuerſas cauſas generationis, & corruptionis, in iſto quidem in communi, & hoc eſt intentum eius, in ſequenti vero in particulari. Diuiditur autem in duas partes. In prima enumerat triplicem cauſam neceſſariò ponendam pro generatione rerum naturalium, materiam, formam, & efficientem. In ſecunda refert, & reiicit duas opiniones circa cauſam efficientem, ex quarum refutatione probatum relinquit neceſſariò eſſe ponendam præter materiã, & formam. 49

Ex cæleſtibus (ait Ariſtoteles) poſſe nos efficax argumentum ſumere ad probandum, quod præter materiam, & formam ponendum ſit efficiens, vt res naturales poſſint generari. Nam vt cœlum poſſit aliquid efficere, non ſufficiunt materia, & forma eius, ſed præter has requiritur mouens, ſeu efficiens, nempe intelligentia: ergo pari ratione in his inferioribus præter materiam, & formam neceſſaria eſt efficiens cauſa, à qua iſtæ ſuo modo moueantur, vt forma educatur de potentia materiæ, & in ea introducatur, & ita fiat generatio rei naturalis. Suppoſito, quod neceſſaria ſint tria hæc, explicat naturam ſingulorum, incipiens à materia, aſſeritque eſſe potentiam ad eſſe, & non 50

Digitized by Google

esse,& ideo principium, quo res generantur,& intereunt. Nam res ait duplices esse, quædam, quæ necessario non sunt, vt chimera,& aliæ,quæ nec sunt necessario, nec semper, sed possunt esse, & non esse, & aliquando sunt,aliquando non; vt sublunaria corpora: & materia est principium à quo habent, vt generari, & corrumpi possint. Et hoc est esse potentiam ad essendum,& non essendum.Per receptionem namque formæ in materia generantur, & sunt, & per expulsionem eiusdem formæ à materia corrumpuntur, & non sunt. Formam vero esse actum huius potentiæ, à qua res accipit esse, atque etiam talem speciem eiusdem esse, & quasi fons generationis. Quia id, cuius gratia agens operatur circa materiam,est eductio formæ de potentia eius, & introductio eiusdem formæ in ea per quam generatur compositum.

51 Circa causam vero efficientem asserit,antiquos Philosophos allucinatos esse, quia licet aliquid de ea dixerint, naturam, & rationem eius, & multo minus necessitatem non attigerunt. Et in primis Plato in Phædone introducens Socratem de generatione rerum loquentem asserit,res generari per idæarum impressionem, vel quasi sigillationem, ita vt cuiuslibet speciei detur idæa quædam,quæ est substantia separata imprimens materiæ formas indiuiduales talis speciei ad similitudinem sigilli, ex cuius impressione relinquitur figura in cera, distincta quidem ab eodem sigillo in proprio esse permanente,& per talem impressionem formæ res generatur, & permanet permanente impressione;sed abolita impressione delentur ipsæ, vel corrumpuntur. Vnde præter impressionem non videtur ponere causam efficientem. Ideo hanc sententiam duplici argumento reiicit. Primo quidem,quia idem in quantum idem,& eodem modo se habens semper facit idem;sed idæa,vel species rei efficiendæ est eadem,& eodem modo se habet semper:ergo impressio eius eadem erit semper, & eodem modo se habebit;sed materia etiam eodem modo se habet, cum semper sit apta, & quasi parata ad recipiendum:ergo fient semper impressiones formarum, & generationes rerum, semper res durabunt, & numquam corrumpentur,quod patet esse falsum. Secundo, quia ars imitatur naturam,sed in operantibus per artem, & quasi per impressionem formæ,præter impressionem, formam impressam, & materiam, vel subiectum recipiens, datur efficiens causa educens eamdem formam de potentia materiæ, vt præter sanitatem, & subiectum,Medicus: ergo præter impressionem idæalem formæ, & materiam debet poni causa efficiens,à qua forma producatur,& infundatur materiæ,résque integra generetur.

Secunda

Secunda opinio fuit aliorum Philosophorum,qui materiam ipsam posuerunt pro efficiente, in quantum operatur, & quasi se mouet per qualitates tamquam per organa,vel instrumenta, vt per calidum,& frigidum,& ideo ab ea tamquam ab efficiente rem generari. Hanc tamen opinionem falsam esse probat duplici argumento. Primum est,quia materia ex propria natura est pura potentia passiua nullum habens actum:sed passiuæ potentiæ non est agere, sed solum pati recipiendo, cum constet nihil agere,nisi in quantum est in actu:ergo non potest materiæ tribui ratio causæ efficientis.Secũdo, quia in operibus artis non se mouent instrumenta, nisi manu artificis moueantur, & applicentur ad opus:ergo qualitates illæ,quas ponunt in materia pro instrumentis eius ad efficiendam generationem, non se mouent, sed moueri debent à principali efficienti, quod non potest esse materia, cum nullam habeat virtutem actiuam, sed passiuam tantum: quare necesse est præter illam ponere efficientem causam à qua moueantur.Quod patet ex igne habẽte summam actiuitatem,& nihilominus agere non potente, nisi moto ab vniuersalioribus causis,nempe à corporibus cœlestibus: ergo multo minus qualitates illæ materiæ poterunt rem generare, nisi à causis efficientibus vniuersalioribus moueãtur. 52

CAPVT X.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Amplius autem quoniam secundum latitudinem motus demonstratum est perpetuus, &c.

Breuis expositio textus.

REfutatis capite præcedenti opinionibus antiquorum circa causam efficientem generationis, & corruptionis intendit Aristoteles in præsenti proponere propriam: & ex ea ostendere in particulari, quænam sit talis causa generationum naturalium.Diuiditur autem caput in tres partes. In prima repetit ea,quæ alibi de hac re docuit. In secunda proponit contra ea dubium,& soluit,proponens propriam sententiam. Et in tertia non nihil agit de vnitate primi motoris, & primi motus, cuius continuitatẽ simul cum continuitate temporis paucis explicat.

Principio igitur asserit se 8.lib. Phys. probasse dari vnũ primũ motorẽ,atque vnũ primũ motũ circularẽ per se cõtinuum,

atque

atque perpetuum, & hunc, vel potius primum motorem per ipsum esse causam perpetuitatis generationum, & corruptionum rerum naturalium; quod nunc probat hoc breui argumento. Motus circularis est primus omnium motuum, & mutationum, & est per se continuus, atque perpetuus, vt 8. lib. Physic. probatum est: ergo est causa vniuersalis generationum, & corruptionum. Probatur consequentia, quia id, quod est, potius debet esse causa eius, quod non est, quàm è conuerso id, quod non est, sic causa eius, quod est; sed primum mobile, quod mouetur motu circulari, atque perpetuo semper est; ea vero, quæ generantur, & corrumpuntur non sunt, vel certe non semper, cum incipiant esse, cum prius non fuerint, & desinant esse, cum aliquando fuerint: ergo illud potius per suum motum erit causa rerum generabilium, & generationis perpetuæ earum, quàm istæ sint illius causæ.

2 Sed aduersus hæc proponit dubium in secunda parte capitis, quia non videtur primum motum esse sufficientem causam generationum, & corruptionum propter duo: Primum, quia idem in quantum idem, & eodem modo se habens, semper facit idem; sed primum mobile est vnum, & semper idém, & pari ratione motus eius: ergo semper producent eumdem effectum, quare vel semper erunt generationes rerum, vel semper corruptiones, & nec succedet corruptio generationi, nec generatio corruptioni, quod euidenti experientia patet esse falsum, cum videamus, nunc generari vnam rem, postmodum vero corrũpi. Secundò, quia contrariorum effectuum contrariæ debent esse causæ, sed generatio, & corruptio sunt contrariæ, vt per se patet; ergo cõtrarias causas habere debent, & ideo non vnam, sed plures; constat vero primum mobile vnum esse, & motum eius vnicũ: ergo repugnat esse sufficientem causam generationis, &
3 corruptionis. Respondet Arist. hac distinctione, motus cœlestis duplex est, vnus, qui semper se habet eodem modo, & iste est motus primi mobilis ab Oriente in Occidens, qui absoluitur spatio viginti quatuor horarum, & per quem primum mobile rapit secum omnes inferiores cœlos, & facit eos moueri ab eodem puncto Orientis, vsque ad idem punctum Occidẽtis eodem tempore. Alter est motus proprius Solis per circulum quemdam obliquum (quem Zodiacum vocant) & iste non absoluitur, nisi per annum integrum duodecim mensium, ita vt per sex menses accedat Sol à Capricornio ad Cancrum, & per sex alios recedat à Cancro ad Capricornium: primisque sex mensibus propinquior nobis fiat: sex vero alijs à nobis recedat. Accessus distinguatur in ver, & æstatẽ, recessus vero in autumnum, &

num,& hiemem.De motu igitur primi mobilis concedit Ariſt. non eſſe cauſam generationum, & corruptionũ, de motu vero ſolis proprio negat.Et rationem aſſignat,quia motus ſolis continet acceſſum eiuſdem ſolis ad hæc ſublunaria corpora, per quem influit virtutem in omnia ad generationem, efficitque ſua luce,& calore,vt arbores,& alia ſemina, atque etiã animalia ſuos fructus,ſuoſque partus edãt,quod eſt ſibi ſimilia generare,per receſſum vero decreſcente tali influxu corrumpuntur res;vnde merito acceſſus vocatur tempus generationum, receſſus vero tempus corruptionum:idem itaque motus proprius ſolis continet partes quaſi oppoſitas, nempe acceſſum, & receſſum,& ita poteſt eſſe cauſa oppoſitorum effectuum, nempe generationum, & corruptionum, & ita ſit ſatis duobus argumentis propoſitis.Priori quidem,quia licèt Sol ſit idem agens, atque etiam motus eius idem, non tamen eodem modo ſe habens ſemper, ſed diuerſo per acceſſum, & receſſum,& ita non ſequitur ſemper efficere idem,ſed diuerſa efficere poteſt.Poſteriori vero,quia conceſſa maiori, & minori,neganda eſt conſequentia,quod non poſſit Sol eſſe cauſa generationis, & corruptionis per proprium motum habentem partes oppoſitas, & quodammodo contrarias,nempe acceſſum, & receſſum. Ex quibus tria colligit:primum,finitum eſſe, atque determinatum tempus vitæ ſingulis viuentibus, quo abſoluto corrumpuntur; ſed tempus non ſemper,nec reſpectu ſingulorum eſt idem, ſed aliquando diuerſum, ita vt longiorem vitam aliquibus natura concedat,breuiorem vero alijs propter diuerſas cauſas particulares facilius, vel difficilius diſponentes,& modificantes influxum cauſarum vniuerſalium. Vnde fit,vt rebus,quibus aſpectus 4
vniuerſalium cauſarum longiorem promittebat vitam,breuior concedatur propter diuerſam modificationem particularium cauſarum. Secundò, colligit dependentiam omnium ſublunarium corporum à cauſis ſuperioribus, & vniuerſalibus, quia conſonum eſt naturis rerum, vt inferiora regantur, & gubernentur per ſuperiora,ab illiſque dependeant,vt docuit, & probauit idem Ariſtot. 1.lib. Metheor. cap.2. Tertio colligit perpetuas eſſe poſſe generationes,& corruptiones, quia cauſa efficiens earum,quæ eſt Sol per motum proprium, perpetua eſt. Et finis,quem intendit,dum generationes,& corruptiones cauſat,eſt perpetuitas,quam perpetuitatem, quia non poteſt conſequi in indiuiduis determinatis, quæ cum ſint corruptibilia, non poſſunt ſemper durare, eam ſaltem conſequitur in ſpeciebus ſemper durantibus,per continuam, & numquam intermiſſam generationẽ nouorum indiuiduorum corruptis ſuccedentium,

tium. Reddit autem rationem ob quam non omnia corpora ſublunaria perpetua ſint in indiuiduo, ſicut cœleſtia corpora, quia inquit hæc magis appropinquare primæ cauſæ per eſſentiam perpetuæ, ſublunaria vero magis eſſe ab ea elongata, & ideo non poſſe eãdem perpetuitatem participare eodem modo, ſed modum aliquem eius participant imperfectum, videlicet ſpecificam perpetuitatem, non indiuidualem, cum tamen illa tamquã proximiora vtramque participent. Sed videri alicui poſſe, ait, nec iſtam perpetuitatem in ſpecie conſequi poſſe ſublunaria corpora, quia non videntur generationes, & corruptiones eorum poſſe durare ſemper, nam per corruptionem ſeparantur elementa à mixtis, & tendunt in propria loca: ergo per continuam corruptionem tandem eo res deueniet, vt omnino ſeparata ſint à mixtis, & reducta in loca propria: & ita ceſſabunt generationes, & corruptiones, & deſinent omnino res generabiles, & ita nec in ſpecie poterunt perpetuitatem conſequi. Et 5 reſpondet non ita contingere, ſed idem Sol, qui per receſſum cauſat corruptionem, & quaſi reducit elemẽta ad propria loca, extrahit iterum, etiam recedens ab eiſdem elementis vapores, & exhalationes pro nouis generationibus ex eiſdẽ in pluuiam conuerſis efficiendis, quod eſt quaſi eadem elementa à proprijs locis iterum extrahere, eaque confundere: nam vapores, & exhalationes naturã, & qualitates elementorum participãt: & facile in eadem elementa conuertũtur, & per conuerſionẽ eorum iterum in pluuiam terra fæcunda redditur, vt ſic non ſolum ipſa, ſed mixta etiam in ea degentia nouos partus ferre poſſint in acceſſu eiuſdem ſolis. In vltima parte capitis eamdem cauſam perpetuitatis generationum, & corruptionũ à ſe traditam reducit ad primam cauſam per has conſequentias. Motus eſt: ergo motor eſt, deinde motus ſemper eſt: ergo motor ſemper, ac perpetuo eſt. Rurſus, motus eſt perpetuo continuus: ergo motor eſt vnus immobilis, ingenerabilis, & inalterabilis, quas omnes cõſequentias probatas reliquit 8. lib. Phyſ. Solam continuitatem, & perpetuitatẽ motus explicat, & probat hoc loco aſſerens eam ſumere motum ex continuitate ſui mobilis, nẽpe ſpheræ cœleſtis, quæ cum mobilis ſit, & motu circulari moueatur, qui non fit per ſpatium, ſed circa centrum terræ ſine loco, 6 & ſpatio (loquitur enim de motu primi mobilis tamquam de primo) ideo non poteſt ab ſpatio, aut loco continuitatem ſumere, ſed à ſubiecto hoc modo. Partes circuli ſibi ſuccedenter continuæ ſunt: ergo motum circularem ſemper continuum efficiunt: & motus ita continuus ratione ſubiecti facit à priori tẽpus perpetuo cõtinuũ, ſed à poſteriori (inquit) cognoſcimus,

& proba

& probamus eumdem motum eſſe cõtinuum, atque perpetuum per tempus perpetuo continuum, quia tempus non eſt aliud, *Quàm numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, vt 4. lib. Phyſ. oſtenſum eſt.

CAPVT XI.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Quoniam autem in his, qua continue mouentur ſecundum generationem, aut alterationem, &c.

Breuis expoſitio textus.

INtentũ Ariſtot. cap præſenti eſt probare, quod generationes, & corruptiones ſunt perpetuæ, non ſecundũ lineã rectam, ſed reflexam, & circularem, ita vt ab eodem procedant, & in illud idem reuertantur, à quo iterũ procedant, & in illudmet reuertantur ſine vllo termino. Diuiditur autẽ caput in tres partes: in prima duobus propoſitis dubijs, duo ex ſolutione eorum præſupponit ad intentum probandũ, quibus addit tertiũ aliud præſuppoſitum. In 2. probat intentũ, quod generationes, & corruptiones ſint perpetuæ in circulo. Et tandẽ in 3. duo dubia proponit, & ſoluit. Cum probatũ ſit 8. lib. Phyſ. ſeriem, vel fluxum perpetuũ generationum, & corruptionum eſſe neceſſarium, merito poſſet quis dubitare. Primo, an omnes iſtæ generationes perpetuo futuræ ſint neceſſariæ, vel aliquæ earum in particulari cõtingentes, ita vt poſſint eſſe, & non eſſe: nam ſi omnes in particulari ſunt neceſſariæ, facile poteſt intelligi, ſeriem, vel fluxum omnium eſſe perpetuum, ac neceſſarium: ſi vero aliquæ earum in particulari, vel omnes ſint contingentes, non videbitur ſeriem omnium eſſe neceſſariam, atq; perpetuam, ſed fieri poſſe, vt terminũ habeant, vltra quẽ non procedant. Reſpondet, præſupponendum eſſe ad probandũ intentũ, quod aliquæ generationes in particulari ſint neceſſariæ, ita vt non poſſint non fieri, & aliquæ contingentes, ita vt poſſint fieri, & poſſint non fieri. Probat duplici argu. & primum deſumit ex communi vſu loquendi; nam ad loquendum de rebus futuris duplici vocabulo vtimur, dicimus enim hoc eſſe futurum aliquando, & tũc ſignificamus eſſe contingens, ita vt poſſit non eſſe, aliquando vero dicimus, hoc erit, & tunc ſignificamus determinate eſſe futurum, hoc eſt neceſſario futurum, vt dum dicimus, quod craſtina circulatio ſolis erit: ergo in rebus futuris, quaſdam eſſe contingentes exiſtimamus, alias vero neceſſarias, & idem 7

erit de

erit de generationibus earum. Secundò probat à priori, quia generatio rei ordinatur ad esse eius; sed dantur quædam res habentes esse necessariũ,vt quod Sol sit in Cancro, vel quid simile,aliæ cõtingentes,vt cursus Petri:ergo dabũtur etiã in particulari generationes necessariæ,atque etiam contingentes.

8 Aliud dubium est, quonam modo inueniatur necessitas in generatione rerum corruptibilium,videlicet, an sicut ex generatione posterioris sequitur necessitas generationis prioris,ita è conuerso ex generatione prioris sequatur necessitas generationis posterioris.Et respondet hac distinctione, si posterius sit in se necessarium,sequitur quidem ex generatione eius necessitas generationis prioris, vt si necessarium sit domum esse, vel fieri,necessario etiam sequitur poni, vel positum esse fundamentum: & ex positione fundamenti necessario sequitur positio luti,& lapidis. Atque etiam è conuerso ex positione fundamenti sequitur positio,vel cõstructio domus, diuersa tamen ratione, quia ex positione, vel constructione domus sequitur absoluta necessitate generatio, aut positio fundamenti: ex hac vero non sequitur necessario generatio domus absoluta necessitate,sed solum ex suppositione necessitatis, quam habet ex se,& hoc est secundũ præsuppositũ. Tertium est,duplicem progressum generationum, & corruptionum esse excogitabilem, rectum,& circularẽ:rectus est,cum omnia quæ generantur successiue vnum post alterum,sunt diuersæ speciei:vt cum ex terra fit aqua,ex aqua aër,& ex aëre ignis, & ita procedat generatio ad res semper specie diuersas tendens: progressus vero rectus est,cum non omnia,quæ generantur,differunt specie,sed fit regressus ad aliquam eiusdem speciei:vt dum ex terra madefacta fiunt vapores,& ex vaporibus pluuia,& per generationẽ pluuiæ iterum madefit terra,& rursus generantur ex ea vapores.

9 His præsuppositis in prima parte capitis probat intentum, in secunda, videlicet generationes nõ esse necessario perpetuas per progressum rectum,sed per circularem, hoc arg.Si generationes essent necessario perpetuæ per progressum rectum, vel essent finitæ,vel infinitæ:non finitæ,quia nõ possent esse perpetuæ. Probatur consequentia, quia finitum semper procedens absque repetitione tandem consumitur, nec etiam possent esse infinitæ,quia tunc nulla daretur vllo modo necessaria, hoc est nec in indiuiduo,nec in specie.Probatur consequentia,quia in his,quæ sibi inuicem succedunt, non potest generatio prioris esse necessaria, nisi præsuppositа necessitate posterioris, sicut non potest esse necessaria positio fundamenti, nisi suppositа cessitate absoluta domus; sed nec sequitur necessario posterius

ex virtute,

ex virtute, vel poſitione prioris, vt non ſequitur generatio domus ex vi generationis fundamenti, niſi præſupponatur neceſſaria in ſe; ſed in infinitis non datur prius, nec poſterius, cum nec detur primum, & vltimum: ergo nec poteſt eſſe neceſſaria ſeries generationum per progreſſum rectum infinitarum rerum. Reſtat igitur, vt ſit neceſſario perpetua per circulum, ita vt ad idem ſaltem ſecundum ſpeciem fiat regreſſus. Quod hoc 10
diſcurſu probat. Exiſtentia mundi eſt æterna: ergo corpora cœleſtia, atque elementa in ea diſpoſitione, quam modò habent, æterna ſunt: ergo ab æterno Sol extraxit vapores ex aqua, aut ex madefacta terra: ex vaporibus autem facta eſt nubes, & ex nube genita eſt aqua, & madefacta terra; & ex aqua iterum generantur vapores, & ſic datur perpetua, atque infinita regreſſio, quia cum circularis ſit, & ab eodem in idem procedat, ſemper poteſt eſſe perpetua ſimul, & neceſſaria. Et ratio neceſſitatis (ait D. Thom.) eſt, quia ea quæ generantur, ita ſe habent, vt prius ſit tota materia poſterioris, & è conuerſo: quare ſuppoſita perpetuitate neceſſaria agentis, neceſſaria eſt perpetuitas generationis circularis. Quod alia etiam ratione probat Ariſtot. quia cum Sol per motum circularem ſit cauſa perpetuitatis generationum, ſicut circulare eſt agens, & circularis motus, ita effectus eorum, qui ſunt generationes ipſæ, & res genitæ per modum circuli fieri, & procedere debent ſemper, ita vt ab eodem procedant, & in idem, ſaltem ſecundum ſpeciem, reuertantur. Quam perpetuitatem circularem eſſe debere confirmat ex tempore, in quo fiunt, quod aſſerit eſſe perpetuum per repetitionem circularem dierum, menſium, & annorum.

Proponit tandem duo dubia, primum eſt, quare generatio 11
per circulum, in quibuſdam locum habeat, ita vt vnum ex altero generetur, & ex eo aliud, quouſque ad idem redeat progreſſus generationum, vt in vaporibus, nube, & pluuia: in aliis vero non habeat locum talis circulus generationum, vt in hominibus. Et reſpondet, quod in his, in quibus vnum non eſt tota materia alterius, generatio procedit in rectum, & non in circulum, & ideo perpetua non eſt, nec neceſſaria; ſed in his ſolum habet vtrumque in quibus vnum eſt tota materia alterius, vt patet in exemplo aquæ, quæ eſt tota materia vaporis, & vapor tota materia nubis, & hæc tota materia eiuſdem aquæ, pater tamen non eſt tota materia filij, nec filius tota materia nepotis, & ideo in his generationibus non habet locum regreſſus ad idem, etiam ſecundum ſpeciem.

Secundum dubium eſt, an ita ſit generatio perpetua, vt re- 12

greſſus, vel circulus ſit ab eodem in idem ſecundum numerum, & ita eadem res numero redeat, vel ſolum ſecundum ſpeciem. Et reſpondet hac diſtinctione, in rebus perpetuis, vel incorruptibilibus, quæ non mutantur ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum aliqua accidentia; regreſſio fit ad eamdem rem numero, vt patet in ſole, qui idem numero permanet in vna, & alia circulatione. In rebus vero corruptibilibus, quæ mutantur etiam ſecundum ſubſtantiam, non fit regreſſus generationum ad eamdem rem numero, ſed ſpecie, vt dum ab aqua procedit Sol generans ex ea vapores, & ex vaporibus nubem, atque ex nube aquam, non eſt eadem numero aqua tandem genita cum ea, à qua extracti fuere vapores, ſed alia eadem vero ſecundum ſpeciem.

TRACTATVS DE REPRODVCTIONE eiuſdem rei ſecundum identitatem numericam.

13 CApite præſenti docuit Ariſtoteles ſeriem generationum, & corruptionum eſſe neceſſario perpetuam, non per progreſſum rectum, ita vt ſemper generentur res nouæ, atque diuerſæ ſpeciei; ſed per progreſſum circularem, ita vt ad eamdem rem ſecundum ſpeciem fiat regreſſus in generationibus ſubſtantiarum, non tamen ad eamdem numero. Circa hæc igitur tractatum noſtrum inſtituimus de reproductione eiuſdem rei ſecundum numerum.

QVÆSTIO I.

An eadem numero res permanens ſemel corrupta naturaliter reproduci poſſit.

CIrca hanc quæſtionem fuit poſitio quædam antiquorum aſſerentium, non ſolum eaſdem res numero redire poſſe, ſed redituras eſſe omnes poſt completam circulationem octauæ ſphæræ cœleſtis (quæ circulatio iuxta probabiliorem opinionem Aſtrologorum durabit per 49000. annos.) Non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum omnia accidentia numero, quæ prius habuerunt. Hæc ſolet tribui Platoni, & eam tribuit

tribuit Democrito, Plinius, lib. 2. hiſtoriæ naturalis capit. 7. tribuitur etiam Origeni 1. lib. Periarchon. qui eam probat ex cap. 1. Eccleſiaſtes, vbi ſic dicitur: *Quid eſt, quod fuit? Ipſum quod futurum eſt: quid eſt quod factum fuit? ipſum quod faciendum eſt: nihil ſub ſole nouum: nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt, iam enim præceſſit in ſæculis, quæ ſunt ante nos, &c.* Ab antiquioribus vero probatur eo ſuppoſito, quod poſt completam circulationẽ octauæ ſpheræ redituri ſunt cæteri omnes orbes cœleſtes ad idemmet punctum, à quo moueri cœperunt. Ex quo ità arguunt, incipientes moueri ab eodem puncto, eumdem numero motum repetent, quem prius fecerunt: ergo eoſdem numero effectus producent. Probatur conſequentia, quia redeuntibus eiſdem numero cauſis, & eodem prorſus modo operantibus, neceſſe eſt redire eoſdem numero effectus, iuxta vulgatum illud ab omnibus Philoſophis receptum. *Idem in quantum idem, & eodem modo ſe habens ſemper facit idem.*

Hæc tamen ſententia falſo imprimis fundamento innititur, & licet verum eſſet, ſufficienter ex eo colligit intentum. Probo primum, quia licet verum eſſe concedatur, quod octaua ſphera poſt completam illam prolixiſſimam circulationem ad idem punctum à quo moueri cœpit, reditura ſit, falſum tamen eſt, quod reliqui orbes cœleſtes ad idem etiam redirent punctum, à quo moueri cœperunt, vt certiſſimis obſeruationibus, & computationibus probant Aſtrologi contra Platonem. Probatur ſecundum, quia etiam ſi ad idem punctum redirent vniuerſi orbes, non bene ex eo colligitur, quod eoſdem numero motus repeterent, ac fecerunt à principio; & conſequenter, quod neque eoſdem numero effectus producerent, quia licet corpus, quod mouetur per hoc ſpatium, ad idem punctum redeat, à quo moueri cæpit, & ab eodem etiam iterum moueri incipiat, non efficiet eumdem numero motum, ſed numero diuerſum, quia identitas numerica motus non ex ſolo eodem puncto accipitur, ſed ex tempore eodem, atque ex aliis, vt 5. lib. Phyſicor. oſtenditur: ergo nec ſequitur orbes cœleſtes ad idem punctum redeuntes eoſdem numero motus, atque effectus efficere. Contra fidem etiam Catholicam eſt eadem poſitio. 14

Nam primo tollit omnes actus liberos, nam ſi redituri ſunt ijdem numero effectus: ergo neceſſe erit ad eoſdem vitioſos actus reddere omnes in poſteriori ſæculo, quos habuerunt in priori, atque etiam ad eoſdem actus bonos, vel indifferentes, nec poſſe ſtatum mutare, quem habuerunt in ſæculo priori, ita 15

Digitized by Google

vt qui in eo duxit vxorem,in hoc permaneat in cælibatu, quod patet esse absurdum. Secundo tollit statum beatitudinis,in quo consistit summa fælicitas hominum, de ratione enim beatitudinis est perpetuitas. Sed secundum eamdem sententiam necesse foret,vt omnes,qui in priori sęculo fuerunt beati,redirent in posteriori ad eumdem statum viatorum,quem habuerunt etiam in eo:ex quo necessario sequitur,quod desinerent esse beati,aduersus illud Pauli,primæ ad Thessalonicen.4.Et sic semper cum Domino erimus.

16 Ad testimonium vero Scripturæ, quod pro eadem sententia affertur,respondet Diuus Agust.lib.12.de ciuitate Dei capit.13. sensum eius esse,quod nihil sit nouum sub Sole,quod non præcesserit, vel idem numero,si à prima sua conditione inuariatum permansit,vel idem saltem genere,aut specie.

Secunda sententia asserit naturaliter posse eumdem numero effectum reproduci,si eadem materia numero iterum approximetur eidem agenti, vt si eadem materia seminis subijciatur actioni eiusdem agentis naturalis,poterit idem homo numero reproduci. Ita Scotus in 4.d.43.q.3. & videtur consentire Richar.q.1. ad 6. immo & D.Tho. art.1. quæstiuncula 3.eiusdem distinctionis,quam probabilem reputauit Tolet.q. vltima huius lib. concl. 2. Probatur primo, quia idem numero agens, & passum cum eadem numero virtute actiua & passiua, à quibus productus fuit hic numero calor,iterum coniungi possunt:ergo eumdem numero effectum producere. Antecedens euidens est in hoc igne calefaciente hanc aquam. Consequentia vero probatur, quia calor productus in aqua secundum suam entitatem procedit à calore existente in igne;sed aqua est eadem numero, eadem etiam potentia passiua eius, ignis etiam est idem numero, atque eius calor: ergo erit etiam idem numero calor productus in aqua, quia à quo res habet suam entitatem, habet etiam suam vnitatem numericam. Et si dicatur, non esse idem tempus vtriusque calefactionis, & ideo non esse eamdem numero, sed diuersam, & consequenter diuersum numero esse
17 calorem productum. Contra hoc est primo, quia calor, & quicumque alius effectus non pendet à tempore in sua indiuiduatione, cum tempus sit ei extrinsecum: ergo diuersitas temporis non est sufficiens, vt dicatur numero diuersus. Secundo, idem ignis potest conseruare diuersis temporibus eumdem numero calorem à se productum: ergo poterit producere eumdem numero calorem diuersis temporibus, quia si idem numero effectus non dependet in conseruari ab eodem tempore, nec dependebit in esse, & fieri. Antecedens vero constabit, si post-

quam

quam ignis calefecit aquam, remoueatur ab ea, & approximetur eidem aquæ aliud calidum, à quo tantiſper conſeruetur idem calor productus ab igne, poſtmodum vero remoto illo calido conſeruante, accedat idem numero ignis, à quo calor ille fuit productus, & eum conſeruet.

Tertia opinio negat omnino, quod aliquis effectus iam corruptus poſſit per virtutem naturalium cauſarum idem numero reproduci. Hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis cap. præſenti, & Sth. 4. lib. contra gent. c. 80. vbi & Ferra atque etiam Scholaſticorum ferè omnium in 4. d. 43. & 44. vbi Capreol. Palud. Sotus, & reliqui omnes, præter citatos pro ſecunda ſententia, Pater Suarius 3. p. diſp. 44. ſect. 6. Conimb. q. 1. huius capitis, art. 3. Toletus q. vlt. & eſt iam communis in ſchola, & vera. Sed difficile eſt rationem inuenire, per quam efficaciter probari poſſit, ideo in modo eam probandi non omnes ſequuntur eamdem viam. Sed quidam rationem eius eſſe dicunt, quia cauſa ſecun- 18
da ex ſe eſt indifferens ad producendum hunc, vel illum numero effectum, determinari vero ad hunc, & non ad alium producendum à prima cauſa, à qua determinatur ad producendum diuerſos effectus, & non eumdem diuerſis temporibus, & propterea non poteſt eumdem numero effectum reproducere. Hic tamen modus probandi inſufficiens eſt, quod ſic probo. Vel ratio indiuidualis effectus poſtulat hoc determinato tempore produci, vel non, ſi poſtulare dicatur, iam reducitur identitas numerica effectus ad identitatem numericam temporis, in quo producitur, potius quàm ad Deum determinantem. Si vero idem numero effectus non poſtulat produci hoc determinato tempore, potius quàm alio, non erit maior ratio ex parte eius, ob quam determinetur ſecunda cauſa à prima, potius ad hunc, quàm ad alium effectum, & ideo ita poterit ad eumdem numero producendũ determinari, ac poteſt determinari ad alterum, quare ſicut poteſt naturaliter alterum producere, ita poterit producere naturaliter eumdem numero. Præterea in actionibus liberis hoc non poteſt eſſe verum, quod à Deo determinetur agens ad hunc actum malum, cum Deus non determinet voluntatem ad peccandum. Propterea probant alij eamdem ſententiam, quia idem numero effectus ſemel productus ab agente non manet amplius in potentia actiua eius, quare non poteſt illum reproducere. Et ratio hæc ſatis efficax eſſet, niſi falſum 19
ſupponeret, quia apertè falſum eſt, quod effectus ſemel productus ab aliquo agente, etiamſi corruptus iam ſit, non amplius maneat in potentia actiua eius. Quod ſic probo, potentia actiua agentis, vel eſt forma ſubſtantialis eius, vel accidens ſuperaddi-

tum, ſed euidens eſt entitatem vtriuſque non minus integram permanere, poſtquam produxit hunc effectum, quam ante productionem eius, neque aliquid eſſe ei detractum: ergo virtutem habet ex parte ſua iterum producendi illum, non minus, quàm habebat prius, quàm eum produceret. Secũdo, quia ſi idem effectus ſemel productus non manet in potentia actiua agentis naturalis: ergo effectus qui producitur à Deo, & ſemel corrumpitur, non permanebit in potentia eius, & ideo nec de potentia abſoluta eum poterit reproducere, quod patet eſſe falſum. Probatur tandem, quia eadem numero forma ſemel educta de potentia materiæ, & iam extincta, permanet in potentia paſſiua eiuſdem materiæ: ergo etiam in potentia actiua agentis. Euidens eſt conſequentia propter neceſſariam correſpondentiam potentiæ paſſiuæ cum actiua. Sed probatur antecedens, quia potentia paſſiua materiæ non eſt aliud, quàm entitas eiuſdem materiæ: ſed euidens eſt de entitate materiæ integram manere poſt eductionem alicuius formæ ex illa: ergo continet eamdem formam iam extinctam, ſicut continebat prius, quam educeretur.

20 Propterea probant alij, quod non poſſit agens naturale reproducere eumdem numero effectum ex propria eius natura, à qua determinatur ad producendum effectus certo quodam ordine, ita vt primo loco hunc, & non alterum, & ſecundo loco alterum determinatum; & ſic cæteros. Vnde ſequitur, quod non poſſit ſemel productum, atque corruptum, iterum producere, quia poſt productionem primi neceſſariò debet ſuccedere ſecundus, & ſic cæteri in ſuo ordine, quare non poteſt habere locum reproductio alicuius. Hic tamen modus probandi, non ſolum inefficax eſt, ſed fundamento rationis caret. Probatur, quia virtus agentis ſemper eſt eadem: ergo ex parte ſua ſemper poteſt, quid quid poterat prius; ſed prius poterat producere hunc numero effectum: ergo etiam poteſt illum ex parte ſua reproducere, poſtquam extinctus eſt; falſum igitur eſt, quod producto primo, non poſſit, niſi ſecundum producere. Secundo, quia ſine fundamento ſupponit ſubordinationem effectuum omnium eiuſdem ſpeciei in ordine ad productionem. Probatur, quia nullus dependet ab alio, cum ſint numero diuerſi, nec vnus ſit pars alterius, vel aliquid eius, ſicut ergo euidens eſt nullam habere dependentiam in eſſe, ita neque in fieri.

21 Quare alij ex recentioribus aſſerunt, agens ex propria virtute actiua indifferens eſſe ad producendum plures numero effectus, per plures actiones, indifferens etiam eſſe paſſum, vt ex potentia eius educantur. Determinatur autem à Deo, tamquam à primo agente ad hanc numero actionem, & hunc numero effectum

ctum producendum, potius, quàm alterum, non quidem per puram, vel ſolam eius libertatem, ſed quia natura ipſa cauſæ quodammodo exigit talem determinationem, in quantum ex ſe inclinatur ad operandum tali modo, & ordine, vt nunc poſtulet talem actionem, & concurſum, poſtea vero alium: iuuant etiam cœleſtes influentiæ, quæ diuerſæ ſunt pro diuerſis effectibus. Et tandem iuuat bonũ commune totius vniuerſi, ad quod pertinet, vt plures ac diſtincti effectus producantur ſemper, & non repetantur iam producti, atq; extincti; nam ex hoc plures habebunt indiuidua ſpecies, in quibus conſeruentur, & mundus longe maiorem decorem, & ornatum. Propter hæc igitur omnia exigit ordo rerum naturalium, vt Deus determinet cauſas ſecundas ad diuerſas numero actiones, & effectus producendos, & nunquam ad eamdem numero actionem repetendã, vel eumdem numero effectum producendum, & quia illa cẽſentur fieri à Deo naturaliter, quæ fiunt ab eo ſecundum exigentiam, ac diſpoſitionem rerum naturalium, & quæ fiunt præter hanc exigentiam, ac diſpoſitionem dicuntur fieri ab ipſo ſupernaturaliter, ideo verum eſt, quod ſecundum ordinem naturalem, ac potentiam Dei naturalem, vel ordinariam, idẽ numero iam corruptum non poſſit reproduci. Hæc tamen ſententia inſufficiens cenſenda eſt, quia 22
per hæc omnia non reddit ſufficientẽ rationem, propter quam numquam poſſit per virtutem naturalem redire, vel reproduci idem numero ſemel corruptum. Probatur hoc diſcurſu diſcurrente per ſingula: imprimis falſum eſt, quod cauſa particularis ſecundum ſe ſit inclinata ad hanc numero actionem, & hunc numero effectum producendum potius, quàm aliud, quod ſic probo. Ignis ſecundum ſe omnino indifferens eſt, vt applicetur ad operandum circa hoc ſubiectum potius quàm circa illud, ad operandum hoc tempore potius quam alio, ad operandum cum hoc concurſu vniuerſaliũ cauſarũ, atque ipſius Dei potius quam cum alio, & ſic de cæteris circumſtantiis, à quibus determinari poſſit; ergo ſecundum ſe non eſt vllo modo determinatus, immo neque inclinatus ad hãc numero actionem, vel effectum potius quàm ad alterum, ſed ſicut æquè primo continet omnes, ita ex ſe eſt æquè indifferens ad omnes, & ſingulos producendos, ad omnéſque, & ſingulas actiones, per quas producendi ſunt, quare nec ex ſe exigit hunc concurſum potius, quã alterum, immo nec hoc tempore potius, quam altero operari. Vnde ſequitur, nec ſecundum ſe exigere productionem noui, atque diſtincti effectus, potius quam eiuſdem iam extincti, ſed æquè indifferens eſt ad eamdẽ numero actionẽ, & effectũ producendum, ſicut ad diſtinctam actionem, & effectũ, cum eodem prorſus modo vtrumque

contineat,vt probauimus.Et tandem, quantum ad bonum vniuerſi,& ornatum eius pertinet,duo exiſtimo eſſe certa,primum, quod poſtulet productionem diſtinctorum effectuum. Secundo,quod id non poſtulet ſemper.Probatur vtrúmque ex conſeruatione ſpecierum,& ornatu,ac decore eiuſdem vniuerſi:nam ſi eadem ſemper indiuidua repeterentur, non poſſent conſeruari ſpecies,& mundus ornatu illo,& decore priuaretur,quę ex mul-
23 titudine indiuiduorum conſequitur. Quod verò non ſemper exigat talem diſtinctionem,his exemplis probatur: nam,quod candela hæc eadem numero illuminatione,& lumine producto illuminet eumdem numero aërem huius cubiculi, hac hora,& ſequenti,vel numero diuerſis ad eoſdem fines, impertinens eſt. Quod calefacta aqua ab igne,& extincto modum calore in ea producto, diuerſa numero calefactione, & diuerſo numero calore iterum poſt horam calefiat,vel eadem numero calefactione,& calore,nec dici, nec excogitari poteſt, quod propter conſeruationem ſpeciei caloris,vel luminis,vel propter bonum totius vniuerſi,aut ornatum eius exigatur: quid enim boni, quid ornatus, quid conſeruationis ſpeciei alicuius prouenire poteſt ex diſtinctione numerica talis actionis,& effectus,potius quàm ex numerica identitate vtriuſque? nihil profecto.Conſtat igitur ex toto hoc diſcurſu,quod licet aliquando,vel in aliquibus exigat ordo rerum naturalium,aut conſeruatio ſpecierum,vel bonum,atque ornatus eiuſdem vniuerſi diſtinctionem numericam actionum,& effectuum,non tamen ſemper, ſed aliquando non magis ad eoſdem fines conducit diſtinctio, quàm identitas: ex quo efficaciter colligitur, quod in his caſibus reducenda ſit determinatio cauſarum ad ſolam, & liberam Dei voluntatem, ita vt non magis natura rerum exigat, quod ad diſtinctas actiones, & effectus determinentur ab ea, quàm ad eaſdem numero actiones,& effectus extinctos repetendos per reproductionem; ſed id,quod non exigit natura, ac diſpoſitio rerum, non dicitur determinari à Deo ſecundum ordinem naturalem: ergo non probatur neceſſarium, quod ſemper producantur diſtincti numero effectus,& conſequenter nec redditur ſufficiens ratio, ob quam non poſſint naturaliter produci ſæpè idem numero, ſicut producuntur diuerſi propter determinationem cauſarum à diuina voluntate.

24 Noſtra igitur ſententia aſſerit, hac ſola ratione poſſe efficaciter probari,quod idem numero effectus non poſſit reproduci virtute naturali, quia vt idem numero effectus iam corruptus reproducatur virtute cauſæ naturalis,neceſſe eſt eamdē numero actionem redire;ſed hoc repugnat;ergo etiam illud. Maiorem probo,

Digitized by Google

probo, quia actio est medium, per quod effectus procedit à causa, & ab ea dependet, vel est dependentia ipsa; ergo repugnat, quod idem numero effectus redeat, nisi redeunte eadem numero dependentia reali, eadémque numero actione, alioqui posset idem numero effectus naturaliter dependere à causa diuersis numero dependentiis totalibus, & adæquatis, diuersisque numero totalibus, & adæquatis actionibus, quod est absurdum. Minor vero, quod non possit redire eadem numero actio, probatur ex 5. lib. Phys. vbi docet Aristoteles, tria requiri ad vnitatem numericam actionis, vel motus, nempe vnitatem numericam subiecti, termini, & temporis, ita vt quomodocunque horum variato, non sit eadem numero actio, sed diuersa: constat autem non posse redire naturaliter idem tempus iam transactum; ergo nec potest redire eadem numero actio, neque idem numero effectus.

Ad primum argumentum oppositæ opinionis concesso an- 25
tecedente, neganda est consequentia, quod ignis producat in aqua eumdem numero calorem, quia non potest iterum agere in eamdem numero aquam; per eamdem numero actionem; sed necessariò per diuersam propter diuersum tempus; & ideo necesse est diuersum numero calorem producere, non enim potest naturaliter recipere hanc numero entitatem effectus ab hac entitate numerica causæ, nisi media hac numero dependentia, & actione, per quam ab ea producitur, atque dependet. Argumenta verò, quibus probatur effectum non dependere à tempore in sua identitate numerica, vel indiuiduatione, hac distinctione soluuntur. Dupliciter potest sumi effectus, vel secundum propriam entitatem permanentem, quam iam habet extra causas, & hoc modo iam non dependet à tempore, neque à tali numero actione, per quam productus est extra causas, sed à propria entitate indiuiduatur. Posteriori modo sumitur, provt fit à sua causa, & hoc modo à tali numero actione dependet, quod hic numero, & non alius exeat, vel egrediatur ab eadem causa, nisi enim per hanc numero actionem exiret ab hac causa, talémque virtutem eius participaret, non haberet hanc numero entitatem in facto esse, à qua indiuiduaretur simpliciter. Dependet igitur identitas numerica eius quantum ad fieri à tali tempore, quia ab eo dependet identitas numerica actionis, per quam eum producit. Cuius ratio à priori est, quia licet tempus sit extrinsecum, dependentia agentis corporei ab illo in suis motibus, & actionibus intrinseca est, saltem modo naturali, & ideo ex tali dependentia ab aliquo extrinseco desumi potest indiuiduatio actionis eius, atque effectus, pro

vt exiit ab illo,ſicut etiam ſumitur à ſubiecto agente,& termino ſibi extrinſecis. Hac igitur diſtinctione applicata eiſdem argumentis, ad primum negandum eſt,quod identitas numerica effectus quantum ad fieri non dependeat prædicto modo à tempore.Ad ſecundum,conceſſo antecedente,neganda eſt conſequentia, quia diuerſa eſt ratio de productione , & conſeruatione,nã hæc præſupponit rem iam exiſtentem, & indiuiduam, & ideo non dependentem in ſua identitate numerica ab hac, vel illa actione,per quam conſeruatur , & propterea poteſt per eamdem actionem,vel diuerſam conſeruari ab eodẽ,vel diuerſis agentibus,eodem,vel diuerſis tumporibus:de productione vero conſtat ex ſententia omnium non poſſe naturaliter eamdem rem numero produci à diuerſis agentibus totalibus,nec per diuerſas numero actiones totales. Vnde non ſequitur ex conſeruatione eiuſdem effectus ab eadem cauſa diuerſis temporibus, vel etiam à cauſis diuerſis, quod poſſit produci, & reproduci ab eadem,vel diuerſis per virtutem naturalem.

26 Et ſi quis nobis obiiciat illud,quod docuimus in 1.lib.cap.4. tract.de alteratione,nempe omnes gradus intenſionis eiuſdem qualitatis eſſe eiuſdẽ prorſus rationis,& ideo non magis vnum, quam alterum expelli per alterationem contrariam, ſed determinari à Deo expulſionem huius gradus potius,quam alterius, ſicut determinatur productio talis gradus qualitatis oppoſitę,à quo expelli debet,& vniuerſaliter agentia omnia ad tales actiones,& effectus producendos.Reſpondeo ſolutionem illam aſſignatam fuiſſe à nobis iuxta ſententiam eorum, qui determinationem cauſarum particularium in ſuis actionibus,& effectibus producendis reducunt ad primum agẽs;ab eis enim procedebat arg. & ideo ſoluendum fuit iuxta eorundem opinionem, quam licet nunc reiiciamus , adhuc tamen ſolutio illa in ſuo robore permanet;nam licet verum ſit, quod nunc aſſerimus, videlicet agens particulare, atque etiam primum, vt cum eo concurrens determinari ad hanc numero actionem , & hunc numero effectum ab hoc tempore,in quo operantur, nihilominus eadẽ numero actio hoc tẽpore elicita,& hic numero gradus formæ per eam productus adhuc ſunt indifferentes ad expulſionem huius, vel alterius gradus formæ oppoſitę:quia ſuppoſito,quod omnes ſunt eiuſdem prorſus rationis,non eſt maior ratio,ob quã vnus, quàm alter expellatur ab hoc gradu formæ oppoſitæ,& per hãc numero actionem,vel motum,ſed gradus iſte productus,& hæc numero actio,per quã producitur,tãquã effectus primarius,determinãtur ad expulſionẽ huius gradus oppoſitæ formæ potius quam alterius tamquã ad effectum ſecundariũ à Deo tamquam

à primo

à primo agente, propter vniuersalem regulam, quod ad primum agens pertinet determinare secundum, quando nec à se, nec ab aliquo alio determinari potest, & quia ad secundariũ hunc effectum, qui est expulsio talis gradus, neque ab actione tali, neque à tali tẽpore, vel tali parte subiecti, circa quã operatur determinari potest, sed hæc omnia adhuc indifferentia manẽt ad expulsionem huius, vel illius gradus, ideo necesse est determinari à primo agente, quamuis ad talem actionẽ, & talem effectum primarium à tali tempore determinentur cæteris præsuppositis.

QVÆSTIO II.

An possit naturaliter reproduci, vel resurgere idem homo iam mortuus.

Affirmatiua pars probari potest primo, quia post mortem 27
hominis permanet eadem numero materia cum eadem inclinatione, & appetitu naturali ad recipiendam eamdem animam permanentẽ quoque cum eodem appetitu naturali informandi eã; ergo necesse est dari in rerum natura virtutẽ actiuam naturalem alicuius causæ efficientis secundæ, vel saltem primæ, per quam possit reuniri eidem materię, quia cuicumq; potentiæ passiuæ naturali debet correspõdere naturalis actiua, à qua possit reduci in actũ, & si in casu isto non datur, permanebit anima separata à corpore, & priuata appetitu informandi in statu violento, & perpetuo quidẽ, cũ sit ipsa incorruptibilis, & ita aliquid violentum erit perpetuum. Secundo, quia quælibet res naturalis potest naturaliter cõsequi proprium finem naturalem; ergo per aliquod medium naturale, quia media debẽt esse proportionata fini, sed non potest homo mortuus consequi proprium finẽ naturalem, nisi per solum medium resurgendi in eadem identitate numerica; ergo resurrectio naturaliter est possibilis; & ideo reproductio eiusdem rei. Probatur minor, quia finis naturalis hominis, quẽ naturaliter appetit, est beatitudo saltem naturalis in eo posita, quod habeat omne bonũ suę naturæ proportionatum, & careat omni malo eidẽ naturæ contrario; sed hanc beatitudinem non potest consequi naturaliter in hac vita præsenti innumeris plena miseriis; ergo naturaliter debetur ei altera, in qua eã consequatur; quã constat habere non posse iam mortuũ, nisi per reunionem animæ ad corpus, ex qua resultabit idẽ numero homo, quare reproductio eius naturaliter erit possibilis. Quod videtur sentire plures ex sanctis patribus vniuersaliter asserentibus resurrectionem corporũ debitam esse naturæ hominum.

Commu

28 Communis tamen ſententia Scholæ à nobis tenenda aſſerit reſurrectionem hominis, vel reproductionem eius in eadem numerica identitate non eſſe poſſibilem per virtutem naturalium cauſarum,etiam Dei,vt cauſæ primæ naturalis.Ita ſentiũt Scholaſtici omnes in 4. d. 43.& 44. D. Tho. Ricard. Durand. Palud.Sotus,& alij,Henric quodlib.7. q.16.Ægid. theorem.1. & probari poſſet teſtimoniis ſacrarum litterarum, & ſanctorum Patrum,niſi Philoſophicum inſtitutum excederet.Id tamẽ egregiè præſtitit P. Suarius 3. p.diſp.44. ſect.6. probatur vero tribus argum. ex tribus etiam capitibus deſumptis.Primum ex parte materiæ hoc modo, vnitas numerica compoſiti Phyſici ſumitur ex hac materia,& ex hac forma;ſed repugnat naturaliter mortuo homine iterum informari materiam eius ab anima propria;ergo repugnabit naturaliter hunc hominem reproduci. Probatur minor, quia vt eadem numero materia iterum informetur ab eadẽ anima,neceſſe eſt ita coniungi partes eius, & ita applicari ſimul agenti naturali, vt poſſit denuo organizari,& omnino diſponi pro introductione eiuſdem animę,ſicut fuit organizata,ac diſpoſita in prima generatione hominis:ſed talis coniunctio, & applicatio,talis organizatio,taliſq; diſpoſitio naturaliter eſt impoſſibilis; ergo & reproductio eiuſdem hominis.Probo iterũ minorem,quia materia hominis per continuas tranſmutationes naturaliter diſſipatur, atque etiam diuiditur, & commiſcetur aliis, & à diuerſis formis informatur, & quod certiſſimum eſt,ad remotiſſimas diſpoſitiones, & formas tranſit reſpectu earum, per quas diſponi debet ad recipiẽdam eandem animam, ita vt non detur agens naturale potens eam ab his remotiſſimis diſpoſitionibus, & formis reuocare,vt poſſit recipere proximas, vt conſideranti mortem hominis, & ſtatum corporis eius poſt eam in dies magis remotum ab ea diſpoſitione quam habuit in prima generatione eiuſdem hominis,ſatis erit per ſe manifeſtum.

29 Secundò probatur ex parte diſpoſitionum, nam etiam ſi eadem numero materia poſſet applicari agenti naturali modo conuenienti,repugnat naturaliter,quod agens eaſdem numero diſpoſitiones inducat in eam, repugnat etiam naturaliter,eamdem animam iterum reuniri eidem materiç,niſi eiſdem numero diſpoſitionibus organizatę;ergo naturaliter repugnat talem reunionem fieri. Probatur minor,quia non poſſunt produci ab agente naturali eædem numero diſpoſitiones, niſi per eamdem numero actionem,ſed non eſt poſſibile naturaliter redire eamdem numero actionem: per quam diſpoſita fuit materia in prima generatione hominis, quia identitas numerica actionis

nis corporeæ, ac naturalis dependet à tali tempore determinato, quo variato non est eadem numero, sed alia; ergo nec possunt redire eædem numero dispositiones. Quod vero sit necessarium easdem redire, & non sufficiant aliæ numero diuersæ, manifestum est, quia naturalis est correspondentia inter generationem substantialem, & alterationem, ac dispositiones prærequisitas in materia pro introductione eius, ita vt sicut talis forma numero postulat talem numero generationem, per quam producatur, vel vniatur materiæ, ita talis generatio tales numero præexigat dispositiones, sine quibus non possit naturaliter fieri, nec talis forma introduci. Ex his autem duabus ra- 30
tionibus colligitur tertia desumpta ex modo operandi Dei, vt agentis cum causis naturalibus, Deus vt auctor naturæ nihil in rebus operatur, nisi secundum exigentiam, & quasi debitum naturalium causarum; ita vt, quod præter hanc exigentiam efficit, supernaturale, aut miraculosum dicatur, sed reunio animæ, & productio eiusdem hominis non est secundum exigentiam, & debitum alicuius causæ naturalis; ergo nec est factibilis à Deo naturaliter. Minor probanda est, discurrendo per quatuor genera causarum, non est enim debita materiæ, quia licèt habeat potentiam vniuersalem & remotam ad recipiendam eamdem animam, non tamé proximam, & determinatam, ad quam determinatur per tales dispositiones, quas probauimus naturaliter impossibiles, nec reunio debita est formæ, nempe eidem animæ, quia licet naturalem habeat inclinationem ad informandam hanc materiam, non certè, nisi vt talibus dispositionibus præparatam. Causæ vero efficienti nulli debetur, quia sicut non potest easdem numero dispositiones efficere in materia, ita nec potest reunionem animæ attingere, quare nec eam dicitur exigere naturaliter. Nec tandem est debita causæ fina- 31
li, quia sola fœlicitas, vel beatitudo naturalis potest esse debita naturæ hominis, quam in operando secundum perfectam virtutem posuit Aristoteles 1. lib. Æthi. c. 10. hæc enim sola finis naturalis eius est, & cum homo sit ex propria natura corruptibilis, non est ei debita adhuc ista beatitudo perpetua, sed pro tempore vitæ eius, vt docet expresse idem Aristoteles eodem cap. atque his verbis. *'nerit igitur id quod quæritur ipsi feliciterque per totam vitam: semper enim, vel maxime omnium ea aget, & contemplabitur, quæ sunt secundum virtutem.* Animæ vero separatæ, quia perpetua est ex propria natura, debetur etiam beatitudo naturalis in actibus perfectæ virtutis consistens; perfectissima vero beatitudo, quæ in aggregatione bonorum omnium, & in carentia omnium malorum vniuersaliter loquédo posita

est, non

est,non est homini, aut animæ eius naturalis , nec naturaliter debita,sed ex gratia Dei supernaturali consequenda , ad quam necessaria erit reunio animæ,& resurrectio corporis per supernaturalem virtutem efficienda. Ex quibus intelligitur naturali fini hominis solum esse debitam imperfectam illam beatitudinem,secundum totum quidem hominem temporalem,& secundum animam,æternam, ad quam patet reunionem animæ non esse necessariam , sed solum ad beatitudinem perfectam, atque perpetuam,quæ supernaturalis est, & ideo neq; homini, nec animæ eius naturaliter debita, sed ex supernaturali gratia Dei,atque ex meritis proprijs adultis, paruulis vero ex meritis Christi tribuenda , & consequenter nec reunio ad eam habendam secundum integrum hominem necessaria, erit naturaliter debita,sed supernaturalis censenda.

32 Et ex toto hoc discursu facile soluuntur duo argumenta in contrarium proposita,nam ad primum distinguendum est antecedens: quantum attinet ad potentiam naturalem materiæ pro recipienda iterum anima,nam de vniuersali, & remota verum est eam habere;sed hæc communis est,& æqualiter respicit omnes formas,& ideo non magis animam , quam habuit prius materia , quàm cæteras , & cum constet non posse naturaliter aliquam ex cæteris recipere , nisi præparata sit per tales dispositiones,ita debet esse certum de anima,sed non potest ab agente naturali præparari eisdem numero dispositionibus, quas habuit prius,& per quas dicitur habere proximam ac determinatam potentiam ad eandem animam potius,quàm ad alias:ergo nec poterit naturaliter eam iterum recipere , nec tenebitur Deus,vt author naturæ ad reuniendam ei animam,sicut nostro modo loquendi teneri dicimus ad eam vniendam in instanti generationis,quia tunc est sufficienter disposita,habetque proximam,ac determinatam potentiam ad recipiendam hanc animam potius quàm alias formas , & ideo debita est ei naturali-
33 ter introductio eius. Ad secundum de fine constat solutio ex vltima nostra ratione.Ex qua intelligitur,quod etiam si anima numquam reuniretur corpori , non diceretur habere statum violentum , quia violentum est à principio extrinseco passo non conferente vim,vt definiuit Aristoteles , constat vero animam habere naturalem potentiam vt sit separata à corpore, quia ex vna parte est perpetua,& ex altera est forma corruptibilis corporis , cui euidens est vniri vnione non solum naturaliter dissolubili,sed naturaliter dissoluenda:ex cuius dissolutione sequitur animam habituram aliquando naturaliter statum separationis , & ideo non violentum. Quod vero naturalem habeat

habeat appetitum informandi materiam, non probat, quod separata sit in statu violento, quia cum simul habeat potentiam ad statum separationis, videtur natura eius vtrumque statum complecti, ita vt quilibet per se sit quasi inadæquatus ei. Et hoc satis est, vt neque in vno, neque in altero patiatur violentiam, sed de hoc agemus ex professo Deo adiuuante in nostris commentarijs ad libros de anima. Quod vero aliqui ex sanctis patribus asserere videntur, reunionem animæ ad corpus, vel resurrectionem nostram debitam esse humanæ naturæ, de debito pro congruitate accipiendum est, non pro necessitate naturali.

QVÆSTIO III.

An per potentiam Dei absolutam eadem numero res permanens semel corrupta reproduci possit.

DE solis rebus permanentibus quærit titulus quæstionis, 34
quia de successiuis, quales sunt motus, & tempus, agendum erit quæstione sequenti; & non de potentia naturali, de qua egimus quæstione præcedenti, sed de absoluta Dei. Vnde idem est ac si inquiratur, an eamdem rem permanentem iam corruptam reproduci in eadem numerica vnitate, quam prius habuit, implicet contradictionem, vel non, sed factibile sit à Deo per absolutam potentiam.

Et imprimis præsupponenda est veritas Catholicæ fidei docens eosdem numero homines resurrecturos in fine mundi: & aliquando etiam eumdem numero hominem ad vitam fuisse reuocatum, vt ex historijs sacræ paginæ constat. Ex qua veritate refutatur error multorum existimantium impossibile omnino esse, quod eadem res numero semel corrupta reproducatur. Quod imprimis videtur tenuisse Aristo. cap. præsenti negans in continua, atque perpetua generationum serie easdem res numero redire posse, quod vero ipse reputauit impossibile per virtutem causarum naturalium contradictionem implicare absque dubio intellexit, cum non cognouerit aliam potentiam præter naturalem. In eodem fuit errore Plinius lib. 2. historiæ naturalis c. 7. & lib. 7. c. 55. idemque fuit error Stoicorum, & Epicureorum, vt refertur Actorum 17. qui Paulum resurrectionem hominum prædicantem vocarunt nouorum dæmoniorum annuntiatorem. Idem tandem senserunt Saducæi ex Iudæorum natione, vt refertur Matthæi. 22. & Actorum 23.

Hac

Hac igitur veritate fidei præsupposita, & refutatis ex ea erroribus, prima opinio Catholicorum tenet, hominem quidem reproduci posse, sed præter ipsum nihil aliud, ita Duran. in 4.d. 43.q.3. Marsi. q.vltima huius libri, Ioānes de Neapoli, quodlib. 31.q.6. à qua non videtur dissentire D. Tho. in 4.d.44. q.1.art. 2.quæstiuncula 2. ad primum, & 3. Et 3.p.q.77. art. 5. nam in primo loco asserit, ideo hominem semel mortuum posse eumdem numero redire, quia permanet non solum materia eius, sed anima, cuius esse communicatur toti homini, & ideo per mortem (ait) non interrumpi esse hominis, sed semper durare, & propterea iterum produci posse per diuinā potentiā, non tamen res alias, quorum esse omnino perijt ipsis pereuntibus, & cōsequenter interrumpitur: quare redire non potest vllo modo. In secūdo vero loco negat vniuersaliter rem semel anihilatam à Deo, redire posse eamdem numero.

Sed probat Duran. Primo, quia ea quæ non possunt produci per eamdem numero actionem, sed necessario per diuersam, non sunt idem numero, sed diuersa: quia cum actio sit dependentia effectus à causa, necesse est diuersas actiones esse diuersas dependentias, per quas repugnat procedere eumdem numero effectum, sed repugnat eamdem numero actionem semel trāsactam redire, sicut repugnat redire idem tempus iam transactum, à quo identitas numerica eius dependet: ergo non minus repugnat redire eumdem numero effectum.

35 Secundò, quia repugnat eamdem rem bis esse, aut duplicem habere durationem, vel duplicem existentiam: nam iam non esset eadem, sed diuersa: sed hæc eadem sequuntur, si eadem res numero reproducatur: ergo impossibile censendum est. Minorem probat, quia priusquam corrumperetur, fuit, & post corruptionem iterum producitur, ergo iterū est, nam secunda productio non minus ordinatur ad esse, quàm prima. Fuit etiam heri, & erit die craftina, cum tamen hodie non sit, duo autem dies interrupti sunt duo tempora, cum sint discontinua: ergo habebit duplicem durationem; & hinc sequitur habere duplicem existentiam, quia duratio non est res distincta ab existentia rei, vt multi asserunt.

Tertiò, si Deus ageret ex necessitate naturæ, sicut ignis agit, & non liberè, non foret potentia eius minus infinita, ac est modò, cum libertas nullam potentiam Deo conferat, sed infinitam præsupponat, sed Deo agente ex necessitate naturæ implicaret contradictionem eamdem numero rem corruptam iterum produci: ergo eodem modo erit impossibile, etiam si liberè operetur. Minor probatur, quia agere ex necessitate naturæ

naturæ est agere ex determinatione ad vnum: ergo id quod hoc modo agit, vel vnum numero producit semper, vel numquam, sed semper diuersum, quare non poterit modo diuersa producere, modo eadem, quia hoc ex libertate dependet; sed in tali casu produceret sæpe diuersa numero, vt per se est manifestum: ergo numquam posset reproducere idem numero iam corruptum.

Secunda opinio affirmat non solum eumdem numero hominem semel mortuum, sed quamlibet aliam rem permanentem semel extinctam posse eamdem numero reproduci per potentiam Dei absolutam. Ita sentiunt omnes ferè Scholastici in 4. d. 43. Scotus q. 1. D. Bona. q. 5. Capreol. q. 1. Palud. quæst. 2. & 3. Sotus d. 44. quæst. 1. & D. Thom. expresse, quodlib. 4. artic. 5. opus. 9. cap. 81. & 4. contra gent. cap. 81. & ibidem Ferra. Henri. quodlib. 7. q. 16. Ægid. theorem. 1. P. Suarius 3. p. tom. 2. disput. 44. sect. 6. & cæteri omnes tam antiqui, quàm recentiores, estque communis, & vera. Probatur primo, quia eamdem rem numero iam extinctam iterum produci non repugnat ex parte diuinæ potentiæ, nec ex parte eiusdem rei; sed neque ex parte eiusdem actionis, vel temporis: ergo ex nullo capite repugnare potest, & ideo censendum est posse fieri. Antecedens probo, quia postquam Deus aliquam rem creauit, & extincta est, eadem numero permanet in potentia diuina, quæ integra permansit, postquam rem produxit, non minus, quàm erat ante productionem. Et hinc desumpserunt sancti patres præcipuum argum. ad probandam hanc communem sententiam, præsertim Aug. 22. lib. de ciuitate Dei cap. 20. & serm. 19. de verbis Apostol. vbi ita ait, *Si in nihilum rediremus, facere Deus poterat, vt essemus, sicut fecit: cum antea numquam fuissemus.* Atque etiam Greg. homil. 18. in Euang. his verbis. *Longe minus est Deo reparare, quod fecit, quam creasse, quod non fuit.* Quod vero non repugnet ex parte ipsius rei iterum producendæ, probatur, quia vel producenda est per creationem, vel per eductionem de potentia materiæ: si primo modo, nullam potest habere repugnantiam ad essendum: postquam ad nihilum reducta est, magis quam habuit, priusquam crearetur, quia in se nihil est, & solum potest esse in potentia actiua Dei, ex parte cuius nulla potest esse repugnantia, vt iterum fiat. Si vero producenda est ex potentia materiæ, nec ex hac parte potest esse repugnantia, quia etiam est euidens in potentia materiæ contineri, non minus postquam extincta est, quam continebatur prius quàm produceretur, cum potentia materiæ non sit aliud, quàm entitas eiusdem materiæ, quam constat non esse diminutam, ex eo, quod semel educta fuit eadem res ex

37

38

eius potentia. Sed tandem probo, quod non repugnet ex parte actionis, vel temporis, quia licet Deus agens per causas secundas à tempore dependentes, suam actionem (quæ non est alia ab actione creaturæ) tempori accommodet, per se autem agens non dependet in sua actione à tempore; quare poterit eamdem rem extinctam iterum producere per eandem actionem, qua eam primò produxit, quia propria eius actio non indiuiduatur à tempore, neque ab aliqua duratione, atque etiam (vt ego existimo) poterit id præstare per diuersam actionem, prout sibi placuerit, quia si non repugnat Deum simul applicare plures causas totales, & adæquatas ad producendum eumdem numero effectum, per plures numero actiones, & dependentias adæquatas, vt 2. lib. Physicor. probauimus, multo melius poterit ipse pluribus actionibus eumdem effectum, nunc, & postea producere, & reproducere; nec repugnabit, quod pluribus dependentiis ab eo dependeat.

39 Secundò probatur argum. euidenti ad hominem contra primam opinionem, ex resurrectione hominis, per quam fide catholica confitentur patroni eius eumdem numero hominem reproduci. Ex quo sic arguo, siue resurrectio hominis sit eadem actio cum prima generatione eius, vel diuersa numero ab ea, sequitur non minus posse Deum reproducere quamlibet aliam rem. Probatur consequentia, quia si est eadem: ergo per eamdem numero actionem potest Deus producere, & reproducere eamdem rem; si vero sit actio diuersa, poterit per diuersas numero actiones eamdem rem numero producere, ac reproducere. Discrimen vero illud inter reproductionem eiusdem hominis, & cuiuscumque alterius rei, nullius momenti est, quia licet esse rei, vel existentia eius interrupta fuerit per anihilationem, vel desitionem aliam, permanet tamen esse iam extinctum in potentia diuina, & hoc sufficit, vt reproduci possit per creationem, vel alio modo, quia diuina potentia ex nullo præsuppositio potest idem esse reproducere: sicut primo illud produxit ex nullo præsuppositio.

40 Ad primũ Durandi concessa maiori, distinguenda est minor de identitate numerica actionis, nam actio est agentium dependentium à tempore, qualia sunt Physica, suam indiuiduationem accipiunt ab illis tribus, vel qnatuor, nempe subiecto, termino, tempore, & agente, & actio etiam Dei cum his agentibus corporeis concurrentis (cum sit eadem cum actione eorum) ab eisdem indiuiduatur, & ideo non potest eadem redire transacto tempore, & de hac actione loquebatur Aristoteles, quia non cognouit aliam. Sed Deus agens per se sine his causis, nõ dependet in sua

in ſua actione à tempore nec ab eo indiuiduatur, ſed ex ſua propria entitate ſine reſpectu ad tempus, quare bene poteſt eamdem ſuam actionem repetere, & per eam producere eamdem rem, & iam extinctam reproducere. Ad ſecundum neganda eſt maior, quod repugnet eamdem rem bis eſſe, & habere plures durationes; nam ex hoc non ſequitur, quod habeat plura eſſe, vel plures exiſtentias, ſed ſolum eamdem diuerſis temporibus repetitam, in quo nulla eſt implicatio contradictionis. Nam neque exiſtentia, nec actio Dei, per quam primo producitur, & iam extincta reproducitur, indiuiduantur à tempore, & propterea nec repugnat vtrumq; habere diſtinctas durationes, quia iſtæ extrinſicæ prorſus eis ſunt. Quod vero de diſtinctione durationis ab exiſtentiis rerum dicitur, non eſt verum de tempore, quod concedunt omnes diſtingui realiter ab exiſtentia rei permanentis; vnde non ſequitur ex duplici tempore duplex exiſtentia. Dubium vero ſolum eſſe poteſt de diſtinctione propriæ durationis cuiuſcumque rei ab exiſtentia eiuſdem, vt æui ab exiſtentia Angeli, de qua probaui 4. lib. Phyſicor. diſtingui ex natura rei, deo non poteſt ſumi argum. ad probandum plures exiſtentias ex pluribus durationibus, quia non implicat contradictionem has multiplicari illis non multiplicatis, cum diſtinguantur ab eis realiter.

Ad tertiũ neganda eſt maior, quod ſi Deus ageret ex neceſſi- 41
tate naturæ, non eſſet virtus eius minus infinita, ac modo eſt liberé agens, nam repugnat Deum eſſe virtutis infinitæ ſimpliciter, & agere ex neceſſitate naturæ, quia ad virtutem infinitè perfectam pertinet poſſe agere perfectiſſimo modo, qui eſt cum libertate, & ideo non poteſt intelligi virtus infinita ſimpliciter agens ex neceſſitate naturæ: ad ſummum ergo poteſt intelligi, quod ſi Deus ageret ex neceſſitate naturę haberet infinitam virtutem ſolum ſecundum quid, hoc eſt ſolum infinitam ad certum genus operandi ex determinatione ad vnum, per quam bene probat argum. quod non poſſet eamdem rem numero reproducere. Non tamen probat, quod habens virtutem infinitam ſimpliciter, hoc eſt ad quemlibet modum agendi (vt re vera habet) non poſſit rem ſemel extinctam reproducere. Et quod tandem dicitur operationem liberam non conferre Deo potentiam, ſed eam præſupponere, verum eſt, quia operatio libera Dei nihil reale addit ſupra ſubſtantiam eius, ſed ſolum connotationem rei extra productæ; quod eſt eſſe fundamentum relationis rationis ad illam; poſſe tamen libere operari virtutem realem, & intrinſecam dicit in Deo, ex qua habet ſubſtantia eius noſtro modo intelligendi, quod ſit virtus agendi ſimpliciter,

vel omni modo infinita, & ideo quod possit idem numero iam extinctum in quocumque genere, vel specie reproducere.

Et ad D. Thom. respondeo testimonium ex 3. p. bene posse intelligi de potentia Dei ordinaria, atque etiam duo priora, in quibus etiam si clarius negaret, quod possit Deus de potentia absoluta reproducere quamlibet rem, standum esset posterioribus testimoniis à nobis adductis duplici de causa. Prima quidem, quia ex professo de hac re disputans clarissimè explicat mentem propriam: cum tamen in aliis locis obiter tantum verba illa proferat. Secundo vero, quia testimonium ex summa contra gentes posterius est aliis, quæ ex quarto sentent. referuntur, & ideo ei standum esset.

APPENDIX DVBIVM.

An actio per quam Deus eamdem rem numero iterum produceret, esset naturalis, & eiusdem speciei cum prima eius productione.

42 NOn intelligitur dub. de actione, per quam reproduceretur res in alio statu supernaturali, qualem habebit homo reproductus per generalem resurrectionem, nempe statum immortalitatis, nam de hac suo loco docent Theologi, quonam modo sit supernaturalis actio, sed solum intelligitur de actione, per quam reproducitur in eodem statu, qualis fuit actio per quam Christus Dominus, & sancti eius mortuos ad vitam reuocarunt mortalem, hoc est iterum morituros. De qua duo quærimus. Primum, an sit naturalis, vel supernaturalis. Secundo, an sit eiusdem, vel diuersæ speciei, eadem vel diuersa numero cum prima productione eiusdem rei.

Et circa primum videtur ex vna parte talem actionem esse supernaturalem, quod sic probo. Supernaturale vocamus illud, quod non potest per virtutem naturalem fieri; sed talis est reproductio eiusdem rei, vt quæstione præcedenti probauimus: ergo erit actio supernaturalis. Sed ex altera parte probatur esse naturalem hoc modo: naturalis dicitur actio, per quam producitur res naturalis; sed illud, quod reproducitur, habet esse Physicum, & naturale, cum sit compositum ex materia, & forma, si sit substantia corporea, vel naturalem habeat inhærentiam in subiecto, si sit accidens: ergo naturalis est actio, per quam reproducitur. Præterea, actio per quam reproducitur, est eadem numero cum prima productione eius; sed de prima productione

constat

constat fuisse actionem naturalem: ergo reproductio naturalis actio esse debet, alioqui eadem numero actio esset naturalis, & supernaturalis, quod repugnat.

Respondendum tamen est dubio proposito hac distinctio- 43
ne. Dupliciter potest considerari reproductio rei. Primò secundum entitatem, vel substantiam: secundò quantum ad modum quo fit, videlicet præter exigentiam, & ordinem naturalium causarum, atque extra tempus naturaliter requisitum: & his de causis non potest fieri virtute naturali, etiam diuina operante cum causis naturalibus, sed supernaturali. Priori ergo modo considerata naturalis est, vt probant argumenta pro ratione dubitandi posteriori proposita. Quibus hoc adiungi potest, quia productio rei, & conseruatio eius ab eodem agente sine interruptione eadem numero actio est: ergo si naturalis est vna secundum entitatem, erit etiam naturalis altera; sed actio, per quam Deus conseruabat hominem iam à se reproductum, erat naturalis, sicut entitas, atque existentia eiusdem hominis extra causas: ergo reproductio quoque naturalis erit secundum entitatem. Considerata vero reproductio quantum ad modum quo fit, supernaturalis vocanda est, & hoc probat argum. pro ratione dubitandi priori positum. Et si quæsieris, an simpliciter sit dicenda naturalis, vel supernaturalis. Respondeo naturalem esse vocandam simpliciter, quia modus ille extrinsecus est, & ideo denominatio ab eo proueniens, etiam est extrinseca, quare non simpliciter, sed tantum secundum quid supernaturalem efficit actionem, entitas vero cum sit ei intrinseca, & naturalis, naturalem denominationem simpliciter ei tribuere debet.

Secundum quod petebat dubium est, an reproductio sit ea- 44
dem actio secundum speciem cum prima productione eiusdem rei, atque etiam, an sit eadem numero. Et quantum ad identitatem specificam videtur non esse eamdem, sed specie distinctam, quia distinctio specifica actionis sumitur ab agente, vel forma eius, per quam agit, vt docet expresse D. Th. 12. q. 1. art. 3. Sed prima productio rei ex propria natura fit aliquando ab vno agente, vt si sit generatio ignis ab igne, reproductio vero ab alio specie distincto, nempe à Deo: ergo actiones istæ distinguuntur specie. Secundò quia licet fiant ab eodem agente, diuerso tamen modo iam explicato, cui addi potest, quod prima productio rei potest esse eductio formæ de potentia materiæ, vel subiecti, reproductio vero ex nihilo, vt per se est manifestũ, sed distinctio specifica actionis non sumitur ab entitate eius, quæ videtur esse quasi materialis ratio, sed potius à modo, quo

fit,qui eſt ratio formalis eiuſdemiergo ſemper, & neceſſario diſtinguetur ſpecie reproductio à prima productione. Ex altera vero parte videtur non poſſe diſtingui ſpecie;quia idem eſt terminus ad quem productionis,& reproductionis,non ſolum ſpecie, ſed numero, vt præſupponitur: ergo non poſſunt diſtingui
45 ſpecie.Secundo,quia ſiue motus ſumatur vt actio,ſiue vt paſſio, dicit intrinſecum ordinem ad terminum per ſe à quo ſumit ſpeciem: ergo repugnat actiones diſtingui ſpecie, niſi termini ad quos diſtinguantur ſpecie,quod patet in productione,& reproductione eiuſdem rei non reperiri, vt in generatione hominis, & reſurrectione eius.Et ita tenendū eſt non differre ſpecie productionem,& reproductionem eiuſdem rei,ſed ſolum accidentaliter.Quod efficaciter probant duo hæc poſteriora argumenta;nam,quod eis poſſet reſponderi differre ſpecie actiones ipſas, & terminos productos per modum diuerſum,quo fiunt iam explicatum,non ſatisfacit,quia cum ſit extrinſecus,& accidentalis, non poteſt diſtinguere eas ſpecie.

46 Ad primum argum. pro alia parte poſitum diſtinguenda eſt maior,nam actio non reſpicit agens,vel formam eius ſecundum ſe ſumptam,ſed tamquam principium à quo procedit,& conſequenter res,quæ agit,non reſpicit actionem,niſi tamquam principium quaſi emittens eam à ſe, quod eſt eam reſpicere tamquam dependentiam termini à ſe,& de primo ad vltimum actio non reſpicit agens,nec agens actionem,niſi vt continet ſua virtute terminum à ſe procedentem media eadem actione. Vnde ſequitur actionem ſumere vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam ab agente,vel forma eius, vt principio à quo procedit terminus, & proinde cum ordine intrinſeco ad illum, & non alio modo. Et iſte eſt germanus ſenſus verborum D. Thom. quod actio,vt actio ſumat ſpeciem ab actu agentis, vt principio termini, paſſio vero ab eodē termino,vt recepto in paſſo ab agente. Quem modum diſtinguendi actionem, & paſſionem inter ſeſe, & à motu, copioſe explicuimus in noſtris Commentariis ſuper 3. lib. Phyſic. & ſi eum applicemus ad materiam argum. propoſiti, conſtabit eſſe ſolutum, nam licet aliquando prima productio rei,& reproductio eiuſdem procedāt à diuerſis agentibus, non certe, vt diuerſa ſunt, ſed vt continent ſua virtute eumdem terminum ab vtroque productum principiumque productionis eius ſunt, & ideo per actiones eiuſdem ſpeciei, & ſolum diuerſas ſecundum modum accidentalem, atque extrinſecum iam explicatum.

47 Ad ſecundū arg. reſpondeo in caſu illo produci accidens cum nouo modo eſſendi, ſimili modo eſſendi per ſe ſubſtantiæ; &

ideo

ideo produci per actionem ſpecie diſtinctam. Dum autem dicimus productionem, & reproductionem eſſe eiuſdem ſpeciei, intelligimus ſuppoſito, quod reproducatur res cum ſuo modo eſſendi naturali, quem habuit prius, & non cum alio modo ſupernaturali. De vnitate vero numerica productionis, & reproductionis eiuſdem rei, hac diſtinctione loquendum eſt, nam ſi vtraque fiat à Deo per ſe immediate, erit eadem actio numero, quia licet fiat diuerſo tempore, nihil refert, quia Deus per ſe immediate agens non dependet à tempore, neque ab eo indiuiduatur actio eius. Si vero fiat productio rei ab agente creato, & reproductio à ſolo Deo, non poſſunt eſſe eadem numero actio, ſed diuerſa, cuius ratio eſt manifeſta, quia actio dependet per ſe immediate ab agente tamquã modus eius. ergo repugnat eamdem actionem procedere à diuerſis numero agentibus totalibus, & adæquatis, ſicut repugnat eumdem modum eſſe diuerſarum rerum. Et vnitas numerica actionis ſumitur ab eodem numero agente, vt probauimus 5. lib. Phyſ. ergo repugnat à diuerſis numero agentibus procedere eamdem numero actionem.

QVÆSTIO IIII.

An res per ſe ſucceſſiua ſemel extincta, poſſit eadem numero reproduci per potentiam Dei abſolutam.

SPecialem habet difficultatem reproductio eiuſdem rei ſucceſſiuæ propter ſpecialem modum eſſendi eius non permanentem, ſed continuo fluentem, ratione cuius videtur ſemel tranſacta nõ poſſe redire, vt poſtquam efluxit hic numero motus, vel hoc numero tempus, non videtur poſſibile, quod iterum fluat, vel reproducatur. Propterea conueniunt omnes non poſſe id naturaliter fieri, vel per potentiam Dei ordinariam. Solum ergo potuit eſſe quæſtio, an contradictionem implicet, & ideo nec per potentiam Dei abſolutam fieri poſſit. Et prima opinio tenet non implicare contradictionem, ſed fieri poſſe à Deo. Ita Aureolus apud Capreolum in 4. d. 43. q. 1. art. 2. Mayronius d. 44. q. 3. Bernardus contra Henricum, quodlib. 7. q. 14. & q. vltima huius libri, & ex iunioribus non pauci. Probant primo, quia non implicat contradictionem, quod eadem actio inſtantanea redeat: ergo nec implicabit contradictionem, quod redeat eadem actio ſucceſſiua, quæ eſt motus, atq; eadem duratio eius, quæ eſt tempus. Conſequentia videtur euidens, quia nulla 48

Digitized by Google

poteſt aſſignari differentia:quantũ pertinet ad hoc inter actionem ſucceſſiuam,& inſtantaneam.Sed probatur antecedẽs,quia eamdem illuminationem inſtantaneam poteſt Deus conſeruare per horam continuam: ergo poteſt eam in medietate horæ interrumpere, & in fine horæ iterum eam producere. Probatur conſequentia, quia non requiritur maior virtus ad conſeruandum,quàm ad producendum,nec ad cõſeruandum tempore interrupto,vel continuo:ergo qui poteſt vnum,poterit alterum,& ita poterit producere,& reproducere eamdem actionem in extremis partibus horæ,etiamſi in medio tempore fuerit interrupta.Quod confirmari poteſt ex quæſtione præcedenti,vbi probauimus,Deum poſſe reproducere eumdem numero effectũ per eamdem actionem,quam poteſt repetere;ergo non repugnabit, quod poſſit eamdem numero actionem bis ponere in rerum natura.Secundò,motus accipit ſpeciem à termino,ſed poteſt Deus reproducere eumdem numero terminum motus ; ergo poterit reproducere eumdẽ numero motum.Probatur minor,quia bene poteſt Deus reproducere idem numero corpus cum eadem numero præſentia locali, quam acquiſiuit per motũ:ergo poterit producere eumdem numero motum,per quem eam acquiſiuit.

49 Tertiò, quia ſi repugnaret reproduci eumdem motum, ideo eſſet,quia non poteſt reproduci idem tempus,à quo ſumit ſuam identitatem numericam, ſed hoc non eſt neceſſarium:ergo reproduci poterit.Probatur minor,quia vel repugnat produci eũdem numero motum,quia repugnat produci idẽ numero tempus verum,& reale:quod ſequitur eumdẽ motum,vel quia non poteſt correſpondere diuerſus numero motus eidem tempori imaginario;ſed vtrumq; horũ eſt falſum:ergo nulla eſt propter hoc repugnantia. Probatur minor de tempore reali,& proprio, quia intrinſeca indiuiduatio huius motus non poteſt ſumi ab hac eius duratione,quæ poſterior ſaltem natura, vel ratione eſt eo,& ideo illum præſupponit indiuiduum.Et multo minus poteſt indiuiduari ab hoc tempore imaginario, quod prorſus extrinſecum eſt motui,& ex conſequenti tempori reali,quare non poteſt dependere ab eo indiuiduatio intrinſeca horum.Et certe ſi ab illo dependeret, ſequeretur etiam Angelum dependere in ſua indiuiduatione ab æuo imaginario (quod etiam datur,ſicut imaginarium tempus) & ideo implicaret contradictionem, quod Deus reproducat eumdem numero Angelum, cuius oppoſitum docuimus q.præcedenti. Probatur conſequentia, quia non minus dependet exiſtentia Angeli ab eius duratione reali, quæ eſt æuum, & hoc ab æuo imaginario, quam motus à propria duratione ſucceſſiua reali, & hæc à tempore imaginario:

ergo

ergo ſicut non poteſt redire idem motus,nec eadem eius duratio, quia non poteſt redire idem tempus imaginarium,cui correſpondent, pari ratione non poterit redire idem numero Angelus, neque idem numero æuum eius.Et tandem probant,quia argum.in oppoſitum ſolui poſſunt, quod ſufficeret, vt Deo non denegaretur.

Secunda opinio putat contradictionem implicare, quod 50
idem numero motus, & tempus reproducantur, & ideo non poſſe fieri etiam per potentiã Dei abſolutam.Ita D.Tho.quodlib.4.art.5. Henric. quodlib.7. q.16. Duran. in 4. d.43.q.3.Capreol.& Palud.ibidem q.1.Ferra.4.lib.contra gentes c.81.& Sotus 4.lib.Phyſ.q.4.concl.3. & in 4.d.44.q.1.art.1. & plures alij, & videtur nobis probabilior. Sed probari ſolet quibuſdam argum. minoris momenti, quæ ideo facile ſoluuntur ab aduerſariis. Primo quidem, quia ad præteritum non datur potentia: ergo impoſſibile eſt præteritum tempus redire. Cui bene reſpondent diuerſa eſſe illa duo, & propterea qui concedit primum,non tenetur concedere poſtremum.Dari enim potentiam ad præteritum non eſt aliud,quàm fieri poſſe,quod præteritum non fuerit,& hoc apertam contradictionẽ inuoluit,quare nullo modo fieri poſſe.Quod vero idem numero tempus reproducatur, non eſt, quod deſinat eſſe præteritum, ſed quod cum vere fuerit præteritum,iterum redeat,hoc eſt iterum fiat præſens,atque præteritum,in quo nulla apparet repugnantia.

Secundò probant, quia ſi ſucceſſiuum poteſt reproduci, po- 51
terit etiam conſeruari, ſed hoc repugnat cum intrinſeca eius ſucceſſione,quia ſi conſeruaretur, eo ipſo permaneret, & fluere deſineret; ergo etiam repugnat reproduci. Et confirmat Sotus, quia repugnat ſucceſſiuum non fluere,dum eſt: ergo repugnat iam tranſactum redire.Probat conſequentiam,quia facilius videtur detinere illud, quod fluit, quàm reproducere quod iam non eſt. Nam quod fluit iam ſupponitur eſſe. Sed reſpondent negando vtramque conſequentiam, quia conſeruari, vel detineri ſucceſſiuum pugnat cum ratione intrinſeca ſucceſſionis, quare implicat contradictionem; ſed in eo, quod poſtquam efluxit,iterum fluat,nulla videtur eſſe repugnantia.Et ita intelligitur non eſſe facilius detinere ſucceſſiuum, ne fluat, quàm illud de nouo producere, poſtquam efluxit, & deſiuit eſſe, vt putauit Sotus.

Tertiò probant, quia ſi pars præterita temporis reproducatur, ſequeretur ſimul eſſe cum parte præſenti, aut futura eiuſdẽ temporis,& conſequenter duas partes temporis ſimul fluere, quod patet eſſe impoſſibile, quia partes eiuſdem temporis di-

ſtinguuntur tamquam priores,& poſteriores, vt ex definitione eius conſtat,quia dicitur eſſe: *Numerum motus ſecundum prius, & poſterius.* Sed probatur conſequentia,quia partem prę̃teritam reproducere,non eſt aliud,quam efficere,vt iterum fluat;ſed iterum fluere,eſt iterum fieri futuram; & præſentem: ergo ſimul fluentem cum futura,& præſenti. Cui facile reſpondent negando cõſequentiam,quia ſi reproduceretur pars præterita,ſuſpendenda eſſet futura,ne fieret præſens, & loco eius poneretur reproducenda, & ita hæc ſola fieret præſens immediatè poſt inſtans,quo terminabatur,& ſola flueret,non cum alia.

52 Probant tandem,quia intrinſecum eſt tempori habere partes reales priores,& poſteriores,nempe præteritum,& futurum:ergo intrinſecum eſt ei,quod ex præterito,& futuro copulatis inſtanti præſenti, atque efficientibus vnum numero tempus per continuationem componatur,ſed nihil horum habebit tempus, ſi pars præterita reproducatur;ergo impoſſibile reputandum eſt. Probatur minor, quia ſi pars præterita reproducatur, fieri poterit immediatè futura poſt inſtans præſens,& ita eadem pars erit præterita, & futura, nec poterit futura coniungi cum præterita per inſtans præſens, quia idem non coniungitur realiter ſibi ipſi, nec ſecum continuatur continuatione reali, quæ diuerſitatem realem continuatorum dicit. Immo ſequitur, quod breuiſſima pars temporis poſſit fluere ſemper; ita vt mille anni, immo & omnes computabiles in ea includantur, vel ſolum ſint breuis illa pars ſemper repetita per reproductionem, quæ videntur impoſſibilia. Reſpondent tamen hæc omnia aliena eſſe à conſuetudine temporis decurrentis,nec eſſe naturæ eius conſentanea, ſed non implicare contradictionem, quia ſatis in illa parte temporis reproducenda ſalũaretur diſtinctio realis præteriti,& futuri,& vnio realis,vel continuatio earum,non eſt tamen neceſſarium hanc diſtinctionem partium dari in tota extenſione temporis, ſed ſuppleri poteſt per reproductionem, & replicationem eiuſdem partis.

53 Aliis ergo efficacioribus arg. probanda eſt communis ſententia, quam ſequimur, & ſit primum: indiuiduatio motus ſumitur ex quatuor,vt docet Ariſt. 5.7.& 8.lib.Phyſ.nempe ex ſubiecto,ex termino,ex tempore,& agente:ita vt quodlibet horum variato, varietur idem numero motus, & ſit alius numero diſtinctus;ſed ad reproductionem eiuſdem motus, atque eiuſdem temporis,quod eſt propria duratio eius,neceſſe eſt variari tempus imaginarium, per ordinem ad quod ſumitur indiuiduatio motus;ergo implicat contradictionẽ, quod reproducatur idem numero. Euidẽs eſt conſequentia,quia euidẽs eſt,variari eũdem

numero

numero motum variato eodem numero agente ſubiecto, vel termino, de quo nemo dubitat: ergo non eſt minus euidens variari variato tempore, quia ab omnibus ſimul ſumitur vnitas numerica eius ſecundum Ariſtotelem, & omnes eius interpretes tam Græcos, quam Latinos. Sed reſpondent tempus eſſe extrinſecum motui, & ideo non eſſe tam neceſſariã dependentiam ab eo, quàm à cæteris, quare bene poteſt Deus eumdem numero motum reproducere in diuerſo tempore imaginario. Sed contra hanc ſolutionem ſic arguo: in toto ordine naturali rerum adeo reputatur neceſſaria dependentia motus à tempore imaginario, vt hoc variato neceſſe ſit actionem, motum, atque effectum variari, quæ omnia fatentur etiã aduerſarij; ergo motus ſecundum ſuam naturam intrinſecum ordinẽ dicit ad tempus, & hic motus ad hoc tempus imaginarium; gratis ergo & ſine fundamento rationis aſſerunt talem dependentiã à tempore extrinſecam eſſe motui, potius quàm dependentia ab aliis tribus. Quod autem tempus extrinſecum ſit, nihil refert, nam etiam ſubiectum eſt extrinſecum cuiq; accidenti, & ex conſequenti motui: quare hac ratione poſſet eſſe idem numero motus variato ſubiecto, quod tamen negant omnes, quia licet extrinſecũ ſit ſubiectum, intrinſecus eſt accidenti reſpectus dependẽtiæ ad ipſum; eodem ergo modo licet extrinſecum ſit tempus imaginarium motui, intrinſecus tamen eſt eidem motui reſpectus dependentiæ ad ipſum, cuius ea eſt ratio ſatis efficax, quia agentia corporea intrinſecam habent dependentiam in ſuis operationibus à tempore, quare hoc variato neceſſario variantur. 54

Secundo probatur, quia ſicut corpus per ſuam extenſionem permanentem eſt præſens ſpatio imaginario loci, ita motus per ſuam extenſionem ſucceſſiuam durationis eſt præſens ſpatio imaginario durationis. Quod probatur euidenter, quia licet cœlum quieſceret, & Deus ſuſpenderet propriam durationem motus particularis corporis (quod certum eſt poſſe, ſuppoſito quod propria duratio motus diſtinguitur ex natura rei ab eo) nihilominus idem motus particularis haberet extenſionem durationis extrinſecæ, atque imaginariæ; vnde ſequitur implicare contradictionem dari motum, qui non ſit præſens ſpatio durationis imaginariæ, ſicut implicat dari corpus extẽſum in loco, quod non ſit præſens ſpatio imaginario loci; ſed implicat contradictionem, quod idem corpus per eamdem præſentiã ſimul ſit præſens duobus ſpatiis imaginariis loci, vel per eamdẽ præſentiam vtrumque repleat; ergo etiam implicabit contradictionem, quod idem motus per eamdẽ numero durationem ſit præſens diuerſis ſpatiis durationis imaginariæ, vel quod vtrumque repleat; 55

repleat;ſed repugnat,quod reproducatur idem motus, quin ſit præſens duobus ſpatijs imaginarijs durationis; ergo impoſſibile reputandum eſt, quod reproducatur. Minorem ſic probo, hæc pars motus præterita per ſuam durationem eſt præſens huic parti ſpatij imaginariæ durationis, ſicut hoc corpus per ſuam extenſionem eſt pręſens huic parti ſpatij imaginarij loci, ſi vero reproducatur hæc pars motus, neceſſe eſt fieri præſentem alteri parti eiuſdem durationis imaginariæ,quia repugnat eidem parti eſſe præſentem, cum hæc pars durationis imaginariæ tranſeat non rediturà; vnde ſequitur repugnare, quod eadem pars motus cum ſua propria duratione reproducatur, alioqui eadem pars motus per hanc durationem eſſet præſens duabus partibus imaginariæ durationis, quod repugnat, ſicut etiam repugnat,idem corpus per eamdem præſentiam localem ſimul eſſe præſens diuerſis partibus ſpatij imaginarij.

56 Huic etiam arg.conantur reſpondere recentiores quidam, aſſignato duplici diſcrimine, vno quidem inter tempus verum ex vna parte,& imaginarium ex altera.Alio vero inter ſpatium imaginarium loci ex vna parte,& ſpatium imaginarium temporis ex altera.Et differentia inter tempus verum, & imaginarium in hoc dicunt conſiſtere, quod ſpatium imaginariũ fluẽs, quod vocatur tempus imaginarium,concipitur,vt omnino neceſſarium,& immutabile in ſuo fluxu, & ideo pars eius, quæ concipitur ſemel præterita,non poteſt concipi, vt iterum fluẽs, vel iterum rediens. Et huius ratio eſt, quia ſpatium imaginarium concipitur,vt non cauſatum, & propterea concipi debet, vt habens fluxum, & ordinem ſuarum partium à ſe, & non ab alio,quod eſt eſſe neceſſarium,& immutabile,& hinc prouenit, quod pars ſemel præterita non poteſt concipi,vt iterum rediẽs, tempus autem verum,& reale non habet à ſe ordinem, & ſucceſſionem ſuarum partium, ſed dependentem à ſua cauſa efficiente,à qua dependet in ſuo eſſe,& ideo neque omnino neceſſarium,& immutabilem,ſed dependentem,& variabilem,quare non repugnat eamdem partem iam tranſactam, iterum fluere.

57 Et hinc etiam fit, vt licèt ſit neceſſarium, atque intrinſecum tempori,& motui habere partes ſucceſſiuas priores, & poſteriores, non tamen eſt alicui earum intrinſecum eſſe priorem, vel poſteriorem,ſed variari poteſt ordo, ita vt quæ nunc prior tranſiuit, poſtmodum ſit futura, atque adeo poſterior eadem. Ex hoc etiam diſcrimine intelligitur, quod pars tẽporis realis dupliciter poteſt ſumi, primo, vt correſpondet parti temporis imaginarij,& quaſi ſpatiũ durationis eius replet, & hoc modo conſiderata non poteſt ſemel tranſacta redire, vel reproduci, quia

Digitized by Google

quia cum pars illa tẽporis imaginarij irreuocabiliter tranſeat, & iterum non poſſit redire, etiam pars veri temporis ei compatata irreuocabiliter tranſit, & redire non poteſt ſub tali reduplicatione coexiſtentiæ. Secundo conſideratur, ſecundum propriam entitatem, quo pacto accidentalis eſt ei, atque extrinſeca comparatio illa cum parte temporis imaginarij, quia non conuenit ei ſecundum ſe, ſed in quantum ſub ea concipitur ab intellectu noſtro. Secundum diſcrimen inter ſpatium imaginariũ tẽporis, & ſpatiũ imaginariũ loci in hoc dicũt eſſe poſitũ, quod ſpatium locale concipitur vt permanẽs, & immutabile, & ideo corpus non dicitur fieri præſens diuerſis partibus eius, niſi per ſui mutationem, & conſequenter per acquiſitionem alicuius modi eſſendi ſibi inhærentis. Spatium vero temporis imaginarij concipitur vt ſucceſſiuũ, & fluens, atque tranſiens. Et hinc fit, quod vt intelligatur idem motus, vel tempus coexiſtere illi, non eſt neceſſarium, vt diſtinctos modos reales, aut durationes in ſe habeat, ſed ſolum, vt iterum, atque iterum fiat, acciditque illi, vt coexiſtat huic, vel illi parti eiuſdem imaginariæ durationis. Deinde ſicut duratio vera vt coexiſtens maiori, vel minori parti eiuſdem imaginariæ durationis concipitur à nobis, vt maior, vel minor licet in ſe maior, vel minor non ſit, vt patet de æuo, quod in quãtum coexiſtit maiori, vel minori tempori, concipitur à nobis vt maior, vel minor duratio, licèt in ſe formaliter non ſit maior, vel minor, ſed indiuiſibilis; ita duratio eiuſdem motus, quæ eſt tempus, ſi bis extendatur per reproductionem, vel extendi concipiatur, coexiſtere poteſt duabus partibus eiuſdem temporis imaginarij, & tamquam maior concipi propter talem coexiſtentiam, etiã ſi in ſe non ſit realiter maior, aut diſtincta ſecundũ partes, ſed eadem, æquiualens tamen duabus, aut tribus per repetitionem. Ex tota igitur hac doctrina (quam ſummatim collegi) reſpondent ad formam noſtri argum. negando maiorem, quod ſicut ſe habet præſentia localis corporis ad ſpatium imaginarium loci, ita ſe habeat duratio motus ad ſpatium imaginarium durationis, quod vocatur tempus imaginarium. Et ratio differentiæ eſt, quia corpus non fit præſens ſpatio imaginario loci, niſi per aliquẽ modum ſibi intrinſecum, & ideo per ſui mutationem, & propterea non poteſt per eamdem præſentiam fieri præſens diuerſis ſpatijs: motus vero, & tempus non coexiſtunt tempori imaginario, per aliquid ſibi intrinſecum, ſed ſolum per comparationem noſtri intellectus ei accidentalem, & extrinſecam, quæ ideo variari poteſt, & ita non repugnat per locum ab intrinſeco, quod eadem pars repetita per reproductionem poſſit 58

correſpon

correſpondere diuerſis partibus eius.

59 Hæc tamen doctrina, ex qua ſoluitur arg. apparentiam quidem veritatis habet, diligentius tamen conſiderata, tria, vel quatuor in ea inuenio difficilia, & quæ mihi videntur falſa, & ſolũ excogitata ad eludẽdũ arg. Primũ eſt, quod cõparatio motus per ſuã durationẽ realẽ cum ſpatio imaginario durationis, ſit ei extrinſeca, & non neceſſario, neq; per aliquid intrinſecum ei cõueniens, ſicut cõparatio corporis cũ ſpatio imaginario loci conuenit ei per aliquẽ modum ſibi intrinſecũ. Quod vero hoc ſit falſum, probo, quia corpus per ſuã entitatẽ, vel extenſionem permanentem tãquam per fundamentum ſufficiens intelligitur præſens ſpatio imaginario loci, & per præſentiã formalem intelligitur præſens formaliter; ergo motus per ſuã entitatẽ ſucceſſiuam, vt ſucceſſiua realis eſt, tãquam per fundamentum ſufficiens intelligitur preſens ſpatio imaginario durationis, & per ſuã durationem formalem, & ab intrinſeco ſucceſſiuã intelligitur præſens formaliter. Probatur conſequentia, quia quemadmodum extenſioni permanenti corporis debetur præſentia permanens in ſpatio imaginario loci, ita vt contradictionem implicet eſſe ſine illa, ita etiã entitati, atq; extenſioni ſucceſſiuæ debetur præſentia in ſpatio durationis imaginariæ, vt cõtradictionem implicet eſſe ſine illa. Probatur efficaciter paritas rationis, quia entitati reali exiſtenti extra cauſas debetur ex ſe, & ab intrinſeco propria præſentia in ſpatio imaginario, ſine qua eſſe non poteſt per vllã potentiã, corporea quidem ſi ſit entitas corporea, ſpiritualis vero ſi ſit entitas ſpiritualis. Quod adeo neceſſariũ reputãt recentiores oppoſitã ſententiã defendentes, vt affirment, tot præſentias deberi cuicumq; corpori, quot habet accidentia realia, aut reales entitates diſtinctas; ſed motus habet entitatẽ realẽ extra cauſas per ſe, & per ſuã durationem realem; ergo debetur ei ab intrinſeco, & per aliquid reale ſibi etiã intrinſecum realis præſentia in ſpatio imaginario, nõ præſentia permanẽs, cum ſit entitas realis ab intrinſeco ſucceſſiua,

60 nec in ſpatio loci, quia ſpatium loci ex ſua propria ratione eſt permanens, hoc eſt, per modum permanentis conceptum; ergo debetur ei præſentia ſucceſſiua, & fluens in ſpatio imaginario ſucceſſiuo, & fluente, quod eſt ſpatium durationis imaginariæ. Et ratio huius à priori eſt, quia extenſio realis eius non eſt permanens, ſicut extenſio corporis, ſed ſucceſſiua, & fluens, & ideo occupatiua ſpatij fluẽtis, quod nõ eſt loci, ſed durationis. Vnde ſequitur, quod ſicut non poteſt idem numero corpus habere eãdem præſentiã in duabus partibus ſpatij localis ſibi adæquatis, etiam ſi per potentiam Dei abſolutam ponatur in eis, ſed

neceſſa

necessariò debet habere præsentias distinctas, pari ratione implicat contradictionem, quod idem motus per eamdem durationē sit præsens diuersis partibus spatij imaginariæ durationis sibi adæquatis, & cum hoc sequatur euidēter ex reproductione eius, vt concedunt aduersarij, sequitur esse omnino impossibilē.

Ex his infero primo, falsum esse, quod in eadem doctrina di- 61
citur, nempe motui, & tempori cōuenire respectum ad spatium imaginarium per solā coexistentiā, vt cōuenit mēsuræ indiuisibili respicere diuisibilem per solā coexistentiam, vt æuo respicere tempus, sed re vera cōuenit illi per intrinsecā, atq; sibi essentialem rationem præsentiæ, in quo etiā differunt à corpore respiciente spatium imaginarium loci: nam licet respectus ad spatium loci sit intrinsecus, atque essentialis ipsimet præsentiæ quam habet corpus in spatio, corpori tamen non est essentialis præsentia ipsa, nec ideo talis respectus in ea inclusus ad spatiū, quia prius preintelligitur cōstitutus in suo esse essentiali, quam intelligatur præsens, quamuis per suammet entitatem debeatur ei præsentia, motui vero, & durationi eius, non solum debetur præsentia in spatio, tāquam ei præsuppositis, atque constitutis in sua essentia, vel entitate reali, sed pertinet ad essentiam eorum, quare sine illa non possunt vllo modo reperiri. Quod sic probo; essentialis est motui, & tempori extensio successiua partium realium priorum, & posteriorum, sed per hanc extensionem occupant, & quasi replent spatium successiuū imaginariæ durationis, & illi fiunt præsentia; ergo talis præsentia essentialis est eis, & ideo occupatio determinatæ partis eiusdē spatij imaginarij, & præsentia ad illam intrinseca est determinatæ parti motui, & tempori, sine qua nec potest esse in rerum natura, neque intelligi. Et propterea pertinet ad intrinsecā indiuiduationem eius, sicut ad indiuiduationem talis præsentiæ localis pertinet respectus ad tale spatium, & in hoc puto principaliter distingui has duas opiniones; nam illa putat hāc præsentiā in spatio imaginario durationis extrinsecā, & accidentalē esse motui, & tēpori, nos vero dicimus esse ei intrinsecam, neque conuenire illi per aliquem modū realē sibi inhærentem, sicut præsentia in spatio loci cōuenit corpori, sed per suam entitatem, & rationem intrinsecā, in quibus includitur, eo modo, quo respectus ad spatium conuenit ipsimet locali præsentiæ corporis, vt probat efficaciter nostra ratio facta.

Secundo infero falsum esse, quod dicitur, spatiū quidē ima- 62
ginariæ durationis habere modū, & ordinē suarū partiū fixum, & stabilem, seu immutabilē, & necessarium; ita vt semel transacta parte, vel semel præterita non possit vllo modo fieri iterum futura,

futura,aut præſens,aut quæ ſemel eſt prior, fieri poſterior, & ideo nec illo modo redire, tempus autem verum,& reale non habere modũ,& ordinẽ ſuarũ partium realium neceſſarium, & immutabilẽ,ſed variari poſſe, ita vt pars ſemel præterita poſſit fieri iterum futura,& præſens,& quæ ſemel eſt prior,poteſt fieri poſterior per reproductionẽ,cuius rationẽ aſſignãt, quia ſpatiũ imaginariæ durationis concipitur vt non factum,ſed quaſi à ſe habens eſſe,& ideo vt independens ab alio,& conſequenter à ſe habens modum,& ordine ſuarum partium,& non depẽdentem ab alio,& propterea nec mutabilem,aut variabilem;ſed tempus verum habet eſſe dependens à ſuis cauſis, præſertim à prima,& conſequenter non omnino immutabile, & neceſſariũ, ſed variabile,& pari ratione modũ, & ordinẽ ſuarum partium variabilem habet modo explicato. Falſum autem dicimus eſſe diſcrimen hoc,atque etiam rationẽ eius,ſed dicendum verũ tempus habere eſſe dependens à cauſis, quantum ad actualem exiſtentiã extra illas,ita vt potuerit non fieri,vel non eſſe,& poſtquam factum eſt realiter,deſinat,ſed quantum ad rationem intrinſecam,non ſolum ſpecificã, ſed indiuidualem ſuarum partium,& conſequenter quantũ ad modũ,& ordinem earum immutabile,& neceſſariũ eſſe, non minus,quam tẽpus imaginarium,immo hoc talem habere immutabilitatem ab illo. Quod ſic probo,tempus imaginarium non eſt factũ, cum nõ ſit reale, & verum,ſed ſuum eſſe in eo conſiſtit, quod ad ſimilitudinem veri actu exiſtentis,vel poſſibilis excogitatũ ſit, alioqui imaginaria eius ratio non eſſet veritati cõformis,ſed quaſi tragica,& ſine fundamẽto cõficta,vt cõfingere ſolemus chimerã,vel hirco ceruum,ſed de imaginario concedunt habere eſſe, & ordinẽ,ac modum ſuarũ partium immutabilẽ,& neceſſariũ : ergo neceſſe eſt eadẽ habere tempus verũ,à quo ea in cogitatione deſumit. Secundò,ſpatiũ imaginariæ durationis excogitatur quaſi fluẽs, atque cõpoſitum ex partibus futuris,præſentibus, & præteritis, & ideo nondum exiſtentibus,actu exiſtentibus etiã non extantibus,ſed hæc non poteſt habere, niſi in quantum per ſimilitudinem ad tẽpus verum eas habens,vel ex propria, & vera ratione eſſentiali poſtulans:ergo nec poteſt habere modum, & ordinem tãquam immutabilẽ,& neceſſariũ excogitatum,niſi quia eum habet,vel poſtulet tẽpus verum, & ex hoc colligitur,quod ſicut de parte temporis imaginarij aſſerunt, quod ſemel tranſacta nullo modo poteſt redire,nec etiam,quæ ſemel eſt præterita,fieri futura,vel præſens,aut quæ ſemel eſt prior,fieri poſterior,ita aſſerendũ ſit de parte tẽporis veri,quod nõ poſſit ſemel tranſacta redire per reproductionem, nec ſemel præterita fieri

futura

futura aut præsens, nec semel prior, fieri posterior. Ad primum argum. oppositæ sententiæ distinguenda est maior, quod eadem numero actio instantanea possit reproduci, nam si sit agentis naturalis, & corporei, negandum est, quia vnitas numerica eius ab intrinseco dependet à tali instanti temporis, in quo fit, & cum non possit reproduci idem instans temporis iam transactum, sicut neque idem tempus, nec potest reproduci eadem numero actio in eo facta Non est autem eadem ratio de actione diuina non dependente à tempore, sed ex hoc non sequitur posse reproduci eamdem actionem successiuam, quia ab intrinseca pendet vnitas numerica eius ex tali tempore, in quo facta est. Et dum dicitur, posse Deum conseruare eamdem actionem corpoream per horam continuam, concedendum est, sed negandum, quod infertur, nempe posse interrumpere conseruationem eius per secundum quadrantem eiusdem horæ, & iterum eamdem numero illuminationem ponere in rerum natura per tertium, & vltimum quadrantem, quia semel interrupto tempore, vel duratione, in qua actio illa conseruatur, non potest eadem numero reproduci, vt probatum est propter intrinsecam dependentiam ex tali tempore.

Ad secundum distinguenda est minor, nam præsentia localis, quam corpus acquirit in motu, duplex est, vna adæquata, & indiuisibilis, quam acquirit in singulis instantibus temporis, in quo fit motus, alia inadæquata, & diuisibilis habens latitudinem secundum proportionem diuisibilem ad spatium, quam acquirit corpus per partes motus, & per totum, vnde eam non habet nisi dum actum mouetur, illam vero non potest habere dum mouetur. Sed in primo non esse partis motus præcedentis, vel in primo non esse totius motus, si sit vltima, cum præsentia igitur adæquata quam prius habuit, potest Deus reproducere corpus iam corruptum, cum præsentia vero inadæquata atque diuisibili repugnat. Et ratio differentiæ est, quia hæc est proprius terminus motus, ex sua intrinseca ratione habens, quòd non possit acquiri, vel haberi nisi successiue, atque in motu, & per motum; vnde sicut non potest reproduci idem numero corpus cum eodem numero motu, quem prius habuit, ita nõ potest reproduci cum eadem numero præsentia inadæquata, quam semel habuit. Præsentia vero adæquata, & indiuisibilis nõ est proprius terminus motus, sed sine motu etiam haberi potest, vt eam habuerunt corpora omnia in prima sui productione, quare bene potest produci a Deo non solum sine motu, sed etiam sine actione dependente à tempore, quod si per motum, vel actionem dependentem à tempore producenda esset, impli- 64

caret contradictionem ſemel extinctam reproduci.

Ad tertium neganda eſt minor, quod dependentia motus à tempore non ſit ſufficiens ratio, propter quam repugnet eumdem motum numero reproduci. Et cum quæritur, an indiuiduatio motus dependeat à propria eius duratione, vel ab imaginaria. Reſpondeo tam motum, quam propriam eius durationem indiuiduari, per ordinem ad ſpatium imaginarium durationis, ad quod intrinſecum reſpectum dependentiæ dicit, eo prorſus modo, quo pendet talis præſentia localis corporis, vel tale corpus ſub ratione præſentis per illam à tali ſpatio imaginario, vnde ſicut repugnat, idem corpus habere eamdem numero præſentiam in diuerſo ſpatio, ita repugnat eumdem motũ, eádemque durationem eſſe præſentem diuerſis partibus ſpatij imaginariæ durationis. Et hæc eſt ratio propter quam repugnat idem numero reproduci, quia ex hoc ſequeretur per locum ab intrinſeco diuerſis partibus eſſe præſens. Et quod tandem infertur de æuo, difficultate prorſus caret, propter duplex diſcrimen inter æuum ex vna parte, & tempus cum ſuo motu ex altera, nam æuum cum ſit duratio ex propria natura indiuiſibilis, & ordinis ſuperioris, hoc eſt non ſublunaris, nec dependet à tempore vero, nec etiam imaginario, quare non indiuiduatur ab eo, nec ab aliquo eius inſtanti. Præterea licet ſit duratio, permanens tamen, & non fluens, nec intrinſecam habens ſucceſſionem, quamuis ſua virtute poſſit coexiſtere cuicumque durationi inferiori, etiam ſucceſſiuæ, veræ, aut imaginariæ. Et propterea etiam ex hac parte non poteſt dependere indiuiduatio eius ab ſpatio tẽporis imaginarij, ſicut nec ab eo dependet indiuiduatio rerum permanentium, vt permanentes ſunt, vel vt in ſuo eſſe, & non in ſuo fieri conſiderãtur. Non ergo ſequitur, quod repugnet eumdem numero Angelum cum eodem numero æuo prius anihilatum reproduci, quia iterum creari poteſt à Deo, per actionem non dependentem à tempore, neque ab æuo imaginario, motus vero, & tempus quomodocumque; fiant, intrinſecam habent dependentiam à tempore imaginario, vt probauimus, & idèo implicat cõtradictionem reproduci. Et hæc ſint ſatis de hac quæſtione perdifficili, ac de tota commentatione horum librorum Ariſtotelis de ortu, & interitu rerum naturalium: faxit Deus optimus, & maximus, vt quæ in ea ſcripſimus grata ſint ei futura, & reipublicæ litterariæ vtilia, & ita in laudem, & gloriam ipſius, ac Deiparæ virginis, necnon Angelici Doctoris Diui Thomæ cedant.

LAVS DEO.

IN

Digitized by Google

INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM, QVÆ IN his commentariis continentur.

Actio.

ACTIO *ſemper eſt à proportione maioris inæqualitatis, & à proportione minoris dari non poteſt. p.384.nu.72*
Actio, & reactio dantur ſimul inter contraria, & ſecundum eamdem contrarietatem. p.440.nu.146

Actiuitas.

Actiuitas agentis quomodo debeat excedere reſiſtentiam paſſi. p.390.num.82. & p.393.num.87

Aër.

Aër habet ex propria natura ſummam humiditatem, & prope ſummum calorem. p.564.565.num.139. & 140. Sed in media regione per antipariſtaſim eſt frigidiſſimus, ſicut in regione ſuprema, & infima maximum calorem habet à ſole impreſſum. p.423. num.120. & ſeq. & p.424.num.19. & ſeqq.

Agens.

Agens, & paſſum non debent eſſe omnino ſimilia, neque omnino diſſimilia. p.404.num.93
Agens an, & quomodo poſſit producere effectum ſibi æqualem in intenſione. p.403.num.91. An poſſit agere in ſeipſum actione vniuoca. p.413.num.105

Alteratio.

Alteratio an ſit, & eius acceptiones. p.78.num.106. Quid ſit. p.78. num.106. An foret poſſibilis, ſi eſſet impoſſibilis generatio. p.81. num.108. Propriè ſumpta eſt motus ſucceſſiuus, atque continuus. p.86. num.113. Quomodo continuatur. p.97.nu.125. An ſemper ſit continua. p.108.num.135

Aqua.

Aqua habet ſummam frigiditatem, humiditatem vero nõ, niſi prope ſummam. p.565.num.141. & 142. Per antipariſtaſim vero hyemali tempore calida eſt in ſubterraneis locis, ſicut verno tempore frigida. p.554.num.118.119

Augmentatio.

Augmentatio an detur in rerum natura, & quid ſit. p.213.n.10. Realiter diſtinguitur à nutritione. p.219.nu.18. Motus eſt ad

maiorem quantitatem per eam productam. p.265.num.73. *Per eam augentur omnes partes viuentis.*p.269.num.78. *In quo sensu verum sit,quod toto tempore vita duret.*p.280.num.94. *A diminutione distinguitur tamquam positiuum à negatiuo, vel tamquam productio à corruptione.* p.297.num.117

Christus Dominus.

Sacrum Christi corpus habuit temperamentum aquale ad pondus ex primis qualitatibus tamquam omnium temperamentorum perfectissimum,& nihilominus nullum morbum contraxit per totam vitam. p.624.num.31

Contactus.

Contactus quotuplex sit. p.337.num.4. *Qualis contactus requiratur inter agens,& passum ad agendum.*p.340.num.9. *An possit suppleri per potentiam Dei absolutam, ita vt agens agat in passum,quod nullo modo tangit.*p.351.num.26

Contrarietas & contraria.

*Contrariorum definitio elucidatur.*p.520.nu.56.*Contraria non possunt esse simul in gradibus intensis naturaliter.* p.524. num.62. *Sed bene per potentiam Dei absolutam,* p.526 nu.66.*Contrarietas non est immediata oppositio, sicut contradictoria.* p.528.n.69. & 70. *Quamuis contraria quadam nullum medium admittant circa subiectum.* p.526.num.66. *In gradibus vero remissis simul esse possunt,& in mixtis ita reperiuntur.* p.535.num.83. & 84. *Quod verum est non solum de actiuis, & passiuis, sed etiam de non actiuis.* p.541.num.93

Densitas.

Densitas non est virtus actiua agentis, sed solum conditio agendi. p.397.398.num.90. *Iuuat maxime ad agendum. ibid. Ratione maioris densitatis potest agens producere effectum sibi aqualem in intensione.* p.408.num.99

Dispositio.

Dispositiones precedentes in materia non concurrunt efficienter ad expulsionem vnius formæ,& introductionem alterius, sed solum materialiter. p.198.num.224.& *sequent.*

Elementa.

Elementa sunt corpora simplicia. p.588.num.22.*Non manent formaliter in mixto.* p.475.nu.47. *Quid sit elementa virtute contineri in mixto.* p.475.num.47. *Quodlibet eorum habet duas qualitates non contrarias,nec in summo gradu.*p.549.num.108. *Sed vnam in summo, alteram in minori gradu.*p.561.num.131. & 132. *Sed qualitas, quam habet minus intensam, non habet permixtionem qualitatis contraria.* p.568.nu.147. *Nullum elementum potest producere aliud specie distinctum à se,tamquam causa*

causa efficiens per se, immo nec duo simul. p.603.nu.52.& 53

Elementorum forma non sunt formaliter contraria, sed bene radicaliter. p.520. num.56. Qualitates elementorum non sunt forma substantiales eorum, sed accidentia superaddita. p.514.nu.44

Generatio.

Generatio substantialis datur in rerum natura. p.17.nu.23. Quid sit,& qua eius definitio essentialis. p.20.nu.28.& pag.22.n.31. Habet pro termino ad quem adaquato, & vt quod totum compositum. p.28.num.41. Pro termino formali, atque primario ordine executionis formam cum modo vnionis.p.28.nu.42. Rationem formalem generationis desumit à forma. p.31.nu.46. Proprium subiectum inhasionis eius est materia prima. p.36.nu.52. Est actio instantanea distincta ab alteratione. p.39.num.58

Generatio vnius est corruptio alterius,in quo sensu sit vera. pag.59. num.84.& seqq. Generatio prior natura est corruptione absolutè loquendo. p.74.num.102

Habitus.

Duo habitus contrarij possunt esse simul naturaliter, vt erroris, & scientia,& actus cuiusque cum habitu altero, sed actus vtriusque,nec per potentiam Dei absolutam. p.539.nu.90.& seqq.

Ignis.

Ignis habet calorem summum,& prope summam siccitatem. pag. 564.num.138. Quomodo,vel à quo generetur per se, tamquam à causa efficiente,dum per collisionem ferri & silicis generatur. pag.605.num.55.& seqq.

Indiuisibile.

Indiuisibilia quot sint in alteratione,an producantur in tempore,vel in instanti. An distinguantur continuatiua à terminatiuis. pag. 108.num.135.& seqq.

Intensio.

Intensio fit per additionem gradus ad gradum,atque etiam per maiorem radicationem in subiecto, nam duo hac sibi non aduersantur. pag.117.num.145

Gradus intensionis similes omnino sunt, atque eiusdem perfectionis indiuidualis,nec inter se essentialiter subordinati. p.131.nu.158

Intensio qualitatis habet terminum magnitudinis intrinsecum naturaliter,non vero paruitatis. p.140.num.167. Quomodo terminetur intensio qualitatis,vt est dispositio ad formam substantialem. pag.147.num.174

Intensio qualitatum supernaturalium secundum se non habet terminum intrinsecum magnitudinis. p.150.num.177

Mixtio & mixtum.

Mixtio quid sit. p.454.nu.6.Naturaliter est possibilis. p.459.nu.14.

An, & quomodo distinguatur à generatione. p.462.n.23.24.25.
An vera mixtio fieri possit ex liquidioribus. p.483.num.62
In mixtis reperiuntur alia qualitates prater elemẽtales.p.508.n.33.
Sed nullum mixtum potest generare elementum,nisi vt causa per accidens. pag.605.num.55
Mixtorum temperamentum non consistit in quinta qualitate continente,vel non continente quatuor primas, nec talis qualitas datur, sed consistit in sola proportione primarum. pag.614.num. 13. & 14
In mixtis datur temperamentum aquale ad pondus ex qualitatibus alteratiuis, non tamen aquale secundum omnes partes eorũ. pag.619.num.23.& seqq. Vbi explicantur varia temperamentorum genera,ex qualitatibus vero motiuis non datur aquale ad pondus naturaliter, quamuis aliquo modo dari possit per potentiam Dei absolutam. pag.628.num.40.& seqq.

Nutritio.

Nutritio datur in natura rerum. pag. 211.num.8. Quid sit. p.213. num.10. Fit semper successiuè. p.226.nu.27. Quomodo sit continua. p.245.nu.45 Non semper fit, sed interrumpitur aliquando. pag.246.num.48. In nutritione imperfectorum viuentium cum noua parte materia aduenit noua pars forma,non vero in animalibus perfectis præsertim in homine. p.289.nu.107. In nutritione sicut augentur omnes partes,ita diminuuntur omnes. ibid. Nihilominus idem numero permanet viuens toto tempore vita. ibidem.

Qualitas.

Qualitates propria elementorum sunt prima, atque etiam formales, prater quas non dantur virtuales. p.503.num.25
Qualitates symbola diuersorum elementorum non distinguuntur specie. pag. num.

Rarefactio, & condensatio.

Per rarefactionem non producitur quãtitas,nec per condensationem deperditur. p.304.num.128. Rarefactio non est motus localis ad maiorem extensionem corporis, sed vera alteratio, per quam primo,& per se producitur qualitas,qua vocatur raritas. pag.318. num.147. Sine rarefactione implicat contradictionem corpus cui non additur quantitas maius fieri. p.328. nu.162. Explicantur omnia qua reperiuntur in rarefactione. p.331.num.166

Resistentia.

Quid,& quotuplex sit. pag.364.num.44. Quo ordine,& modo conueniat primis qualitatibus. p.374.num.60

Reflexio.

An intendatur lumen in medio per reflexionem, & qua sit causa talis

talis intenſionis. pag.430. num.131

Reproductio.

Res permanens iam corrupta non poteſt eadem numero reproduci naturaliter, ſed bene ſupernaturaliter, ſucceſſiua vero, nec per potentiam Dei abſolutam. p.665.num.50

Reſurrectio.

Reſurrectio corporis mortui eſt actio, vel mutatio eiuſdem ſpeciei cum prima generatione eius, ſed per virtutem naturalem, etiam Dei, vt concurrentis cum naturalibus cauſis non poteſt fieri. pag. 661. num.43

Sanguis.

Sanguis numquam eſt continuus cum carne, & aliis partibus corporis viuentis. p.252. num.57. Continuatio eiuſdem ſanguinis cum corpore viuente, non fit prius, quam conuertatur in ſubſtantiam aliti. p.253.num.58. Sed ſimul, & per eamdem actionem nutritionis. p.252.num.57

Subiectum.

Quod ſit ſubiectum horum librorum. p.3.num.4. Subiectum accidentium eſt compoſitum, non materia. pag.87.num.92. & ſeqq. & pag.159. nu.187. & ſeqq. Sed vnius accidentis non ſemper eſt ſubiectum proximum aliud accidens. p.183, nu.208. Nec ſubiectum proximum accidentium ſemper eſt ſubſtantia. pag.188. num.213. Sed ſæpe vnum accidens eſt proximum ſubiectum alterius. pag.191.num.216

Terra.

Terra habet ſummam ſiccitatem, & prope ſummam frigiditatem. p.447.nu.143. Habet etiam ſummam grauitatem. p.566.n.142

Violentum.

Violentum ſimpliciter non poteſt eſſe perpetuum naturaliter, bene tamen violentum ſecundum quid, quod ſequitur ex ordine naturali vniuerſi, & de ſolo illo intelligitur vniuerſale principium Ariſtotelis: Nihil violentum eſt perpetuum, *non de hoc. pag. 558. num.124. & 125*

Vita.

Vitam conſiſtere in calido, & humido, vt docet Ariſtot. quonam modo ſit intelligendum. pag.628.num.38

FINIS.

BIBLIOTECA MAZ... ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Carmel. Diſcal. Ronç.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google